

COLLECTIO

LATINORVM SCRIPTORVM

CVM NOTIS.

TAVRINI

MDCCCXXIV

PER VIDVAM POMBA ET FILIOS.

VALORE DEL PRESENTE TOMO XXX.

da pagarsi alla rimessione

Fogli di stampa n.° 33 *a cent.* [redacted] . . [redacted]
Legatura . . . . » [redacted]

[redacted]

Spese di porto e dazio per gli Associati esteri »

Li volumi fin qui pubblicati, compreso il presente, per gli Associati all' intera Raccolta importano . . . . *L.* 218 65

N. B. Le legature alla Bodoniana od altre si pagano separatamente oltre al suddetto prezzo.

M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA

TOM. II.

M. TVLLII

CICERONIS

OPERA

EX RECENSIONE

CHRIST. GODOFR. SCHVTZII

ADDITIS COMMENTARIIS

TOMVS SECVNDVS



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS VIDVAE POMBA ET FILIORVM
ANNO MDCCCXXIV

M. TVLLII CICERONIS

OPERA RHETORICA

TOM. II.

C. G. SCHÜTZII

IN LIBROS

DE ORATORE

PROLEGOMENA

AD

IO. IAC. GRIESBACHIVM

THEOLOGVM IENENSEM

IN LIBROS

DE ORATORE

PROLEGOMENA

Quadragesimus hic est annus, Griesbachi carissime, inde a quo prima inter nos notitia esse coepit, quae paulatim, usu et consuetudine progrediente, in amicitiam abiit, mutuis officiis, studiorum et munerum coniunctione, consiliorum et voluntatum consensu et societate, denique quum soror mea tibi nupsisset, affinitate iucundissima confirmatam. Quam equidem amicitiam semper in praecipua felicitatis meae parte posui, ponamque dum vivam. Nihil enim unquam in ea astutum, nihil fallax, nihil aut humile aut ieiunum fuit. Practerea multis ea commoditatibus honestissimae voluptatis plenis affluxit, et iam tum, quum adolescentes eramus, cum optimorum iuvenum utrique nostrûm familiarium usu fuit et recordatione coniuncta. Quum enim ambo Semleri, Theologi clarissimi, non scholis modo, sed consuetudine quoque domestica uteremur, accidit ut communes amicos nancisceremur Vogelium, Strothium, Stuvium, Lieberkühnium, quos omnes dudum mors immatura nobis eripuit, praeterea Sybelium, Hanischium, Schwencknerum, quorum primus Etzini

in Marchia, alter Tangermundae ecclesiastico munere fungitur, tertius in Gymnasio Mitaviensi bonas literas docet. Hic amicitiae nostrae cursus ne tum quidem impeditus est, quum ego finitis academicis studiis anno superioris seculi LXVIII. Brandenburgum concessissem, ubi tu in itinere, quo Angliam Galliamque petebas, me academiae equestris doctoribus adscriptum, convenisti, ibique et Potsdampii aliquot dies iucundissime una exegimus. Post sesquiennium ego Halam vocatus privatim et in Seminario theologico publice philosophiam Graecasque et Latinas literas docere coepi, tuque mox ex itinere reversus scholas theologicas aperuisti magna statim studiosorum frequentia celebratas. Quo tempore quum uterque in Semleri domo habitaremus, nullus dies praeteriit, quin aliquot horas una essemus, amicitiaeque nostrae fructu communiumque amicorum usu et sermonibus delectaremur. Aliquot annis post uno eodemque die una cum Vogelio Professores creati sumus; iterumque exacto biennio, ante hos XXX annos ordo Theologorum Academiae Ienensis te collegam sibi conciliavit, egoque te Hala abeuntem faustis ominibus prosequutus sum, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Laetabar enim, quod, quanta tibi bene merendi occasio, quantumque laudibus tuis curriculum aperiretur, videbam, sed consuetudinis tuae desiderium adeo me angebat, vix ut id ferri posse putarem. Interea quum Halae essem in ordinem philosophorum cooptatus, vixdum luctu quem ex Vogelii amici nostri eiusque viduae sororis meae

natu maioris acerba morte conceperam aliquantulum sedato, dici non potest, quam cara et iucunda mihi fuerint officia tua, quum Danovii collegae tui sororem mihi despondissem. Eandem animi tui fidem et benivolentiam expertus sum, quum anno quarto post discessum tuum ad humaniores literas publice docendas Ienam evocarer, qua in academia (cui deus faveat!) per viginti quatuor annos tecum vixi, incredibilesque virtutes cum insigni modestia et humanitate coniunctas, summa cum admiratione spectavi. Nam praeter operam utilissimam lectionibus academicis a te diligentissime et sine ulla intermissione, nisi quae raro vel publicis negotiis, vel morbo extorqueretur, navatam, tu non solum rem academicam omnibus modis, consilio, labore, facultatibus egregie adiuvisti, sed etiam civitati agroque Ienensi multis locis quamplurimum profuisti. Quo tempore enim in crisi N. T. cum summa eruditorum laude versabaris, totque aliis negotiis literariis districtus eras, eodem tu aerario civitatis Ienensis restituendo prospiciebas, collegio quod pauperum alendorum curam gerit praeeras, praediorum academicorum rationes tractabas, denique fisci provincialis procurationi cum reip. salute vacabas. Ac tot tantosque labores aliis utiles, tibi non necessarios, non ultro te ingerens, sed bonorum omnium votis expetitus suscepisti, neque solum nulla lucri cupiditate ductus, sed ne prospera quidem valetudine usus, immo per complures annos fere quotidianis corporis doloribus, quibus vel Posidonio illo Stoico fortius resistebas,

fatigatus. Et quum certatim te aliae Academiae sibi expeterent, tu Ienam ornare pergebas, maiora praemia aliis sine invidia relinquens aut concilians, ipse, si usus veniret, ὀλίγον τε φίλον τε, sicut Achilles ille Homericus, abstulisse contentus. Itaque quum ante biennium eodem tempore binae mihi conditiones Professorii muneris, altera in Academia Herbipolitana, altera in Fridericiana Halensi offerrentur, meque regis nostri munificentia in hanc Academiam reduxisset, in illa rerum mearum vicissitudine, quae cetera omnia laetabilia haberet, dici non potest, quanta me unum hoc molestia affecerit, quod a te, Griesbachi, discedendum esset, quod a propiore virtutum tuarum spectaculo removerer, fructusque consuetudinis tuae, cui me per viginti quatuor annos continuos assuefeceram, interciperetur. Et quum res publicas Academiae nostrae multo laetiores offendissem, quam eas ante sex lustra reliqueram, reditus aerarii regia liberalitate triplicatos, Seminarium philologicum institutum Wolfioque duce florentissimum, Bibliothecam insigniter auctam, hortum botanicum Sprengelio directore egregie ditatum et amplificatum, multaque alia melius quam olim instituta, nihil tamen mihi privatim iucundius et optatius accidit, quam quod mihi in eadem domo, quam Semlerus noster olim possederat, habitatio contingeret, in qua nullus paene angulus est, quin mihi aliquam antiqui contubernii nostri memoriam revocet. Quapropter quum in illo pomoerio, quod nosti, in quo et Semleri et tua olim impressa sunt

vestigia, superiore aestate recensendis Ciceronis de Oratore libris operam dedissem, identidem bonas horas tecum Ienae in hortis tuis suburbanis transactas, humanissimaeque delectationis ex sermonum tuorum et morum suavitate plenissimas recordatus sum. Et quoniam illarum desiderium crebritate epistolarum, quae te ad respondendum alliciant, lenire soleo, nunc quum in eo sim, ut novam illorum librorum editionem ad te mittam, quid de artificio, quo Cicero in iis conscribendis usus est, sentiam, tibi exponam, arbitriumque tuum, quod cum in aliis rebus, tum ἐν τῶν λόγων κρίσει plurimum apud me valet, cupidissime exspectabo.

Non enim te fugit, Griesbachi doctissime, fuisse qui in arte dialogorum conscribendorum Ciceronem cum Platone contenderent, et malignius de illo iudicarent, quod illum voluisse quidem imitari Platonem, divinum vero eius ingenium assequi non potuisse dicerent. In quo primum inique agunt, quod omnes Ciceronis dialogos eodem pede ac modulo metiuntur. Sunt enim quidam, ut Tusculanae disputationes, negligentius scripti, vel ita compositi, ut in iis extremam scriptoris manum ac limam desideres. Hos autem tres de Oratore dialogos videor mihi iure ab hac negligentiae suspicione vindicare posse. Plerique quidem Platonis dialogi magis actuosi sunt, et propius ad dramaticum poëseos genus accedunt; nihilo secius tamen illa disputandi ratio, quam Cicero in libris oratoriis expressit, propriis ornamentis non caret. Quid quod ipse Plato non

omnino abhorruit ab hoc genere, quod iisdem personis longiores sermones tribuit, quorum perpetuitas a colloquentibus haud interrumpitur? Cuius rationis exempla sunt in Phaedone et in Symposio. Ac ne imitari quidem in conformatione dialogorum de Oratore Cicero Platonem suum voluit, sed diserte professus est, se in iis conscribendis animum ad Aristotelem imitandum appulisse. Etenim ad Lentulum scribens epist. I, 9: *Scripsi etiam*, inquit, *Aristoteleo more*, *quemadmodum quidem volui*, *tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore*, *quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis*, *et omnem antiquorum et Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam complectuntur.* Respicit nimirum Aristotelis ἐξωτερικοὺς libros (de quibus nuper Buhlius V. C. diligentius disseruit), quorum multi erant per dialogos scripti et prooemiis ornati. Aristoteles tamen, ut ex ep. ad Attic. XIII, 19 intelligitur, ita solebat sermonem inducere ceterorum, ut penes ipsum esset principatus; quam rationem Cicero in libris de finibus bonorum et malorum tenuit. In Oratoriis autem libris artificiosior ei ratio placuit, quae antiquiores personas inducit, quam ut suae quoque partes esse possent. Id ipse profitetur l. l. ubi: *Sunt etiam*, inquit, *de Oratore nostri tres*, *mihi vehementer probati. In eis quoque eae personae sunt*, *ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur*, *Antonius*, *Catulus senex*, *C. Iulius*, *frater Catuli*, *Cotta*, *Sulpicius. Puero me hic*

sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae. Quare etiamsi hi libri multum a plerisque Platonicis differant, facile tamen spero me tibi, Griesbachi, qui quae pulcra et apta sint, incorrupto iudicio examinare soles, persuasurum, Ciceronem eos aptissime et ornatissime composuisse, ut mirandum non sit, eos non modo ipsi, sed Attico quoque, Quintiliano, aliisque vehementer fuisse probatos. Ac tempus quidem, quo Cicero hos dialogos habitos esse fingit, incidit in A. V. C. 662, L. Marcio Philippo, Sex. Iul. Caesare Coss. Eo anno M. Drusus, M. fil. tribunus plebis, iudicia, quae lege Sempronia C. Gracchi a. 630 ad equites translata, a. 647 lege Q. Servilii Caepionis cum utroque ordine, senatorio et equestri, communicata, paulo post tamen lege Servilii Glauciae iterum solis equitibus reddita fuerant, nova lege denuo cum senatu communicare cupiebat. Quare eius tribunatum Cicero (de Orat. I, 7) pro auctoritate senatus susceptum dicit, alioque loco pro Milone c. 7 eum senatus propugnatorem ac paene patronum appellat. Sed quum diversa hominum studia essent, et senatus ipse factionibus divideretur, Drusi consilia nec equitibus, nec in senatu omnibus placebant, in quo Drusus acerrimum habuit adversarium consulem ipsum L. Philippum. Inter eos autem, qui legi iudiciariae Drusi favebant, eminuit L. Licinius Crassus, qui iam olim legem Servilii Caepionis populo suaserat. Aptissime igitur Tullius fingit hos de Oratore sermones in Tusculano Crassi habitos esse ludorum romanorum diebus, quos eo anno M.

Claudius Marcellus aedilis edebat. Itaque quum se colligendi causa Crassus in villam istam secessisset, eodem Q. Mucius Scaevola, socer eius, et M. Antonius, qui anno 654 consul fuerat, summa cum Crasso familiaritate coniunctus, omniumque eius consiliorum in rep. socius, venisse dicitur. Cum ipso autem Crasso exierant adolescentes duo, C. Aurel. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, et P. Sulpicius Rufus, eius aequalis, qui tum deinceps eum magistratum petiturus putabatur, quem deinde a. V. 665 gessit. Eos quod adolescentes appellat Cicero, te non fugit more romano, non nostro interpretandum esse. Vterque enim iam trigesimum annum excesserat. Primo igitur die quum tres illi consulares de temporibus illis ac de universa rep. colloquuti essent, Crassi humanitas hospites ab illa sermonis tristitia ad hilaritatem traduxit, ac summo iocandi lepore effecit, ut quum accubuissent, dies inter eos curiae fuisse videretur, convivium Tusculani. Postero autem die quum illi maiores natu satis quiessent, ventumque esset in ambulationem, platani aspectu Scaevola admonetur, ut sub eius umbra considere velit, in quo suavissima fit cum illa platano cuius umbram sequutus est Socrates in Phaedro Platonis comparatio.

In personis autem dialogi informandis Cicero ubique quid cuique conveniret, diligenter spectavit, magnamque artem ac solertiam in eo potissimum demonstravit, ut passim res publice privatimque ab iis gestas tangeret, earumque mentione iniecta collo-

quii vere habiti naturam et veritatem callidissime imitaretur. Itaque in Scaevola, qui multo maiore iurisprudentiae quam eloquentiae laude florebat, videas licet, quam apposite is se Crassi in iure civili praeceptorem profiteatur c. 10; quam apte colloquii sui cum Apollonio mentionem faciat, quem Rhodi quum praetor ad Asiam regendam proficisceretur a. V. 632 convenerat (c. 17), et quam idoneum sit auguri, Crassum collegam in auguratu alloquenti, ut auspiciorum (I, 9) quibus uterque cum reip. salute praeesset, mentionem faciat. Quod autem Cicero hunc Scaevolam non toti colloquio interesse, sed finito sermone, qui libro primo continetur, discedere voluit, eius rei rationem ipse Attico reddidit IV, ep. 16 ubi, *Quod in iis libris*, inquit, *quos laudas, personam desideras Scaevolae, non eam temere dimovi, sed feci idem quod in* Πολιτείᾳ *deus ille noster Plato. Quum in Piraeeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem, quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex; deinde quum ipse quoque commodissime loquutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere, neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego satius hoc mihi cavendum putavi in Scaevola, qui et aetate et valetudine erat ea, qua esse meministi, et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur eum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus*

a Scaevolae studiis. Reliqui libri τεχνολογίαν *habent, ut scis. Huic ioculatorem senem illum, ut noras, interesse sane nolui.* Sed in extremis h. l. verbis lectio etiamuum vacillat. Olim multi legebant *huic ioculatoriae disputationi senem illum*, cui sane praeferenda est altera lectio *huic ioculatorem senem illum*; attamen ne illa quidem, ut iam Malaspina iudicavit, a Cicerone profecta esse videtur. Quid? si legamus: *huic senem illum, cavillatorem ut noras, interesse sane nolui.* Verebatur igitur Cicero, ne Scaevolae persona parum apta esset disputationi de artis praeceptis, utpote qui totam artem rhetoricam eiusque praecepta irridere atque cavillari soleret; quemadmodum de philosophis lib. III, c. 31 ait, eos *irridentes oratorem*, ut illum in Gorgia Socratem, *cavillari.* Neque vero non agnoscas Scaevolam cavillatorem, comem quidem et urbanum, in his quae dicit lib. I, c. 9, 10; item in extremis eiusdem libri verbis, ubi Scaevola suaviter pungit Antonium, quod is ius civile pervellerit, et tamen se id nescire confessus sit. Et quum Scaevola comitatis laude floreret (Brut. c. 58), eam Cicero hic quoque I, 9, breviter tangit his verbis: *Tum Scaevola comiter, ut solebat.*

Crassum autem Cicero sic induxit loquentem, ut in eo propriam eius gravitatem, urbanitatem, doctrinae copiam, elegans et ornatum dicendi genus facile agnoscamus, quod laudatur in Bruto c. 38 sqq. Verisimilior autem fit sermo facta quaesturae suae mentione, in Asia gestae, ex qua per Macedoniam

redux Athenas venit I, 11, III, 20; ubi ingenue narrat, se diutius fuisse moraturum, nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quae biduo serius venerat, succensuisset. Agnoscis arrogantiam hominis romani, in inferiore tum magistratu constituti, qui ab Atheniensibus eiusmodi aliquid postulare auderet. Memoratur eius accusatio C. Carbonis I, 9, 33, eiusque in censura a V. 660 gesta cum collega Cn. Domitio Ahenobarbo altercatio II, 56, aptissimoque loco edicti censorii in mentem ei venit, quo Latini artis oratoriae praeceptores claudere ludum impudentiae iussi sunt III, 24. Bene etiam haec personae Crassi respondent, quod socerum suum Scaevolam, cuius filiam Muciam in matrimonium duxerat, III, 18, quod socrum Laeliam, C. Laelii sapientis filiam, laudat III, 12, quod ubi suum dicendi genus cum Antoniano comparat, utriusque χαρακτῆρα verissima descriptione exsequitur III, 9. Ceterum facile perspicitur, Ciceronem, quae ipse de oratoris officio, veraque artis oratoriae dignitate ac recto eloquentiae studio senserit, Crasso tribuisse.

In Antonii persona probabiliter Tullius instituit, ut cum libelli sui, quem unicum scriptum reliquerat, mentionem facientem induceret I, 20, narrantemque, se, quum pro consule in Ciliciam proficisceretur complures dies Athenis propter navigandi difficultatem commoratum quotidie doctissimos homines secum habuisse, I, 18. Praeterea quum Antonius eruditionem suam dissimulare solitus esset

utpote qui probabiliorem populo orationem fore censeret, si omnino didicisse nunquam putaretur, apte eum finxit Cicero contra Crassi sententiam disputare, qui oratori iuris civilis, philosophiae, omniumque fere artium cognitionem necessariam esse docuerat, I, 50 sqq. Nec minus apte Antonius se leviter Graecis literis tinctum esse profitetur I, 18, artemque oratoriam nunquam didicisse c. 48, et quum lib. II, c. 14 in ista Graecarum literarum scientiae dissimulatione deprehensus esset, callide se tantum quosdam Graecorum libros, dato otio, delectationis causa attigisse concedit.

Sed illud discrimen, quod in ipso orationis genere inter Crassum et Antonium intercedebat, quodque diligenter est in Bruto c. 47 sqq. expositum, aut noluit imitari Cicero, aut se id assequi posse desperavit. Veritus tamen, ut opinor, fore quosdam, qui illius discriminis imitationem in his libris desiderarent, eorum reprehensioni veteratorie potius quam vere et subtiliter occurrit his verbis III, 4: *Quod si quis erit, qui ductus opinione vulgi aut Antonium ieiuniorem aut Crassum pleniorem fuisse putet, quam quomodo a nobis uterque inductus est, is erit ex iis, qui aut illos non audierint, aut iudicare non possint.*

In Cotta et Sulpicio pudor et modestia I, 35, incredibilis discendi cupiditas I, 21, 30 laudatur, et quibus rebus alter ab altero in dicendi genere differret, III, 8 aptissimo loco exponitur.

Catuli quoque perquam apposite memoratur oratio

in laudem matris Popiliae habita II, 11, praeterea eius in oratione puritas gravitasque laudatur (III, 8). C. Iulio Caesari autem L. F., quod et superioribus et aequalibus suis omnibus festivitate et facetiis praestiterat (Brut. 48) aptissimę locum de iocis et facetiis pertractandum commisit.

Vt autem hi de Oratore libri dialogi vere ab interlocutoribus habiti formam callidius exprimerent, hoc quoque artificio Tullius assequutus est, quod multorum ex istius aetatis memoria hominum mentionem iis illigavit, quibuscum Crassus et Antonius vixissent. Apte igitur memorantur M. Marcellus aedilis (I, 13), Ser. Galba Pater (I, 13, 53), Scaevola pontifex (I, 37, 39), P. Rutilius Rufus (I, 53) multique alii, etiam obscuriores, ut Coelius et Varius (I, 25). Ne Graeci quidem homines, quibus Antonius et Crassus usi erant vel amicis vel doctoribus, praetereuntur; ut Charmadas, Clitomachus, Aeschines, Metrodorus (I, 11, II, 88), Apollonius Alabandensis (I, 28), Asclepiades medicus (I, 14).

Praeterea pro egregia lectionis copia, qua pollebat, Cicero suavissima rerum varietate hos dialogos exornavit, scriptores quam plurimos vel Graecos vel Latinos excitando, quos a Crasso Antonioque lectos esse seu vere perhiberet, seu probabiliter fingeret. Itaque ex Graecis, poëtis quidem, laudantur Homerus (III, 1), Aeschylus, Sophocles, Euripides, Aratus et Nicander (I, 16); ex historicis, Herodotus, Thucydides, Philistus, Theopompus, Ephorus, Xenophon, Timaeus (II, 13); ex philosophis, Py-

thagoras, Democritus aliique multi (III, 15, 16, 17), Aristoteles (II, 31 et saepius), Philo (III, 28). Memorantur etiam Graecorum libri de ridiculis (II, 72), eorumque laudationes (II, 84). Oratorum Graeciae praecipuorum naturae breviter et presse describuntur (III, 7), ubi suavitas Isocrati, subtilitas Lysiae, acumen Hyperidi, sonitus Aeschini, vis Demostheni tribuitur. Ex latinis poëtis mentio fit Ennii (I, 34, 43, 44), Pacuvii (I, 58), Lucilii (II, 6), Terentii (II, 80). Ac ne de oratoribus romanis dicam, multi etiam artifices, quos Crassus Antoniusque noverant, idoneis locis nominantur, ut Roscius comoedus (I, 27, 28, 60; III, 26), Aesopus (I, 60), Valerius cantor scenicus; immo quidam ex leviorum quoque artium genere, ut magister ille Samnitium, ut Titius in pilae, Brullas in talorum lusu exercitatus (III, 23).

Aptissime vero Cicero summos illos oratores, et in maximis causis versatos identidem inducit mentionem facientes nobilium causarum, quarum ipsi vel testes, vel actores fuerant. Huiusmodi sunt celeberrima causa Curiana, et controversia inter Claudios, Marcellos et patricios, utraque centumviralis (I, 39), itemque publicae Galbae, L. Opimii, Norbani causae (I, 53, II, 25). Suave etiam hoc est, quod interlocutores huius dialogi interdum exempla ex eorum quibuscum colloquuntur orationibus petunt. Sic Antonius locum affert ex Crassi oratione, qua legem Serviliam Caepionis de iudiciis suaserat (I, 52), aliumque ex eius oratione censoria

contra collegam Domitium (II, 11). Sic Caesar Crassi quasdam orationes laudat (II, 55). Ipsi quoque, quod non minus aptum et consentaneum est, suas orationes commemorant, ut Antonius eas quas pro M. Aquilio, et pro C. Norbano habuerat (II, 47); Caesar dictum in Helvium Manciam (II, 66); Crassus orationem suam in causa Curiana habitam (II, 6).

Praeterea per totos hosce libros fusus est gratissimus quidam urbanitatis color. Hanc tu, Griesbachi, mecum, ut spero, agnosces in laudibus oratoriae facultatis, quas invicem interlocutores sibi tribuunt, in quibus nihil assentandi gratia dictum, omnia potius veritati et officio data videmus. Ita Scaevola Crassi multiplicem civilium et forensium rerum scientiam (I, 17); Crassus Cottae et Sulpicii ingenium, et in hoc praesertim omnia, quae essent in specie posita, divina (I, 29); idem Antonii vim, animum, dignitatem in oratione pro Norbano (II, 29); Antonius indolem ac studia Sulpicii (II, 21), in Crasso autem summa elocutionis ornamenta (II, 28) laudat. Atque ut in his laudibus nihil est ineptum, nihil molestum, nihil arcessitum aut affectatum, ita quoque ii, qui sic laudantur, eas ita excipiunt, ut quod est romanae urbanitatis, eas nec prorsus amoliantur, nec tamen omnes sibi vindicent, sed potius partem earum amicorum studio et benevolentiae tribuant. Itaque videas licet, quam decore Crassus doctrinae laudes a Scaevola sibi tributas extenuet (I, 17), quam ingenue fateatur, se in principiis dicendi, quod scilicet eventus orationis hominumque exspe-

ctationem timeat, exalbescere (I, 26). Omnino pudorem illum, quem in Crasso mirificum fuisse Cicero ipse testatur, multis locis callide expressum videmus; inde urbana illa scientiae suae dissimulatio, inde negotium, quod sibi a Cotta et Sulpicio impositum videt, de arte oratoria disputandi saepius detrectatum.

Multum etiam suavitatis habet comitas illa et facetiae, quibus vel severitas in refutando, vel austeritas in reprehendendo, vel denique pertinacia recusandi temperatur. Vt quum Scaevola negat, nisi hic in Crassi regno esset, se laturum fuisse, quod ille quasi suo iure sumserit, oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissime posse versari (lib. I, c. 10); quod caput totum est festivitatis plenissimum; aut quum Crassus Sulpicium reprehensurus, iocose negat, se id sine suo periculo facere posse, quoniam Antonius sibi eum simillimum dixerit; (III, 12) aut quum Crassus adolescentibus eum de arte dicentem audiendi cupidissimis, peripateticum Staseam commendat (I, 22).

Denique ad pulcritudinem horum dialogorum insignis cumulus accedit ex varietate colorum, quibus pro diversa rerum dignitate sermo omnis distinguitur; ita ut de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de pervulgatis nova esset oratio (III, 14), eaque passim, ubi res ipsa postulare videretur, exsurgeret, et maiore quodam spiritu ac sono uteretur. Nihil igitur his libris ornatius fingi potest; nihil etiam in collocatione verborum eorumque modo quodam et

forma diligentius. Neque tamen uspiam putidum quoddam delectationis aucupium apparet; tanta potius est varietas in compositione, numerique sic inter se misti ac temperati, ut aures nihil ad voluptatem desiderent, nec unquam satietate et fastidio elaboratae concinnitatis offendantur.

Prooemia autem, quibus Cicero tres de Oratore libros ornavit, insignem habent vel ex argumento, vel ex elocutione venustatem. Quem enim non cum delectatione moveat fraternus erga Quintum amor, et pietas in patris memoria recolenda? Quis non suspiciat liberalitatem ingenii, qua neminem statuit oratorem esse posse omni laude cumulatum, nisi sit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consequutus? Quis denique commotum se non sentiat humanissima illa narratione de Crassi oratoris morte, vix decem diebus post illos sermones, quos Cicero his libris comprehendit, consequuta, tristique ceterorum virorum, qui tum cum illo postremum fere colloquuti erant, eventu. Qua in narratione me illud praecipue movere solet, quod queritur Antonii in his ipsis rostris, in quibus ille rempublicam constantissime defendisset, positum caput illud fuisse, a quo essent multorum civium capita servata. Cui enim ista legenti non obversetur triste Ciceronis fatum, quem scimus ab illius Antonii scelerato nepote post annos XII, quam ista scripserat, eodem supplicio, quod hic in avo deplorabat, eademque post caedem contumelia affectum esse?

Praecipuam igitur horum librorum dotem, Grie-

sbachi, facile concedes esse in pulcra compositione membrorum, aptaque sermonum singulis personis tributorum conformatione, omnibusque elocutionis ornamentis coloribusque inter se elegantissime dispositis. Vnum tantum locum excipio, a iusta dialogorum ratione abhorrentem, ieiunam nempe illam figurarum orationis, et sententiarum et verborum enumerationem (lib. III, c. 53, 54), qua sane Cicero rectius abstinuisset.

Sed si de materia et argumento horum librorum quaeritur, facile patet Ciceronem totum a Graecis pendere, neque vero id ipse celare lectores voluit, quippe qui diserte profiteatur, se his libris Aristoteleam et Isocrateam rationem de arte rhetorica complecti voluisse. Et vero Ciceronis ingenium erat eiusmodi, quod philosophia valde delectaretur quidem, et quae Graeci reperissent, scite et ornate latinis literis exponere posset; nihil tamen ipsum novi repeririet, immo multa ne intelligeret quidem, aut minus acute ac subtiliter diiudicaret.

Nostra autem aetas quum nimis abundet philosophorum libris subtiliter quidem at horride ac ieiune scriptis, quorum plurimos cum sacculis aranearum plenis comparare liceat, identidem revocanda est ad libros antiquorum hominum, qui parum se in libris effecisse putabant, si quae recte sentirent, quocumque modo eloquerentur, sed id praecipue agebant, ut quae cogitarent, polite eloquerentur, lectoresque orationis copia, varietate, ornatu allicerent ac delectarent.

Quae quum ita sint, non arbitror, Griesbachi, tibi operam meam in recensendis his libris positam, vanam et inutilem visum iri, si modo sit eiusmodi, quae veram Ciceronis manum multis locis restituerit attuleritque aliquid ad maculas librariorum a pulcherrimo corpore abstergendas. Etsi enim magnam vitae tuae partem in crisi librorum N. T. ita collocasti, ut textus veritatem ad minutissimarum rerum momenta exigeres, nunquam tamen passus es mentem tuam ad elegantiam orationis in optimis scriptoribus artiumque pulcritudinem hebescere; quare si tibi κρίσις nostra non displicuerit, iudicium tuum quasi quandam praerogativam habebo favoris eorum, qui in hisce literis regnare existimantur.

Et quod ad lectiones istas attinet, quas e codd. Guelferbytanis assumsi, non valde vereor, ne tuus, Griesbachi, sensus a meo abhorreat. Neque vero dubito te probaturum, quae auctoribus Ernestio, Wyttenbachio, Schneidero, aliisque Criticis, in textum recepi, etiamsi nulla codicum MStorum auctoritas accederet. Sed quae ipse meo ingenio obsequutus vel in textu mutavi, vel saltem mutanda esse in notis iudicavi, de iis quid ipse statuas, scire pervelim. Etsi enim non ignoro, te coniecturis criticis in crisi N. T. non multum tribuere, multo tamen saepius his locum esse in Graecis Latinisque scriptoribus emendandis, facile concedis, ita tamen, ut vanam coniectandi libidinem, quae neque familiaritate cum scriptoribus contracta, nec linguae

usu, nec historiae cognitione se tueatur, aut oderis, aut rideas. Non desunt enim, qui, si inter duo verba similitudinem quandam arripuerint, statim alterum pro altero in textu scriptoris, quem tractant, substituendum somnient. Itaque memini te suaviter aliquando iocari, quum diceres, si haberemus indicem ordine literarum elementariarum conscriptum vocabulorum a librariis permutatorum, non defuturos, qui diurna mercede operam ad faciendas coniecturas criticas locaturi essent. Huiusmodi coniectorum in re critica non magis similis esse velim, quam illorum interpretum, qui se Romanum episcopum in Apocalypsi invenisse putabant, aut historicorum, qui sedem Paradisi in Suecia vel Borussia deprehendisse sibi videbantur. Sed ut ipse multis locis ab Ernestio non dubitavi discedere, qui quamquam multa in his libris recte constituit, saepius tamen, quam ab eo exspectandum esset, aberravit, sic facile patiar me a te refelli, ubi ex iis, quae mutanda, vel transponenda, vel eiicienda statuerim, quaedam ut vera et integra a te defendi cognovero. Quibus in locis autem correctionem a me adhibitam probaveris, in iis non admodum vereor, ne ab aliis, quos penes harum rerum arbitrium est, Criticis reprehendar.

Quod reliquum est, Griesbachi carissime, ut ad ea quae in manibus habes, perficienda, absolvendamque novam N. T. editionem otium et valetudo contingat, ex animi sententia opto. Nos, quod superest nobis vitae, id ita transigemus, ut amici-

tiam nostram fundamentis adolescentiae constitutam, senes quoque sartam tectam conservemus, in eaque praecipuum secundarum rerum ornamentum, adversarum autem gratissimum solatium ponamus.

Scr. Halae XVII Decembr. cIɔIɔcccv.

PRAEFATIO

Novae horum librorum recensioni multum profuerunt MSS. codices tres Guelferbytani, quorum lectiones ab editione Ernestiana discrepantes diligentissime olim excerpserat Iac. Frid. Heusinger, vir doctissimus et Latinarum in primis literarum peritissimus. Schedarum eius usum benevole mihi concessit filius patre dignissimus, Conradus, de re scholastica et literaria optime meritus, qui me sibi hoc beneficio in perpetuum devinxit. Primus istorum codicum, ab Heusingero litera A notatus, in celeberrima Ducis Brunovicensis bibliotheca Guelferbytana membranaceus est, inter Gudianos N. 2, fol. In eo (praeter minores aliquot lacunas) desunt l. I, c. 28 verba ... *rum actorum est requirendus*, — usque ad c. 34. *Atque in ea exer...* In libro secundo desunt quatuor capita priora; pars capitis XII, cap. XIII, et pars capitis XIV, quae autem inter ista sunt media, misere luxata sunt, atque traiecta. In

libro tertio deest locus cap. V a verbis *etsi admonitum venimus* usque ad verba *non ut iure aut iudicio* cap. XXVIII. Ceterum codex iste non ipse mutilus est, sed ex mutilo descriptus.

Alter codex, quem Heusingerus nota B insignivit, est Gudianus 38 fol. membranaceus.

Tertius item, nota C designatus, est August. 12, 13. *Quarto*, itidem in membrana scriptus.

Hi igitur codices permultas praebuere lectiones vulgatis meliores.

Ex editionibus praecipuis contulimus Victorianam, Lambinianam, Gruterianam, Gronovianam, Ernestianam Ciceronis operum omnium; quibus accesserunt Oliveti et Lallemandi editiones. Praeterea Strebaei commentarium in libros de Oratore diligenter excussimus; et Omniboni editionem horum librorum, in Germania per Antonium Roberger a. 1497 typis repetitam, una cum Pearciana adhibuimus. Accesserunt complurium locorum emendationes tum nostrae, tum aliorum virorum doctorum, ut Wyttenbachii, Schneideri, Vossii, Iacobsii, Purgoldi, quarum partim in notis mentionem fecimus, partim hanc rationem habuimus, ut eas in textum reciperemus. Ita si quis nostram editionem cum Ernestiana comparare velit, speramus fore, ut quantum in lectione Ciceronis verius constituenda operae factum sit, neminem poeniteat.


Scr. Halae in Regia Fridericiana d. XXI Dec. cIↄIↄcccv.

CHR. GODOFR. SCHVTZ.

M. T. CICERONIS

DE ORATORE

LIBRI TRES



M. TVLLII
CICERONIS
DE ORATORE
LIBER PRIMVS

SVMMARIVM

Rogatus Cicero a Quinto fratre, ut quoniam quae sibi adolescentulo de arte rhetorica exciderant, vix iam provecta aetate et usu, quem ex tot tantisque causis consequutus erat, digna essent, aliquid de iisdem rebus politius perfectiusque proferret, quamvis vel fraude inimicorum, vel causis amicorum, vel publicis negotiis impedito vix otium ad scribendum concedatur, fratri tamen nec hortanti nec roganti se unquam defuturum ostendit.

Et quum ipse prudentissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statueret, Quintus autem eam ab elegantia doctrinae segregaret, et in quodam ingenii atque exercitationis genere poneret, Cicero quid Crassus et Antonius, viri omnium eloquentissimi clarissimique, de ea re senserint, se expositurum significat, cap. 1.

Hic obiter saepe quaerendum sibi visum esse ait, cur plures in omnibus rebus quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam non solum plures imperatores praestantissimos et reip. rectores egregios, quam bonos oratores fuisse, sed etiam in aliis artibus, in philosophia, in mathematicis, in musicis, in grammaticis multo plures quam in arte dicendi excelluisse. Immo etiam multo plures poëtas bonos quam oratores reperiri. Quod

hoc mirabilius debere videri, quod dicendi ratio non abditis e fontibus hauriatur, sed in medio posita communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versetur; neque vero dici possit, aut plures ceteris artibus inservire, aut maiore delectatione, aut spe uberiore, aut praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri, cap. 2-4. *Quare nullam aliam esse causam excellentium oratorum paucitatis quam rei quandam incredibilem magnitudinem ac difficultatem*, cap. 5. *Neminem enim posse oratorem esse omni laude cumulatum, nisi sit omnium rerum magnarum artem ac scientiam consequutus. Se tamen, ne hoc nimis immensum infinitumque videatur, ipso Graecorum exemplo sepositurum a ceteris dictionibus eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus iudiciorum ac deliberationum versetur, neque vero his libris quendam ordinem praeceptorum ab incunabulis puerilis doctrinae repetiturum, sed potius quae in hominum eloquentissimorum, Crassi potissimum et Antonii, disputatione versata sint, narraturum esse*, cap. 6.

Quum igitur A. V. C. 662 *Livius Drusus trib. pl. iudicia, quae lege Servilia Glauciae solis equitibus tradita essent, ut iterum cum senatu communicarentur, contenderet, consul autem Philippus, qui patronus dignitatis senatoriae esse debebat, vehementius in causam principum inveheretur, ludorum romanorum diebus L. Licinius Crassus colligendi sui causa se in Tusculanum contulerat. Eodem venerant socer eius Q. Mucius Scaevola, et M. Antonius, consiliorum eius in rep. socius et summa cum Crasso familiaritate coniunctus. Cum ipso Crasso exierant adolescentes duo, Crassi maxime familiares, C. Cotta et P. Sulpicius*, cap. 7. *Hi primo die quum multum inter se de rep. colloquuti essent, postero Crassus sermonem de dicendo intulit.*

In quo primum Sulpicium et Cottam ob egregiam dicendi facultatem quam adepti sint collaudat; eloquentiam enim esse omnium artium maxime admirabilem, utilissimam, iucundissimam; eamque nec in foro solum, sed etiam in otio dignitatem suam tueri, quum nihil sit iucundius aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis. Neque vero alia quam eloquentiae vi homines ad humanum cultum civilemque deductos esse, eandemque iam constitutis civitatibus leges ac iura descripsisse, cap. 8.

Scaevola cetera Crasso assentitur, duo tamen ei non concedit,

unum, *quod ab oratoribus civitates et ab initio constitutae et saepe conservatae sint; alterum*, *quod orator etiam remoto foro et Senatu in omni genere sermonis et humanitatis perfectus esse debeat*, cap. 9–10. *Cui Crassus ita respondet*, *ut primam Scaevolae reprehensionem silentio praetereat*, *alteram vero hoc argumento diluat*, *quod*, *etiamsi sibi multas artes philosophi vindicent*, *orator tamen*, *nisi omnes philosophiae partes*, *eam certe*, *quae sit de vita et moribus*, *cognitam ac tractatam habere*, *omninoque omnibus artibus*, *quae sint libero dignae*, *perpolitus esse debeat*, *quibus ipsis si in dicendo non utatur*, *tamen apparere*, *utrum sit earum rudis an didicerit*, cap. 11–16.

Scaevola, cap. 17, *negat se amplius cum eo luctaturum; at ipsius exemplo tamen*, *quippe qui omnia bene calleat*, *quae in forensibus rebus civilibusque versentur*, *neque tamen illam scientiam quam adiungat oratori complexus sit*, *veretur ne plus ei tribuerit*, *quam res et veritas ipsa concedat.*

Crassus eum iubet meminisse, *se non de sua*, *sed de oratoris facultate dixisse*, *et Antonius*, cap. 18–21, *ei concedit*, *multo locupletiorem in dicendo futurum*, *si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit; quod etsi difficile sit iis*, *qui ante*, *quam ad discendum ingressi sint*, *obruantur ambitione et foro*, *tamen in ipsa re ponendum esse atque eloquentiae natura.*

Sulpicius insperanti sibi et Cottae, cap. 22, *sed valde optanti utrique cecidisse fatetur*, *ut in istum sermonem Crassus et Antonius delaberentur; petitque*, *ut iam quid de omni genere dicendi sentiant*, *subtiliter persequantur. Crassus ipse hoc genus sermonis refugit*, *et potius ab Antonio quod vellent petendum esse monet. Sed quum eum Cotta haud dimitteret eique quaestionem proponeret:* an existimet artem aliquam esse dicendi, *primum iterum elabi tentat*, *et Graecorum morem in scholis ad quamcunque quaestionem respondendi ridet. Admonitus tamen a Scaevola*, *humanitatis esse non defugere eam disputationem*, *ad quam illum duo excellentes ingeniis adolescentes cupiant accedere*, *primum docet sibi artem dicendi aut nullam aut pertenuem videri. Ceterum non esse eam quidem negligendam*, *sed tamen alia quaedam esse ad consequendam eloquentiam multo maiora.*

Nempe, cap. 25, *naturam primum et ingenium multum valere; etsi adolescentes*, *si quid naturale forte non habeant*, *omnino a dicendi studio non sint deterrendi. Diligenter tamen esse*

oratori providendum, non ut iis satisfaciat, quibus necesse sit, sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat iudicare. Quare optimos etiam oratores in exordienda oratione perturbari; cuius rei causas Antonius, cap. 27, *uberius exponit; ac nihil rarius perfecto oratore inveniri posse fatetur. In quo Crassus miratur in arte histrionum tenui ac levi plus diligentiae quam in arte dicendi, quae maxima sit, adhiberi, et iterum collaudatis adolescentibus ob egregiam indolem ad dicendum, denuo sermonem alio transferre cupit. Sed iterum instanti Cottae et quaerenti, quid praeter naturae dona assumendum putet, respondet studium et ardorem quendam amoris,* cap. 30. *Quum autem studia nihil prosint perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo ferat deducatque, aliquis cognorit, rationem studii sui exponere aggreditur. Breviter igitur expositis artis rhetoricae capitibus exercitationem maxime commendat,* cap. 31-32. *In qua primum ab eo probatur consuetudo, causa aliqua posita consimili causarum earum, quae in forum deferantur, quam maxime ad veritatem accommodate dicendi; deinde vero monet optimum esse quam plurimum scribere, quum stilus sit optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister. Qua in exercitatione utilissimum esse graecas orationes latine vertere,* cap. 33. *Reliquas exercitationes breviter perstringit,* cap. 34.

Tum Scaevola a Cotta rogatus petendo impetrat a Crasso, ut quae peranguste referserit in oratione sua, copiosius explicet, cap. 35-36.

Crassus igitur primum iuris civilis *cognitionem oratori necessariam esse demonstrat exemplis hominum, qui iuris ignorantia turpiter lapsi essent,* cap. 37, *castigatque primum impudentiam eorum, qui absque illa scientia iudicia privata obeant, quum saepe maximae sint causae, in quibus certetur de iure civili,* cap. 38-40; *deinde etiam inertiam ac segnitiem, quum cognitio iuris neque magna nec difficilis sit, praesertim si aliquando ad artem redactum fuerit,* cap. 41; *praeterea eius mira quaedam sit in cognoscendo suavitas et delectatio,* cap. 42; *denique iuris scientia iis, qui ei praesint, honorem, gratiam, dignitatem afferat,* cap. 43, *senectuti autem celebrandae honestissimum praebeat perfugium.*

Secundo loco Crassus breviter monet, publica quoque iura, tum monumenta rerum gestarum, et vetustatis exempla oratori nota esse debere, cap. 45.

Hoc modo studiorum oratoris fontibus a Crasso demonstratis, illud insuper Sulpicius requirit, ut etiam vias earum rerum rationemque exponat, cap. 46. *Id autem Crassus Antonio demandat*, cap. 47.

Antonius, cap. 48, *se deprehensum fatetur, quod ea requirantur ab ipso, quorum ignarus sit, et quia, quod in causis vitare soleat, Crasso cogatur succedere. Tum oratorem sic describit, ut sit is, qui verbis ad audiendum iucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus, sitque praeterea voce, aetione et lepore quodam instructus. Tum adversus Crassum disputans negat oratorem civitatum regendarum aut philosophiae peritissimum esse debere*, cap. 50–51; *praesertim quum philosophorum praecepta pleraque a sensu vulgi valde abhorreant*, cap. 52–55. *Neque vero iuris scientiam oratori ita necessariam esse, ut Crassus putaverit, sine causa igitur et impudentiam et inertiam adolescentium, qui iurisprudentiam non addiscant, accusari*, cap. 56–59. *Nec reliqua studia, historiae, iuris publici, antiquitatis, etiamsi adiuvent oratorem, ei prorsus necessaria esse, praesertim quum non ita multum spatii habeant studiosi, si velint exercitationibus a Crasso recte commendatis operam dare. Ad harum studium et laborem iuvenes vehementer incitandos, reliqua ab oratoris proprio officio ac munere seiuncta esse*, cap. 60–61.

Quae quum dixisset Antonius, Sulpicius et Cotta dubitare visi sunt, cap. 62, *utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. Crassus autem Antonium fortasse, ut artem refellendi ostenderet, non quod vere ita sentiret, oratorium munus tam exiguis finibus circumdedisse suspicatur. Tanto facilius eum, quae ab eo de officiis praeceptisque oratoris quaesita sint, secundum hunc diem expositurum; hodie enim sat multa dicta esse.*

Tum Scaevola, libenter se auditurum fuisse Antonium, nisi in Tusculanum ad Laelium ire constituisset. Non enim sibi tam molestum fuisse, quod ius civile pervellerit, quam iucundum quod se id nescire confessus sit, cap. 63.

Cogitanti mihi saepenumero, et memoria vetera repetenti, perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima republica, quum et honoribus et rerum gestarum gloria florerent, eum vitae cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit quidem, quum mihi quoque initium requiescendi, atque animum ad utriusque nostrum praeclara studia referendi fore, iustum et prope ab omnibus concessum, arbitrarer, si infinitus forensium rerum labor, et ambitionis occupatio, de-

* *Vetera*) Puta monumenta veterum aut Atheniensium, aut etiam Romanorum, apud quos clarissimi quique viri maximis afficiebantur honoribus. Pryst.

* *Quinte frater*) M. Tullii frater Quintus Cicero primum quidem legatus Caesaris in Gallia, tum in Asia propraetor fuit. Non indisertum fuisse ostendit ad M. fratrem de petitione Consulatus liber. A triumviris proscriptus, quum a satellitibus efflagitarri, ut ante filium interficeretur, filius ut ante patrem, uterque simul occisus est, anno V. C. 711, ante Christum 43. *Appian. l.* VI *Bell. Civ. Plut. in Cic.*) id.

Ac fuit quidem, quum mihi quoque) Recte sic edidit Ernesti e vestigiis MSS. et edd. vett. Vulgo addebatur *tempus illud* post *quidem*, id quod a glossatore ex aliis Ciceronis locis ut Inv. I, 2, ad Div. X, 3, additum esse, monuit idem.

* *Ac fuit tempus*) Nempe post consulatum, quem cepi anno V. C. 691, aetatis suae 44, quo tempore rebus maximis pro salute publica gestis, plurimisque illatis periculis, reliquum vitae tempus in otio perquam honesto traducere iure poterat. Prys.

Referendi fore, iustum et prope ab omnibus concessum, arbitrarer) Vulgo sic interpungebatur: *referendi, fore iustum.* Sed vera constructio verborum haec est: *Ac fuit quidem, quum arbitrarer, mihi quoque initium, iustum ac prope ab omnibus concessum, requiescendi atque — referendi fore;* ut postea: *qui locus quietis — plenissimus fore videbatur.* Similem queritur L. Crassi fortunam lib. III, c. 2.

Et ambitionis) Nihil opus est cum Hotomanno Obs. I, 20, *ut ambitionis* rescribere.

* *Et ambitionis occupatio*) Multum laboris sumebant candidati in ambiendis honoribus; obibant urbem et municipia; homines nominatim salutabant, prensabant, deducebant; ludis edendis, largienda etiam pecunia suffragia populi captabant. Legit hic Hotomannus Observ. lib. I, cap. 5: *ut ambitionis occupatio*, hoc sensu, requiescendi initium iustum futurum fuisse, si quemadmodum

cursu honorum, etiam aetatis flexu, constitisset. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum, cum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. Nam, qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum, et turbulentissimae tempestates exstiterunt. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas, inter nosque recolendas. Nam prima aetate incidimus in ipsam perturbationem disciplinae veteris; et consulatu devenimus in medium rerum omnium cer-

ambitionis et petendorum magistratuum occupatio decursu honorum, sic etiam infinitus forensium rerum labor aetatis ingravescentis flexu constitisset. Pryst.

* *Decursu onorum*) Erant quidam quasi gradus honorum Romanis decurrendi. A quaestura ad aedilitatem, hinc ad praeturam et consulatum aspirabant. Cicero fuit augur, quaestor, aedilis, praetor, et proconsul Asiae. Idem.

Etiam aetatis flexu) Cod. Guelf. A, *aetatis etiam flexu*. Codd. Ox. V, Z, γ, *aetatis etiam cursu*.

* *Aetatis flexu*) Senectutem intelligit. Aetas hominum et vita quasi stadium est: utque in stadio erat meta, ad quam quum pervenissent, non pergebant ulterius, sed flectebant currum, et ad eum, unde profecti erant, locum revertebantur: sic in vita senectus est instar metae, ad quam ubi ventum est, vitae cursus veluti flectitur, et ad interitum declinat. Pryst.

* *Graves communium temporum*) Communia pericula, ut coniuratio Catilinae. Idem.

* *Varii nostri casus*) Plurimae cum sceleratis civibus contentiones, cum Vatinio, cum P. Clodio, tribuno plebis, a quo eiectus est in exsilium. Idem.

Moles) Cave hoc cum F. C. Wolfio, qui praeceptorem suum Vossium in versione huius libri germanica sequitur, delendum putes. Omittunt quidem codd. Guelf. A, B, C, et Ox. V, sed *moles molestiarum* opponuntur *quieti*, et *turbulentissimae tempestates tranquillitati*.

Inter nosque) Hanc lectionem vulgatae *interque nos recolendas* iam Strebaeus praetulit, ad effugiendam hexametri clausulam. Et *inter nosque* Pearcius edidit ex MSS. Cant. Norf. Bod. Bal. Ioan. Mag. et Nov. Ern. idem in Ed. invenit. Habent quoque edd. pr. usque ad Ald.

* *Prima aetate*) Anno V. C. 667, et consequenti, quum Tullius ageret annum vicesimum, exarsere bella civilia Cinnae, Marii, et Syllae, qui contra pristinum morem oppressa patriae libertate, principatum invadere tentabant. Pryst.

* *In medium rerum* etc.) Coniurationem Catilinae, quam ad excidium urbis erumpentem exstinxit sin-

tamen atque discrimen; et hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis fluctibus, qui, per nos a communi peste depulsi, in nosmetipsos redundarunt. Sed tamen in his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis, obsequar studiis nostris, et, quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causae amicorum, vel respublica tribuet otii, ad scribendum potissimum conferam. Tibi vero, frater, neque hortanti deero, neque roganti. Nam neque auctoritate quisquam apud me plus valere te potest, neque voluntate.

Ac mihi repetenda est veteris cuiusdam memoriae non sane satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quae viri omnium eloquentissimi, clarissimique senserint de omni ratione dicendi. Vis enim, ut mihi saepe dixisti; quoniam quae pueris, aut adolescentulis nobis ex commen-

gulari prudentia Tullius consul anno V. C. 691. Idem.

* *Et hoc tempus omne*) Hos de Oratore Dialogos Cicero scripsisse putatur anno aetatis suae 58, et V. C. 698, secundo vero anno post eius reditum, quum Clodianorum furore actus in exsilium cessisset. Pearc.

* *Post consulatum obiecimus*) Cicero post gestum consulatum gravem perditorum civium invidiam sustinuit. Accusatus est a P. Clodio, tribuno plebis, quod Lentulum Cethegum, et alios coniurationis cum Catilina socios interfici iussisset, quasi praeter ius fasque cives indicta causa e medio sustulisset. Tueri se poterat opibus amicorum, at abire maluit in exsilium, quam sua causa viros probos in periculum adducere. Statim domus eius a Clodio diruta, bona publicata; atque ii sunt fluctus, quibus quum eripuisset patriam, paene ipse submersus est. Paucis post mensibus, annitente praecipue Pompeio, revocatus est, eodem, quo expulsus fuerat, anno, qui fuit V. C. 694, ante Christum 58 (*Cicero*, *Plutarchus*, etc.). Ac paulo post, sedatis tempestatibus, hos ad Q. Fratrem libros scribit. Pryst.

A communi peste depulsi) Bene Pearcius hanc lectionem defendit adversus Gruterum, qui pro *peste* legendum censebat *pectore*; et Lambinum, qui *peste* deleri et *a communi* intelligi volebat, *a republica*. Apte idem contulit locum Orat. pro Sext. c. 19: *qui hac una medicina sola potuit a Reipublicae peste depelli.*

Veteris cuiusdam memoriae) Sensus est; repetere debeo, quod olim cogitari me memini, sed nondum perspicue vel ipse explicavi, vel ab aliis explicatum reperi; nam proderit ad explicandum id, quod requiris. Ern.

* *Ex commentariolis nostris*) Li-

tariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac sint aetate digna, et hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consequuti sumus; aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri: solesque nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire, quod ego eruditissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuam; tu autem illam ab elegantia doctrinae segregandam putes, et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam.

2. Ac mihi quidem saepenumero in summos homines ac summis ingeniis praeditos intuenti, quaerendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus rebus, quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam, quocunque te animo et cogitatione converteris, permultos excellentes in quoque genere videbis, non mediocrium artium, sed prope maximarum. Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces praestantissimos ex hac una civitate paene innu-

bros de inventione sub annum aetatis vicesimum Cicero scripserat, rudes et impolitos, si cum his conferantur. Porro commentarius, liber est, in quem referimus breviter aliquid memoriae causa. Pavst.

Vix hac sint) Addidi *sint*, quod h. l. commode abesse non potest. Maioragius alio modo constructionem sublevabat legendo: *quoniam quaedam pueris*. Sed *quae* b. l. aptius et concinnius est.

Eruditissimorum) Sic Guelf. A, B, it. Ox. 9, β, ed. Kob. Victor. Maiorag. idque h. l. significantius quam vulg. *prudentissimorum*.

Rebus) Codd. Guelf. B, C, *artibus*, quod vocabulum tamen quum paulo post ponatur, praestat h. l. *rebus*.

In quoque) Guelf. A, B, C, *in quocumque*.

**Mediocrium artium*) In pictura Xeuxis, Apelles, Protogenes: in statuaria Polycletus, Phidias, Lysippus: alii in aliis excelluere. Pavst.

**Prope maximarum*) In arte imperatoria maximi quique duces tum Graeci, tum Romani: in Mathematica, Euclides et Archimedes: in Medicis, Hippocrates, eiusque filius, Thessalus, Prodicus, Polybius, Dexippus, Hippocratie discipuli, et, qui secundas ab Hippocrate tenuit, Diocles, nomen suum commendarunt. De Philosophis dicetur infra. Idem.

merabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? Iam vero, consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rempublicam possent, multi nostra, plures patrum memoria, atque etiam maiorum exstiterunt, quum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur.

3. Ac, ne quis forte cum aliis studiis, quae reconditis in artibus, atque in quadam varietate literarum versentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude, aut cum boni senatoris prudentia comparandam putet; convertat animum ad ea ipsa artium genera, circumspiciatque qui in iis floruerint, quamque multi: sic facillime, quanta oratorum sit, semperque fuerit paucitas, iudicabit. Neque enim te fugit, omnium laudatarum artium procreatricem quandam, et quasi parentem eam, quam φιλοσοφίαν Graeci vocant, ab hominibus doctissimis iudicari, in qua difficile est enumerare, quot viri, quanta scientia,

Consilio ac sapientia) Sic infra c. 9, de Romulo; ne cui forte placeat lectio Guelf. B, C, *consilio ac sententia*; etsi de oratore in senatu dicente II, 9: *huius est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia.*

Versentur) Guelf. A, *versantur.*

Quamque multi; sic facillime) Victor. *quamque multi sint: facillime*; minus bene.

Omnium laudatarum artium) Ita edd. Ven. Mediol. C. Steph. et Lamb. ut et MSS. Cant. Gonv. Norf. Mag. Nov. et Ioan. quod recte Pearcius elegantius esse iudicavit vulgato: *laudatarum artium omnium.* Accedit illi lectioni auctoritas Guelf. A. At Guelf. B, *laudandarum artium omnium*, et Strebaeus *laudandarum* opponi putabat *artibus sordidis.*

* *Difficile est enumerare*) Vt omittam Pythagoram, Socratem, et alios vel antiquiores, vel minus nobiles, praecipuae Philosophorum sectae fuerunt omnino decem. Academica, quae fuit triplex, vetus Platonem habet auctorem, media Arcesilaum, nova Lacidem, aut ut alii volunt, Carneadem et Clitomachum. Sunt etiam qui quartam addunt Academiam, a Philone, et Charmida institutam, ut refert Sextus. Cyrenaica fluxit ab Aristippo Cyrenaeo, Eliaca a Phaedone Eliensi, Megarica ab Euclide Megarensi, Cynica ab Antisthene Atheniensi, Eretrica a Menedemo Eretriate, Dialectica a Clitomacho Calchedonio, Peripatetica ab Aristotele Stagyrita, Stoica a Zenone Citieo, Epicurea ab Epicuro Atheniensi. Quorum omnium diversas iisdem de

quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint; qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quaecunque possent, vel scientia et pervestigatione, vel disserendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, quam recondita in arte, et multiplici subtilique versentur? Quo tamen in genere ita multi perfecti homines exstiterunt, ut nemo fere studuisse ei vehementius videatur, quin, quod voluerit, consequutus sit. Quis musicis, quis huic studio literarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium paene infinitam vim et materiam scientia et cogitatione comprehenderit? Vere mihi hoc videor esse dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium studiis liberalissimis sint doctrinisque versati, minimam copiam poëtarum egregiorum exsti-

rebus opiniones colligere infinitum esset. Vide Clementem Alexandrinum lib. I Stromatum. Pavsr.

* *Sed omnia*) Gorgias Leontinus philosophus ad omnia, de quibus quisque audire vellet, paratum se denunciabat. Carneades item philosophus eloquentiae praesidio quidquid vellet, vel ab invitis extorquere poterat. Idem.

Scientia et pervestigatione) Sic necessario scribendum erat pro vulg. *scientiae pervestigatione*, nam scientia qua quis pollet non pervestigatur. Et sic lib. III, c. 33, componuntur *investigare et scire*.

Quam recondita) Vulgo *et quam*, sed illud *et* rectius omittunt codd. Guelf. B, C.

* *Ita multi perfecti*) Praeter Euclidem et Archimedem, artis principes, inter mathematicos claruere Archytas Tarentinus, Eudoxus Gnidius, etc. Pavsr.

Ei vehementius) Vulgo *ei scientiae vehementius*: sed *scientiae* debetur glossatori, qui non intelligebat *ei* pertinere ad *quo in genere*.

* *Quis musicis*) Cuius artis peritissimi fuere Aristoxenus cognomento Musicus, Xenophilus, Alcidamas Eliates etc. Pavsr.

Dedidit) Guelf. A, et ed. Victor. *dedit*.

Scientia et cogitatione) Sic emendavi vulg. *scientiae cogitatione*, quod non magis ferri potest quam supra *scientiae pervestigatione*. Cod. Gu. B, C, Ox. ♂, et ed. Kob. habent *scientia et cognitione*. Sed *cogitatione* verum est, et respondet synonymo *pervestigatione*, quo paulo ante usus erat.

* *Minimam copiam poëtarum*) Ante Ciceronis tempora multi quidem poëtae, sed pauci fuerunt excellentes. Et in Graecis quidem, heroici, Homerus tantum et Hesiodus;

tisse. Atque in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter, et ex nostrorum et ex Graecorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quam poëtae boni reperientur. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more et sermone versatur; ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum, in dicendo autem vitium vel maximum sit a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere.

4. Ac ne illud quidem vere dici potest, aut plures ceteris artibus inservire, aut maiore delectatione, aut spe uberiore, aut praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Atque, ut omittam Graeciam, quae semper eloquentiae princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus

lyrici, Pindarus, Anacreon; comici, Aristophanes, Menander; tragici, Euripides et Sophocles principatum obtinuere. Ex Latinis autem, nonnisi Q. Ennius, heroicus et tragicus: Lucilius satyricus, Plautus, ac Terentius, et alii pauculi nomen suum commendarunt. PAVST.

Quod hoc etiam mirabilius) Oliv. *quod hinc etiam mirabilius.* Verum illi formae similis est locus II, c. 2: *Quod hoc etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia.*

Vel maximum sit) Coniunctivum *sit* recepit Pearcius e MSS. Norf. Bal. Bod. item edd. Vict. Asc. Steph. Lamb. et comparavit II, 9: *ut ceteri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant, hic nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit.* Indicativum est tamen nescio quomodo probare videtur Heusinger ad Cic. offic. pag. 26.

* *Omnium doctrinarum inventrices*) Non ingenuarum modo, sed etiam illiberalium artium ferunt inventores fuisse Athenienses: *Primi lanificii, et olei, et vini usum docuere. Arare quoque et serere frumenta glandem vescentibus monstrarunt. Literae certe, ac facundia, et hic civilis ordo disciplinae veluti templum Athenas habent.* Iustinus lib. XI, cap. 6. Nihilominus ab Hebraeis, Aegyptiis, et Chaldaeis artes fluxisse ad Athenienses apud eruditos constat, et egregia inductione demonstrat Clemens Alexandrinus lib. I Stromatum. PAVST.

In quibus etiam dicendi vis) Vulgo:

etiam dicendi vis et inventa est et perfecta: in hac ipsa civitate profecto nulla unquam vehementius, quam eloquentiae studia viguerunt. Nam posteaquam, imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur. Post autem, auditis oratoribus Graecis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo et varietas, multitudoque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assequutus esset, adiungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum praecepta superaret. Erant autem huic studio maxima,

in quibus summa dicendi vis, quod non bene coit cum sequentibus verbis, *et inventa est et perfecta*. Nam dicendi vis neque quum primum invenitur statim est *summa*, neque quum *summa* est, perfici amplius potest. Itaque pro *summa* rescripsi *etiam*; sic Athenae recte dicuntur cum omnium doctrinarum inventrices fuisse, tum inprimis etiam dicendi vim invenisse et perfecisse. Emendationem nostram confirmat locus similis in Bruto c. 7: *Testis est Graecia, quae quum eloquentiae studio sit incensa, iamdiuque excellat in ea, praestetque ceteris, tamen omnes artes vetustiores habet, et multo ante non inventas solum sed etiam perfectas, quam haec est a Graecis elaborata dicendi vis et copia.*

* *Imperio omnium gentium*) Celeberrimas gentes, non tamen omnes, Romani subegere. In Oriente, Parthi semper indomiti. Septentrionem versus, ultra Albim romanum imperium nunquam extensum est: nedum ante Ciceronis aetatem fuisset toto orbe constitutum. Itaque vel hic utitur hyperbole Tullius, vel civium suorum auribus servit potius quam veritati. PRUST.

* *Totius rationis ignari*) Suetonius libro de claris Rhetoribus rhetoricam apud Romanos perinde ac grammaticam difficilius receptam, immo vetere senatusconsulto philosophos et rhetores ex urbe eiectos dicit, C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss. anno V. C. 594, ante Christum 160. IDEM.

Cogitatione) I. e. commentatione, et exercitatione. ERN.

Assequutus) In Guelf. B, C, Ox. 1, est *consequutus*.

quae nunc quoque sunt, exposita praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia vero (ut multis rebus possumus indicare) nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt. Quibus de causis, quis non iure miretur, ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri?

5. Sed nimirum maius est hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. Quid enim quis aliud, in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, praestantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiae propositis praemiis, esse causae putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis, atque irridenda est; et ipsa oratio conformanda, non solum electione, sed etiam constructione verborum; et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi; quod omnis vis ratioque dicendi, in eorum qui audiunt, mentibus aut sedandis, aut excitandis expromenda est. Acce-

Ingenia—nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt) Ernesti *hominibus* uncis inclusit. Sed optime hanc lectionem defendit Heusingerus ad Cic. de offic. I, 22, 7, et taceo locorum vel ex ipso Cicerone excitavit, in quibus est similis forma loquendi grata quadam negligentia commendabilis. E. c. de Or. c. 6: *et eorum quibus summa laus a nostris hominibus concessa est auctoritatem Graecis anteponam*; et c. 44: *si cum illorum Lycurgo et Dracone et Solone nostras leges conferre volueritis*; et statim: *Hominum nostrorum prudentiam Graecis anteferre.*

* *Ingenia*) *Nihil praecepta atque artes valent, nisi adiuvante natura,* inquit Fabius in procemio libri primi. *Quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis haec* de eloquentia *scripta sunt, quam de agrorum cultu sterilibus terris.* PAVST.

Quid enim quis aliud) Sic MS. Guelf. A, item Ox. V, Z, α, γ. Vulgo *quis enim aliud.*

Expromenda) Maiorag. et Victor. habent *exprimenda*. Sed *expromere* hic aptius.

dat eodem oportet lepos quidam facetiaeque, et eruditio libero digna, celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi, subtili venustate atque urbanitate coniuncta. Tenenda praeterea est omnis antiquitas, exemplorumque vis: neque legum, ac iuris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est; quae sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat: in qua quum omnes in oris et vocis et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintque, quos animo aequo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria? quae nisi custos inventis ordinatisque rebus et verbis adhibeatur, intelligimus, omnia, etiam si praeclarissima

Tenenda praeterea — — negligenda est) Iam Strebaeus quaesivit, cur haec separatim monuerit, quum iam antea dixisset *comprehendendam esse scientiam rerum plurimarum*. Sane suavius decurrerent et aptius cohaererent reliqua, si verba ista *tenenda praeterea — negligenda est* vel ut interpolata tollerentur, vel certe post *expromenda est* ponerentur. Fieri tamen potuit, ut Cicero, quum artis oratoriae magnitudinem ac difficultatem mirum in modum augere vellet, multa coacervando collocationem negligeret.

Ac iuris) Recepi *ac* e Guelf. B, C. In Guelf. A est *atque*. Vulg. *aut* h. l. minus aptum.

Plura dicam) Ernesti negat *plura* pro *multa* Ciceronianum esse. Sed bene illud defendit Heusingerus ad Cic. de offic. III, 32, 9. Satis enim commode hic extrinsecus assumi potest *quam opus est*, vel *quam de ceteris dixi*.

* *Scena*) In theatro scena erat sive teutorium sive tabernaculum, sive quaesitum frondibus umbraculum. Scenae tragicae, quibus ancipites principum casus exhibebantur, columnis, signis, ac regia magnificentia exornabantur pro dignitate argumenti. Comicae privatarum aedium speciem referebant. Satyricae mutuo nexis arboribus, montibus, speluncis, aliisque rebus agrestibus, instar topiarii operis deformabantur (*Vitruv.*) PRUST.

Ordinatisque) Vulgo editur *cogitatisque*, pro quo Ox. β habet *cognitisque*. Sed reponendum esse *ordinatisque* ex Augustino in princip. rhetor. p. 295 ed. Pith. primus vidit Burmann. in praef. ad Cic. Rhetor. p. 6. Nimirum orator non solum inventas res et verba, sed eorum quoque ordinem memoria comprehendere debet.

fuerint in oratore, peritura. Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est; hortemurque potius liberos nostros, ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut praeceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam, se id, quod expetunt, consequi posse confidant.

6. Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consequutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio: quae, nisi subest res ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem. Neque vero ego tantum oneris imponam, nostris praesertim oratoribus, in hac tanta occupatione urbis, ac vitae, nihil ut iis putem licere nescire: quamquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur, ut omni de re quaecumque sit proposita, ornate ab eo, copioseque dicatur.

Fuerint in oratore, peritura) Interpunctionem hanc merito Ernesti praetulit usitatae, *fuerint, in oratore peritura.*

Quae, nisi subest res) Pessimam interpunctionem Ernestianae editionis sensui prorsus contrariam: *quae nisi subest, res* — propagarunt tamen Harles. et Bipontini.

Neque vero ego tantum) Vulg. *neque vero ego hoc tantum.* In Kob. et Vict. est *hoc ego tantum;* — *ego* abest Guelf. A, B. Nos *hoc* delevimus, quod hic inficete abundat, et male repetitum videtur e sequentibus, *in hac tanta occupatione*, ubi pronomen demonstrativum apte et suo loco ponitur.

Videtur) Lectionem *videatur* MSS. Cant. Gonv. Bal. Bod. Mead. item Ed. Ven. Mediol. Lamb. defendit Pearcius, eaque est apud Quintil. II, 21, ubi hic locus citatur. Nullus tamen coniunctivo hic locus est; et clausulae membrorum insuavius ὁμοιοτελεύτῳ *videatur*, — *dicatur* finiuntur. Quid? quod statim et recte quidem positum recurrit *videatur* sequente periodo; ut vel hanc ob causam *videtur* hic melius sonet.

Ornate ab eo) Hunc ordinem verborum auribus gratiorem ascivimus

Sed quia non dubito, quin hoc plerisque immensum infinitumque videatur, et quod Graecos homines non solum ingenio et doctrina, sed etiam otio studioque abundantes, partitionem quandam fecisse video, neque in universo genere singulos elaborasse, sed seposuisse a ceteris dictionibus eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus iudiciorum aut deliberationum versaretur, et id unum genus oratori reliquisse; non complectar in his libris amplius, quam quod huic generi, re quaesita et multum disputata, summorum hominum prope consensu est tributum; repetamque, non ab incunabulis nostrae veteris puerilisque doctrinae quendam ordinem praeceptorum, sed ea, quae quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum, et omni dignitate principum, disputatione esse versata; non quod illa contemnam, quae Graeci dicendi artifices et doctores reliquerunt; sed, quum ea pateant, in promptuque sint omnibus, neque interpretatione mea

e cod. Gnelf. A. Vulgo *ab eo ornata.*

Partitionem quandam) Vulgo additur *artium*, quod iure a nobis expunctum esse nemo dubitabit, qui cogitaverit h. l. non de partitione omnium artium, sed de unius artis oratoriae partitione agi.

Deliberationum) Maiorag. *deliberatione.* I. H. Vossius clarorum qui vivunt Germaniae poëtarum facile doctissimus conj. *deliberationibus.* Quia tamen disceptationes aeque in iudiciis atque in deliberationibus valent, nolo quidquam hic mutari. Cic. de Inv. I, 5, deliberativum genus positum esse ait in *disceptatione* et consultatione civili; et de Offic. I, 37, contentio tribuitur disceptationibus iudiciorum, concionum, senatus. Nec dubito Ciceronem recte dicere potuisse *disceptatio deliberationum*, sicut II, 72 est *dicendi disceptatio.* Quod autem Ernesti ait, orationes quae in concione populi habeantur vel suadendi vel dissuadendi causa, esse illas quidem e genere deliberativo, sed in iis habendis tamen non esse proprie deliberationem, id prorsus non intelligo. Genus deliberativum sine deliberatione sane esset σιδηρόξυλον.

Re quaesita et multum disputata) Codd. Ox. V, β, γ, δ, ε, *requisitum et multum disputatum.*

Nostrae veteris puerilisque doctrinae) Cod. Guelf. β, *puerilis nostrae veteris doctrinae.*

Sed, quum ea pateant — neque interpretatione) Editur in omnibus: *sed quum illa pateant — neque ea interpretatione.* Ernesti aut *illa* aut simul *ea* delendum indicabat.

aut ornatius explicari, aut planius exprimi possint, dabis hanc veniam, mi frater, ut opinor, ut eorum, quibus summa dicendi laus a nostris hominibus concessa est, auctoritatem Graecis anteponam.

7. Quum igitur vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus, Drusique tribunatus, pro senatus auctoritate susceptus, infringi iam debilitarique videretur; dici mihi memini, ludorum romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse; venisse eodem, socer eius qui

* *Quum igitur vehementius inveheretur*) C. Sempronius Gracchus, tribunus plebis, anno V. C. 632, legem tulerat, qua iudicia publica a senatu, penes quem a regum tempore fuerant, quasi ab his non satis caste exercerentur, transferrentur ad equites romanos. Verum quum in iis non satis integra fide versarentur equites, ea rursus sibi vindicare conati sunt senatores anno V. C. 653, adnitente in primis M. Livio Druso, tribuno plebis, qui populum perniciosa spe largitionis, socios Italiae populos, promissa ipsis civitate, in equestrem ordinem concitavit, ac demum legem tulit, ut aequa ex parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent, sive trecentos equites et totidem senatores. Eam ob rem tota graviter Italia turbatum est; maxime a sociis populus, qui quum promissum a Druso ius civitatis non obtinerent, bellum sociale seu italicum conflaverunt. Drusus enim in senatu, ut caput malorum accusatus, quum domum inde se reciperet, inter turbam, incerto auctore, cultro vulneratus, in atrio corruit, ac paulo post obiit. Philippus tum erat consul, tam senatui ac Druso infensus, quam addictus equitibus, a quibus exerceri iudicia volebat. (*Velleius*, *Livius*, *Florus*, *Appianus* etc.) Prvst.

Dici mihi memini) Sic post Pearcium edidit Ern. e MSS. Ed. et edd. nonnullis antiquis. Ed. Ald. Victor. aliaeque omittunt *mihi*; quod tamen rectius servatur. Cicero enim se ipsum a Cotta accepisse huius rei memoriam significat.

* *In Tusculanum*) Quod in Tusculano agro aliquot post annis Ciceronis praedium fuit, nunc est insigne monachorum coenobium, diciturque *Grotta Ferrata*. Tusculum autem est *Frascati*. Prvst.

Venisse eodem, socer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur) Sic recte Maiorag. Olivet. Dormitabat Ernesti, quum lectionem edd. pr. *venisse eodem socerum eius, qui fuisse Q. Mucius dicebatur* et *M. Antonius* restituebat. Recte enim Heusingerus ad Cic. offic. III, 21, 4, monuit, saepe veteres dixisse *fuerat*, ubi nos *erat* soleamus. Nimirum, inquit, *fuo* vim verbi φύω unde natum est in eo quoque retinuit, ut praeteritum perfectae rei *fuerat* interdum *natum erat*, *factum erat*, *prodierat*, *erat* sonaret. Itaque de Or. I, 7 utique legendum: *Venisse eodem, socer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur*. Scriptura im-

fuerat, Q. Mucius dicebatur, et M. Antonius, homo, et consiliorum in republica socius, et summa cum Crasso familiaritate coniunctus. Exierant autem cum ipso Crasso adolescentes duo, Drusi maxime familiares, et in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suae collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, et P. Sulpicius, qui deinceps cum ma-

pressorum veterum, quam ibi revocavit Ernesti, non sensum solum, sed consecutionem verborum pervertit. Nec video, cur Pearcio placuerit lectio codd. Mag. Mead. Conv. et Harl. 1, 2: *venisse eodem socer eius (qui fuerit Q. Mucius) dicebatur.*

* (*Q. Mucius*) Q. Mucius Scaevola, Q. Scaevolae consulis anno 580 filius, C. Laelii gener, in Stoica disciplina, iurisque scientia, et omni literarum genere versatissimus. Ad quem audiendum a patre deductus est Cicero sumpta virili toga. Augur fuit anno V. C. 621. Observent eruditi eum cum Q. Mucio pontifice, ad quem, hoc Q. Mucio augure mortuo, se conferebat Tullius, minime confundendum esse. PRVST.

Qui tum tribunatum plebis petebat) Pearcius ad hunc locum «ita vulgati codd. inquit, contra MSS. auctoritatem, sed haec lectio aliam ob rationem vix sana videtur. Constat enim ex lib. III, c. 1 et 3 disputationes, quae in tribus hisce libris continentur habitas fuisse IV et III Id. Sept. constat item Crassum mortuum fuisse vix diebus decem post secundi diei disputationem, scil. XIII Cal. Oct. Cottamque paucis diebus post mortem Crassi depulsum fuisse per invidiam tribunatu, nec multis ab eo tempore mensibus eiectum fuisse e civitate. Vnde colligo Cottam his ipsis diebus ludorum romanorum fuisse tribunum plebis, eumque magistratum gessisse, non petiisse; tribuni enim plebis creari solebant XVI Cal. Sextil. ut constat inter scriptores de magistratibus romanis. Sequitur igitur Cottam, qui tribunatu depulsus fuit, vel sub finem Sept. vel initio Octobr. tribunusque creatus fuit XVI Cal. Sext. cum magistratum gessisse initio Sept. i. e. tum quum, ut hic dicitur, una cum Crasso in Tusculanum exierat.» Sed Pearcius non recordatus est hoc tempore tribunos plebis magistratum iniisse circa nonas Decembres; oblitusque est tribunis plebis nefas fuisse extra urbem pernoctare, praeterquam feriis latinis. Itaque verum est *tribunatum plebis petebat.* Nimirum Cotta iam tum, h. e. mense Sept. A. V. 662, in petitione erat occupatus, ut ad XVI Cal. Sextil. sequentis anni crearetur; propter invidiam autem depulsus est tribunatu, h. e. repulsam tulit, ut Cicero narrat lib. III, c. 3. Fortasse autem comitia tribunitia hoc anno dilata fuerunt in mensem Septembrem vel Octobrem; quod melius respondere videtur Ciceronis verbis, qui dicit Cottam paucis diebus post Crassi mortem tribunatu depulsum fuisse. Quae quum ita sint, nec Pearcii coniecturae, qua legendum putabat: *qui tum tribunus plebis erat*, nec Ernestio, cui placebat: *qui tribunatum gerebat*, suffragandum censeo.

gistratum petiturus putabatur. Hi primo die de temporibus illis, deque universa republica, quam ob causam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei colloquuti sunt. Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent; eo autem sermone confecto tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut, quum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis, eaque esset in homine iucunditas, et tantus in iocando lepos, ut dies inter eos curiae fuisse videretur, convivium Tusculani. Postero autem die, quum illi maiores natu satis quiessent, et in ambulationem ventum esset, tum Scaevolam duobus spatiis tribusve factis dixisse: Cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? Nam me haec tua platanus admonuit; quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cuius umbram sequutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ista aquula, quae descri-

Eo autem sermone confecto) Vulgo, *eo autem omni sermone confecto.* Equidem delevi *omni*, ut superfluum, et facile a librariis temere e proximo versu, ubi est *omnis illa — tristitia sermonis*, anticipatum.

* *Quum lauti accubuissent*) Solemnis ille mos fuit Romanorum, a nostro maxime discrepans, in lectulis mensae accumbere. Prius tamen ad sudorem abstergendum, quum vestibus lineis non uterentur, balneum petebant. Quadrans erat pretium in publicis balneis dari solitum. PAVST.

Quiessent — ventum esset, tum) In Guelf. C, item Ox. α, β, δ legitur *quiessent, in ambulationem ventum esse dicebat; tum.* Et sic Victor. Alii, ut Pearcius, et Ernesti edidere: *quiessent, et in ambulationem ventum esset, dicebat tum.*

* *Cur non imitamur*) Apud Platonem in dialogo, qui Phaedrus inscribitur, Socratea ad Ilissum, Atticae fluvium, molliter in herba recumbens, sub alta et patulis diffusa ramis platano, multa disserit. PAVST.

* *Phaedro*) Phaedrus, dialogus Platonis, in quo Socratem de divina pulcritudine, de dignitate animorum etc. disputantem inducit. Φαιδρός Graecis pulcher est. ID.

Ista aquula) Vulg. *ipsa*, cuius hic nulla vis est, sensu postulante in *ista* mutavi.

bitur, quam Platonis oratione crevisse. Et, quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abiiceret in herba, atque ita, quae philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est aequius. Tum Crassum: Immo vero commodius etiam; pulvinosque poposcisse, et omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, consedisse.

8. Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, Crassum sermonem quendam de studio dicendi intulisse. Qui quum ita esset exorsus: non sibi cohortandum Sulpicium et Cottam, sed magis utrumque collaudandum videri, quod tantam iam essent facultatem adepti, ut non aequalibus suis solum anteponerentur, sed cum maioribus natu compararentur; neque vero mihi quidquam, inquit, praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit, deducere. Haec una res in omni libero populo, maxime in pacatis tranquillis-

In herba) Sic codd. Guelf. A, B, C. Vulg. *in herbam*.

Atque ita) Vulg. additur *illa*, quod auctoritate cod. Guelf. A, ut superfluum et post *ita* insuaviter sonans eieci.

* *Pulvinosque*) Qui sacculi sunt, lana vel tomento farti, quibus ad sedendum mollius, vel ad genua commodius ponenda utimur. Pvst.

Consedisse) Hic addunt fere *dicebat*: quod Lambinum sequutus delevi. Elegantius enim hic abest.

* *Ex pristino sermone*) In quo de publicis calamitatibus collocuti fuerant non sine dolore. Pvst.

Exorsus: non sibi — compararentur; neque) Veram hoc modo interpunctionem restitui; nam *neque vero — inquit* apodosin facit protaseos: *qui quum ita essent exorsus*; quod non observatum est iis, qui in verbis *neque vero* novam periodum incipiunt. Ceterum in Guelf. B, C, scriptum est: *neque vero inquit mihi quidquam*.

Velit: unde autem velit) Ernesti sine dubio legendum esse contendit *velis*; sed eum reprehendisse Iac. Frid. Heusingerum doctissimus eius filius Conradus narrat in praefatione ad Cic. officia ab eo eum patris patruique notis edita pag. 45. Nempe in his tertia pers. sing. ut saepe ponitur infinite propter ellipsin τοῦ *aliquis*. Ceterum *autem* post *unde* male omittitur codd. Guelf. A, B, C.

Maxime) Sic codex Guelf. A. Vulg. *maximeque*; quo fit, ut nimium saepe illud *que* deinceps positum aures offendat.

que civitatibus, praecipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exsistere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam iucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus? Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque

* *Quod omnibus*) Nempe a natura datum omnibus animi sensa dicendo exprimere: quod pauci recte faciunt. PAVST.

Perpolita) Sicced. Kob. Oliv. Vulg. *polita*. Illa clausula suavior.

Quid tam porro regium) Facile Lambinus persuaderet legendum esse *quid porro tam regium*, nisi obstaret I. F. Heusingeri monitum l. l. pag. 53. Attamen etiam in Guelf. B, C, est *porro tam;* idemque affert Pearcius e MSS. Cant. Wag. Bod. Bal.

Tectus ipse) Lambin. *ipse tectus*.

Improbos) Recte hoc restituit Pearcius e MSS. Nov. Wag. Bal. Bod. Cant. Mead. Harl. 1, Edd. Asc. Man. Lamb. etc. pro inepta, quae est in aliis, lectione *integros*:

* *Vel te ulcisci lacessitus*) De ultione aliud alii veterum sensere. Damnarunt, Seneca lib. II de Ira cap. 32, Dion apud Plutarchum, et Iuvenalis: immo Maximus Tyrius dicit eum, qui se ulciscitur, iniquiorem eo, qui prior nocuit: ὁ τιμωρῶν τοῦ προϋπάρξαντος ἀδικώτερος. Approbavit Aristoteles lib. IV de moribus ad Nicomachum c. 11: Δοκεῖ γὰρ οὐκ αἰσθάνεσθαι οὐδὲ λυπεῖσθαι, μὴ ὀργιζόμενός τε οὐκ εἶναι ἀμυντικός. Τὸ δὲ προπηλακιζόμενον ἀνέχεσθαι, ἀνδραποδῶδες. Qui sic affectus est, *videtur et sensus et doloris expers*, *et quum non irascatur*, *ultionem negligere. Servile autem*, *si contumeliose tracteris*, *id tolerare*. Cui opinioni videtur accedere Tullius in Antonium: *sic ulciscar facinora singula*, *quemadmodum a quibusque sum provocatus*. PAVST.

Forum, *subsellia*) Strebaeus *forum* ad iudicia praetorum, *subsellia* ad causas minores et centumvirales refert. Et sic infra c. 11: *qui tantummodo in iure aut in iudiciis possit*, *aut apud populum*, *aut in senatu copiose loqui:* nam hic *in iure* est in

meditere, quid esse potest in otio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis? Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non iure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Vt vero iam ad illa summa veniamus; quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera, agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut, iam constitutis civitatibus, leges, iudicia, iura describere? Ac, ne plura, quae sunt paene innumerabilia, consecter, comprehendam brevi; sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum, et universae reipublicae salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et reipublicae emolumento esse possitis.

9. Tum Scaevola comiter, ut solebat, Cetera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Laelii, soceri mei, aut

causis civilibus, *in iudiciis* autem significat *in iudiciis publicis.* Fieri tamen potest, ut Cicero potius forum curiae opposuerit, et in foro partim *conciones*, partim *iudicia* cogitaverit, illas vocabulo *rostra*, haec per *subsellia* significando. Sic cap. 9: *quod, remoto foro, concione, iudiciis, senatu, statuisti* etc.

* *Forum, subsellia* etc.) In foro ius dicebant praetores, et iudices ab iis dati: unde causae forenses appellabantur. *Subsellia* esse tribunorum, triumvirorum, quaestorum, et aliorum minora iudicia exercentium scribit Asconius. *Rostra*, locus erat, ex quo dicebant oratores ad populum. *Curia*, ubi senatores et principes civitatis de rep. administranda inter se agebant. Pavst.

Vt quo uno) Guelf. A, *in quo uno.*

* *Laelii*) C. Laelius, de quo pluribus disserit Tullius in Bruto, Sapiens vulgo appellatus, ingenio, doctrina, poesi, et eloquentia clarus; a quo Terentium ipsum in scribendis comoediis adiutum refert Suetonius, ad amplissimos honores aditum sibi fe-

de huius, generi, aut arte, aut gloria detraham; sed illa duo, Crasse, vereor, ut tibi possim concedere: unum, quod ab oratoribus civitates et ab initio constitutas, et saepe conservatas esse dixisti; alterum, quod, remoto foro, concione, iudiciis, senatu, statuisti, oratorem in omni genere sermonis et humanitatis esse perfectum. Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum, in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsum potius, quam disertorum oratione delinitum, se oppidis moenibusque sepsisse? aut vero reliquas utilitates, aut in constituendis, aut conservandis civitatibus, non a sapientibus et fortibus viris, sed a disertis et ornate dicentibus esse institutas? An tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse, aut Sabinorum connubia coniunxisse, aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur, non consilio et sapientia singulari? Quid in Numa Pompilio? quid in Servio Tullio? quid in ceteris regibus, quorum multa sunt eximia ad constituendam rempublicam, num quod eloquentiae vestigium apparet? Quid exâctis regibus, (tametsi ipsam exactionem

cit, Africani Aemiliani amicitiam consequutus. Nec minus bellica virtute inclaruit: praetor Viriathi Lusitani feruciam repressit anno V. C. 609, ante Christum 145. Ac nisi fraus obstitisset Q. Pompeii competitoris, gessisset consulatum anno V. C. 613, ante Christum 141. PRVST.

Aut in constituendis) Guelf. B, C, ed. Oliv. *aut instituendis*. Ox. δ, ε, *aut in instituendis*, quod Pearcius recepit.

Aut conservandis) Ox. V, *aut in servandis*. Ox. Z, β, γ, δ, ε, *aut in conservandis*, quod placet.

Et ornate) Victor. *ornateque*.

An tibi) Sic recte Guelf. B, C, it. Ed. Kob. Vulg. *An vero tibi*.

Quid? in Numa) Bene sic Guelf. B, C. Vulg. *Quid enim?* ubi *enim* inficete redundat.

* *Numa Pompilio*) Is fuit rex secundus, qui Romanos bello ferociores ad humaniorem vitam superstitiosa religionis specie traustulit. Regnum, quod 43 annos tenuit, auspicatus est an. ante Christum 714. (*Livius* etc.) P.

* *Ser. Tullio*) Qui sextus Romanorum rex, instituto censu, populo in classes distributo, urbe amplificata, ac regno summa virtute per annos 44 administrato, generis sui ac filiae crudeli parricidio periit anno V. C. 219, ante Christum 535. (*Livius* etc.) In.

* *Exactis regibus*) Tarquinius Superbus, septimus Romanorum rex,

mente, non lingua perfectam L. Bruti esse cernimus) sed deinceps omnia, nonne plena consiliorum, inania verborum videmus? Ego vero si velim et nostrae civitatis exemplis uti, et aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus, quam adiumenta, per homines eloquentissimos importata; sed, ut reliqua praetermittam, omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios, quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens, et saepe alias, et maxime censor, saluti reipublicae fuit. Atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit; quod nisi fecisset, rempublicam,

longe sceleratissimus, quum Lucretiae stuprum intulisset, communi populi consensu Roma eiectus est; et cum eo simul regium nomen sublatum est exeunte anno V. C. 244, ante Christum 509. Regifugium VI Kal. Martii in Kalendario Romano notatur. Ex quo tempore regibus suffecti sunt consules, qui bini quotannis ad remp. regendam eligerentur. Primi fuere L. Iunius Brutus, et L. Tarquinius Collatinus. Id.

* *Quorum pater*) Tiberius scilicet Sempronius, qui Corneliam Scipionis Africani maioris filiam duxit uxorem. Bis triumphavit, primum de Celtiberis, deinde de Sardis bis consul, et anno V. C. 577, et anno 592, libertinos, qui per omnes antea tribus erant sparsi, transtulit ac redegit in urbanas tribus, quae quatuor tantum erant, et rusticis postponebantur; quemadmodum ex Varrone colligitur lib. II de re rustica, ut minus valerent in suffragiis ferendis, neque in eorum manu essent comitia, ut ait Livius: idque ille non erudita, et ad amussim elaborata oratione perfecit, sed imperio ac paucis verbis. Id.

Nutu) Pearcius testatur in codd. suis legi *nuda*. Idem habet cod. Erl. edit. pr. et Lips. Unice autem verum est *nutu*.

In urbanas tribus) Factum hoc est A. V. C. 588, quo anno Ti. Gracchus pater libertinos omnes in tribu Esquilina censeri iussit, quae erat una ex quatuor urbanis.

* *In urbanas tribus*) Populum romanum, ut tradit Dionysius Halicarnasseus, Romulus in tres partes divisit, quas tribus appellavit. Tribus prioribus totidem addidit Tarquinius Priscus. Ab hac opinione dissentit Livius, et urbem a Romulo quatuor in partes divisam, tribusque a tributo solvendo dictas existimat. Ceterum adeo tribuum numerus excreverat, ut Ciceronis aetate triginta quinque recenserentur. Urbanas tribus quatuor numerat Plinius, Suburranam, Palatinam, Collinam et Esquilinam. Prust.

* *Rempub. .... nullam haberemus*)

quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus? At vero eius filii diserti, et omnibus vel naturae, vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati, quum civitatem vel paterno consilio, vel avitis armis florentissimam accepissent, ita praeclara gubernatrice, ut ais, civitatum, eloquentia, rempublicam dissipaverunt. Quid leges veteres, mosque maiorum? quid auspicia, quibus ego, et tu, Crasse, cum magna reipublicae salute praesumus; quid religiones et caeremoniae? quid haec iura civilia, quae iampridem in nostra familia sine ulla eloquentiae laude versantur; num aut inventa sunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? Equidem et Ser. Galbam memoria teneo, divinum hominem in dicendo, et M. Aemilium Porcinam, et C. ipsum Carbonem, quem tu adolescentulus perculisti, ignarum legum, haesitantem in maiorum institutis, rudem in iure civili; et haec aetas nostra, praeter te, Crasse, qui tuo magis studio, quam proprio munere

Qoia libertini comitia, et suffragia pro arbitrio moderantes omnia perturbassent in eligendis magistratibus. Idem.

* *Avitis armis*) Virtute bellica, et victoriis avi materni Scipionis. Id.

* *Remp. dissipaverunt*) Latis agrariis legibus, quam ob causam, orta seditione, ambo caesi sunt. Id.

Mosque maiorum) Recte sic Guelf. B, C. Vulgo *mores maiorum*.

* *Auspicia*) Certae quaedam coniecturae ad res maioris momenti vel faciendas, vel omittendas apud Romanos ab avium cantu, volatu et pastu, interdum e caelo ipso peti solitae, quibus coniecturis et signis deorum voluntatem cognoscere se confidebant. Romani ab Etruscis auspicia habuere. Pryst.

Quibus ego) Vulgo *quibus et ego*. Melius *et* omittunt codd. Guelf. A, B, C, item ed. Kob.

Ser. Galbam) Recte *Servium*, non, ut olim edebatur, *Sergium*. *Servius* enim praenomen est, *Sergius* nomen gentilitium, ut bene Pearcius monuit. Est hic Ser. Sulpicius Galba, qui Cos. fuit cum M. Aemilio Scauro A. V. C. 645, idem, de quo Cicero fusius agit Brut. cap. 22.

C. ipsum Carbonem) Male Aldus lectionem *Cn. ipsum Carbonem* invexerat. Errorem correxere Lambinus, Pearcius, Ernesti, faventibus insuper MSS. Praenomen enim huius Carbonis fuit *Caius*, non *Cnaeus*.

Perculisti) Edd. vett. vitiose *perpulisti*. Perculsus a Crasso Carbo dicitur, quia ab eo ob seditionem Gracchanam graviter accusatus, cantharidibus sumtis iudicio se subtraxerat.

aliquo disertorum, ius a nobis civile didicisti, quod interdum pudeat, iuris ignara est.

10. Quod vero in extrema oratione quasi tuo iure sumsisti, oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque praeessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manum consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Agerent enim tecum primum Pytha-

In omnis sermonis disputatione) Guelf. B, C: *in omni sermonis disputatione*. Et fortasse Cicero scripsit: *in omni sermone ac disputatione*.

Praeessem) Cod. Ox. α, *praeissem*. Sed metaphora in *praeesse* ducta est a praetore, qui quaestioni praeest.

* *Interdicto tecum contenderent*) Interdictum, praetoris est edictum, quo iubet aliquid vel fieri, vel omitti. Sententia est: Multi litem tibi intenderent, et lege ac praetoris edicta tecum agerent, quod eam rem, quae pertinet ad alias artes, nimirum in omni disputatione copiose versari, tanquam oratori propriam, vindices illi, ac tribuas. Pavst.

* *Ex iure manum* (alii *manu*) *consertum*) Manum conserere est proprie in proelio venire ad manus. Transfertur autem a militiae certaminibus ad fori contentiones. Scilicet petitor, et is a quo petebatur, dicto die, in agrum litigiosum conveniebant, simulatoque conflictu, quasi per vim expellebatur ex agro petitor: hic deinde ad praetorem appellabat de vi, ac petebat ut sua sibi restituerentur. De hac locutione plura Gellius lib. XX, cap. 10. *Manu* pro *manus* dicitur, expuncta more veterum *s*: *consertum* in supino a *consero*, quod est committo. Ceterum huius loci sententia est: Multi repeterent ac restitui postularent, adhibita sollemni iuris formula, rem a te contra ius fasque occupatam. Id.

Agerent enim tecum) Vulgo *agerent enim tecum lege*. At enim *lege* h. l. additum friget; et abest Cod. Ox. β.

* *Pythagorei*) Philosophi, quorum dux Pythagoras. Hic autem ex insula Samo oriundus post diuturnas peregrinationes Crotone consedit, in ea Italiae parte, quae Magna Graecia appellata est, ibique incredibili concursu docuit. Quinquenne silentium, quod aliquando contraxit ad biennium, exigebat a discipulis, quibus nunquam licuit cum extraneis, hoc est non Pythagoricis, de iis, quae didicissent, loqui. Docuit μετεμψύχωσιν, caelum et stellas stare, terram moveri credidit, ut ex Plutarcho colligimus. Philosophum se primus appellavit, quum prius rerum naturalium interpretes Sophorum, sive sapientum, nomen sibi arrogarent, atque ut cecinit Ovidius XV Metam. *Mente deos adiit, et quae natura negavit Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.* Claruit, ut auctor est Diogenes Laërtius, Olympiade LX, annis ante Christum 540. Pavst.

gorei omnes atque Democritici, ceterique suo iure physici vindicarent, ornati homines in dicendo et graves, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret. Vrgerent praeterea philosophorum greges, iam ab illo fonte et capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitae didicisse, nihil omnino quaesisse, nihil scire convincerent: et quum universi in te impetum fecissent, tum singulae familiae litem tibi intenderent. Instaret Academia, quae, quidquid dixisses, id te ipsum negare cogeret.

* *Democritici*) Philosophi, quorum caput Democritus. Is autem patria Abderites risu solebat humanos omnes casus excipere. Censuit atomos rerum omnium esse primordia; quam opinionem Gassendus hac aetate ingeniosissime illustravit. Democritus an oculis se privaverit, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, ambigit Cicero libro V de Finibus; Plutarchus libro de curiositate falsum, Gellius lib. X, cap. 18, verum existimat. Aetatis annum 109 quum attigisset, sine ullo doloris sensu vita functus est, ut ex Hipparcho refert in eius vita Diogenes. Id.

Suo iure) Recepimus lectionem, quam Car. Langius ad Cic. Lael. c. 20, ex antiquo libro eruit; eamque probavit Heusingerus ad Cic. Offic. I, 1, 4, ubi eadem formula utitur Cicero: *videor id meo iure quodammodo vindicare*. Vulg. *ceterique in suo genere physici*. Quid autem hic significet *in suo genere*, nemo dixerit. Ernesti quidem interpretatur: *in sua quique secta*. Verum hoc ipsum misere friget. Pearcius e cod. Norf. affert lectionem *in suo iure*. At *in suo*, absque *genere*, codd. Guelf. A, B, C.

* *Iusto sacramento*) *Sacramentum litis genus erat, simile sponsionis*. Varro. Et qui petebat, et qui infitiabatur, de aliis rebus utrique quingentos aeris apud Pontificem deponebant, de aliis item rebus certum numerum assium. Qui iudicio autem vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad aerarium redibant. Sacramentum dixit pecuniam lite depositam apud Pontificem. Decepti sunt qui legerunt hic *apud pontem*, non *apud Pontificem*. Sensus est igitur: Philosophi disciplinarum possessione deiecti, tecum interdicto contenderent, quemadmodum ii qui ab auro deiecti sunt: aut vindiciarum litem tibi intenderent, et disciplinas suas assererent: aut iure possent agere tecum, et deposita pecunia contendere. Streb.

* *Academia*) Locus prope Athenas, ubi maximo discipulorum concursu philosophiam docuit Plato, cuius asseclae inde Academici sunt appellati. Paust.

Te ipsum negare cogeret) Recte, ut opinor, hoc Ernesti revocavit ex edd. pr. usqua ad Iunt. Nam etsi lectio, *te ipsum scire negaret*, quae ab

Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem haec ipsa, quae propria oratorum putas esse adiumenta atque ornamenta dicendi, ab se peti vincerent oportere: ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de his rebus, quam omnes dicendi magistros, scripsisse ostenderent. Missos facio mathematicos, grammaticos, musicos, quorum artibus vestra ista dicendi vis ne minima quidem societate contingitur. Quamobrem ista tanta, tamque multa profitenda, Crasse, non censeo. Satis id est magnum, quod potes praestare, ut in iudiciis ea causa, quamcunque tu dicis, melior et probabilior esse videatur; ut in concionibus et in sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio; denique ut prudentibus diserte, stultis etiam vere dicere videaris. Hoc amplius si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate, posse.

11. Tum ille, Non sum, inquit, nescius, Scaevola, ista inter Graecos dici et disceptari solere. Audivi enim summos homines, quum quaestor ex Macedonia venissem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis

Aldo fluxit, sensu bono non caret, tamen venustius est et efficacius alterum.

* *Stoici*) Nomen habuere ἀπὸ τῆς ςοᾶς, *a porticu*, quo ad disputandum convenire solebant. Cuius sectae fuit auctor Zeno Citieus e Cypro. Pavst.

Putas esse) Pearcius e compluribus MSS. rescripsit *putasses* (omisso *esse*) idque probavit Burm. ad Suet. Caes. p. 188, a. Ernesti dedit *putares esse*. Nulla autem ratio est, cur ab indicativo *putas* discedamus. Alia ratio est paulo ante in *quidquid dixisses*, quo frustra Pearcius ad firmandam lectionem *putasses* abutitur.

Contingitur) Pearcius edidit ex edd. ante Ald. et MSS. suis *coniungitur*. Sed Ernesti revocavit *contingitur* e cod. Erl. cui accedunt codd. Guelf. B, C, et est sane exquisitius.

Et in sententiis) Praepositionem recte repetit MS. Guelf. A.

* *Quaestor*) Hic apud Romanos magistratus publicae pecuniae in aliqua provincia curam gerebat. Quaestura Crassi incidit in annum V. C. 543, ante Christum 111. Pavst.

ferebatur, quod eam Charmadas et Clitomachus et Aeschines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipse illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum et copiosissimum. Vigebatque auditor Panaetii illius tui Mnesarchus; et Peripatetici Critolai Diodorus. Multi

Quod eam Charmadas) Optime docuit Pearcius, sic legendum esse, quum antea vulgaretur *Charneades*. «Sic enim Crassus diceret, se quaestorem, postea vero Antonius, se Proconsulem vidisse Carneadem, contra auctoritatem veterum scriptorum. Diogenes Laërtius enim ex Apollodoro scribit, Carneadem mortuum esse A. V. C. 625. Crassus vero quaestor fuit A. V. C. 643, et Antònius Proconsul A. V. C. 652. Imo Cicero ipse in Acad. Quaest. dicit, Carneadis legationem incidisse in A. V. C. 599. Si igitur Crassus quaestor vidisset Carneadem, Carneades post legationem vixisset annos 44, et si Antonius Procos. eum vidisset, vixisset annos 53 post legationem, quod non est verisimile. Idem e lib. III, cap. 18 colligitur. Nam si Crassus ipse Carneadem audisset, non ibi soceri aut Metelli usus esset iudicio, sed suo. Porro dicit ibi Crassus, Metellum adolescentem fuisse, quum audiret Carneadem *affectum aetate*. Metellus vero Consul fuit A. V. C. 645. Ergo non est credibile, Carneadem vixisse usque ad quaesturam Crassi, hoc est paene ad consulatum Metelli; multo minus ad proconsulatum Antonii. Deinde lib. II, cap. 37, itemque in hoc ipso loco, non de Carneade, ut homine, quem ipse noverit, Crassus loquitur, sed dicit: *hominem*, *ut ferebant*, *acerrimum*. Deinde, ut se habet vulgata lectio, Carneades Carneadis auditor dicitur, quo quid ineptius?» — His Pearcii rationibus adductus iam Ernesti reposuit *Charmadas*; quod hic in MS. Ioan. et Harl. 1, Ernesti etiam in cod. Erl. invenit.

* *Clitomachus*) Carthaginiensis philosophus, Carneadem audivit, eique successit. Tribus in sectis versatus est, Academica, Peripatetica, et Stoica. *Diogenes*. PAVST.

* *Aeschines*) Longe alius ab Aeschine Socratico, et ab eo rhetore, qui Demosthenis aemulus fuit. Fortasse Neapolitanus ille philosophus Academicus, cuius meminit Laërtius, aut Mitylenaeus, quem rhetoromastiga appellabant. ID.

* *Metrodorus*) Carneadis auditor, philosophus illustris, et arte pingendi clarus. ID.

Ipse) Vulg. *ipsum*, quod cur hic ponatur, nulla est ratio.

Illum Carneadem) Honoris causa additur *illum*, ut cap. 47, *Socratem illum* —. *Carneadem* habent Victor. Pearcius, Oliv. alii. Male quidam, ut Ernesti, *Charmadum*.

Vigebatque) Sic MSS. Guelf. A, B, C. Vulgo abest copula.

* *Panaetii*) Panaetius philosophus Stoicus, Rhodius, Scipionis Africani praeceptor, elegantes de officiis libros conscripsit, eumque eodem in argumento Cicero sequutus est. Floruit ducentis circiter ante Christum annis, et Athenis obiit. PAVST.

* *Mnesarchus*) Panaetii discipu-

erant praeterea clari in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una paene voce repelli oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque maiorum scientia, ac tantum in iudicia et conciunculas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam. Sed ego neque illis assentiebar, neque harum disputationum inventori et principi longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo, Platoni, cuius tum Athenis cum Charmada diligentius legi Gorgiam; quo in libro in hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus

lus Stoicorum sectam secutus est. Id.

Peripatetici Critolai Diodorus) Hanc lectionem MSS. duorum Pall. et trium Gulielm. item Ioan. Mag. Harl. iure recepit Pearcius. Ipse enim Cicero de Fin. V, 5 testatur, Diodorum fuisse Critolai auditorem. Eademque argumenta, quibus ille probavit, Carneadem usque ad quaesturam Crassi haud vixisse, satis docent, ne Critolaum quidem in Crassi quaestura vignisse, quod tamen prae se fert vulgata lectio, *et Peripatetici Critolaus et Diodorus.*

Praeterea clari) Hoc recepi e codd. Guelf. A, B, C, suavius enim sonat quam vulg. *praeterea praeclari.*

Una paene voce repelli) Hunc ordinem verborum ostendunt multi codd. a Pearcio collati, it. Ed. Ven. et Lamb. elegantiorem altero: *una paene repelli voces*, quem Ernesti ab Aldo invectum putabat, ut clausulam hexametri vitaret, ne sic quidem vitatam. Sic tamen est in Guelf. B, C.

* *Platoni*) Plato divinus ille philosophus, quem ex aëria mente susceptum a patre ferunt, cuius in cunis parvulo dormienti apes in labellis dicuntur consedisse, singularis in dicendo suavitatis praesagium; natus est Athenis anno primo Olympiadis 93, ante Christum 428. Socrati primum annos septem operam dedit: tum longinquis in peregrinationibus alios alibi audivit. Reversus in patriam Aristotelem habuit discipulum. Obiit aetatis anno 86. *Laërtius*, etc. Prust.

Cum Charmada) Iterum hic multae edd. falso: *cum Carneade*; a quibus Victorius et Pearcius recte discedunt.

* *Gorgiam*) Gorgias Platonis dialogus, in quo rationem edocet, qua futiles rhetorum sophistarum argutiae refellantur. Tullius sive ex sua, sive ex Crassi sententia non recte censuit in illo dialogo derideri oratores. Non veram rhetoricam, sed adulterinam tantum, ut cuivis legenti patet, traducit. Neque vero paucos induxit in errorem hic dialogus, ut observavit Quintilian. lib. II, cap. 15: *Plerique*, inquit, *dum pauca ex Gorgia Platonis a prioribus imperite excerpta legere contenti neque alia eius volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt: creduntque eum in hac esse opinione, ut rhetoricam non artem, sed peritiam quandam gratiae ac voluptatis existimet* etc. Prust.

videbatur. Verbi enim controversia iam diu torquet Graeculos, homines contentionis cupidiores, quam veritatis. Nam si quis hunc statuit esse oratorem, qui tantummodo in iure, aut in iudiciis possit, aut apud populum, aut in senatu copiose loqui, tamen huic ipsi multa tribuat et concedat necesse est. Neque enim sine multa pertractatione omnium rerum publicarum, neque sine legum, moris, iuris scientia, neque natura hominum incognita ac moribus, in his ipsis rebus satis callide versari, et perite potest. Qui autem haec cognoverit, sine quibus ne illa quidem minima in causis quisquam recte tueri potest, quid huic abesse poterit de maximarum rerum scientia? Sin oratoris nihil vis esse, nisi composite, ornate, copiose eloqui; quaero, id ipsum qui possit assequi sine ea scientia, quam ei non conceditis? Dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest.

* *Verbi controversia*) Maximo animorum aestu contendunt inter se Graeci, quis orator dicendus sit, an ille qui tantum in causis forensibus valeat, an qui de re qualibet ornate possit dicere. IDEM.

Graeculos, homines contentionis cupidiores) Sic elegantius a Pearcio interpungitur, quam ut multi faciunt: *Graeculos homines, contentionis.*

Rerum publicarum) Sic rectius auctoritate multorum codd. divisim scripsit Pearcius, i. e. *negotiorum publicorum*, quam ut vulgo, *rerumpublicarum*, quia non necesse sit omnes respublicas nosse, qui Romae velit in foro vel in senatu dicere.

Moris) Ita cum Maioragio scribendum erat, non ut vulg. *morum*. Et Guelf. B, C habent *moris*. Mos enim, ut saepe, est vetus reip. disciplina usu recepta; alii sunt *mores hominum*, qui deinde nominantur.

Ne illa quidem minima) H. l. *illa* non refertur ad praecedentia, sed est idem ac *ne illa quidem, quae minima sunt in causis.*

Conceditis) Ita rectius Ald. Victor. Olivet. item tres codd. Guelf. quam ut vulgo, *concedis*. Et illud quidem etiam probavit Heusingerus teste eius filio praef. ad Cic. de off. p. 47: «Neque enim obest, inquit, quod praecedit verbum singulare *vis*. Inter plures qui disputat, licet unum alloquutus sit, haud inconcinne pluralem sermoni miscet. Eod. libro c. 55: *Tum Scaevola: Quid est, Cotta? inquit, quid tacetis?* De Nat. Deor. I, 18: *Vos quidem, Lucili, soletis*; cap. 19: *Et quaerere a nobis, Balbe, soletis.* De Fin. II, 31: *Huc et illuc, Torquate, vos versetis licet.*»

Extare) Guelf. A, *stare.*

Quamobrem, si ornate loquutus est, sicut fertur, et mihi videtur, physicus ille Democritus: materies illa fuit physici, de qua dixit, ornatus vero ipse verborum, oratoris putandus est. Et, si Plato de rebus a civilibus controversiis remotissimis divinitus est loquutus, quod ego concedo: si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in rebus iis, de quibus disputaverunt, eloquentes, et in dicendo suaves atque ornati fuerunt: sint hae res, de quibus disputant, in aliis quibusdam studiis; oratio quidem ipsa propria est huius unius rationis, de qua loquimur et quaerimus. Etenim videmus, iisdem de rebus ieiune quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse, neque ob eam rem philosophiae non satisfecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte aliena facultatem.

12. Quid ergo interest? aut qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam, ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate et elegantia non utuntur? Vnum erit profecto, quod ii, qui bene dicunt, afferent proprium: compositam orationem, et ornatam, et artificio quodam et expolitione distinctam. Haec autem oratio, si res non subest ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quam verbo-

* *Chrysippus*) Qui natus Solis Ciliciae uppido, vel, ut alii malunt, Tarsi, philosophus Stoicus et Cleantis auditor celebris fuit Athenis. Mortuus est Olimpiade 143, annis ante Christum 208, agens annum 73, ut refert ex Apollodoro Laërtius. Pavst.

Habuerit) Walheri emendationem a Pearcio probatam, *habuerint*, necessariam haud esse, recte indicavit Ernesti; refertur enim ad proximum Chrysippum, etsi idem et ad superiores qua sensum pertinet.

Ex arte aliena) Haec lectio (quam etiam praebent codd. Guelf. B, C) sine dubio alteri *in arte aliena*, quam Pearcius servavit, praeferenda. Nam non agitur de facultate dicendi, quae versatur in arte aliena; sed de facultate dicendi, quae ex arte a philosophia aliena, h. e. ex arte rhetorica hauritur.

Erit — afferent) Hoc temporum consecutio poscit, non vulgatum *erit — afferunt*, pro quo Ernesti *erit — afferant* reposuit.

rum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia, nec scientia? Quidquid erit igitur quacunque ex arte, quocunque de genere, id orator, si tanquam clientis causam, didicerit, dicet melius et ornatius, quam ille ipse eius rei inventor atque artifex. Nam si quis erit, qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias, atque causas, et certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam: fatebor equidem in his magis assidue versari hanc nostram dictionem; sed tamen in his ipsis rebus permulta sunt, quae isti magistri, qui rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim nescit, maximam vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem, misericordiamque revocandis? Quare, nisi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo, quod volet, perficere non poterit. Atqui totus hic locus philosophorum putatur proprius; neque orator, me auctore, unquam repugnabit; sed, quum illis cognitionem rerum concesserit, quod in ea solum illi voluerint elaborare, tractationem orationis, quae sine illa scientia nulla est, sibi assumet. Hoc enim est proprium oratoris, quod saepe iam dixi, oratio gravis et ornata, et hominum sensibus ac mentibus accommodata.

13. Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor. Sed vide, ne hoc, Scaevola, totum

Nec scientia) Haec absunt a Victorii ed. et haud scio an elegantius absint. Sic in simili loco Orat. cap. ult. *Composite et apte sine sententiis dicere insania est.* Itaque hic etiam satis erat dicere: *nulla subiecta sententia.*

Quare nisi qui) Conf. Auctorem de causis corr. eloqu. c. 31.

* *Aristotelem*) Qui de concitandis animi motibus egregie disseruit lib. II Rhetorices. PRYST.

sit a me. Nam ego, quae sunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis; isti, quae de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaque ceteros libros artis suae nomine, hos rhetoricos et inscribunt et appellant. Etenim quum illi in dicendo inciderint loci, quod persaepe evenit, ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum, de gentium iure, de aequitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholae, sua haec esse propria, nihil omnino ad oratorem pertinere. Quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis, consumendi otii causa, disserant, quum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam exsanguique sermone disputant, hic cum omni gravitate et iucunditate explicet. Haec ego cum istis philosophis tum Athenis disserebam. Cogebat enim me M. Marcellus hic noster, qui nunc aedilis

Artis suae) Sic Guelf. B, C, recte. Nam *isti*, quod vulgo inter *artis* et *suae* interseritur, inficete hic redundat.

Sua haec esse propria) Guelf. B, C, *sua esse haec propria*, omisso *omnia*, quod hic vulgo ante *propria* inculcatur. Incommodum vero est quater deinceps *omnis* poni; et h. l. melius intelligitur quam scribitur.

Omnibus in angulis) Codd. Guelf. A, B, C, omittunt *omnibus*, quod hic tamen rectius tenetur; quemadmodum II, 5, est *quum omnia gymnasia philosophi teneant*. Ceterum cum hoc loco Wyttenbachius in bib. crit. Vol. I, p. 23, comparavit Platonis Gorgiam p. 298.

Vt eadem) Guelf. B, C, *ut ea*.

Cum istis) Bene sic corrigendum censuit Ernesti vulg. *ipsis*. Illud enim respicit philosophos c. 11 nominatos.

* *M. Marcellus*) Quem Cicero servatum a Caesare post bella civilia gratulatus est insigni oratione. Prvst.

* *Aedilis curulis*) Aediles ab aedibus sacris et privatis procurandis nomen habuere. Ex plebe primum duo fuere: subinde anno V. C. 388, ante Christum 366, aediles curules primi creati sunt. Quum enim propter civiles discordias compositas, quod refert Livius lib. VI, censeret senatus, ut ludi maximi fierent, recusantibus id munus aedilibus plebis, conclamatum est a iuvenibus patriciis, se, honoris deorum immortalium causa,

curulis est, et profecto, nisi ludos faceret, huic nostro sermoni interesset; ac iam tum erat adolescentulus his studiis mirifice deditus. Iam vero de legibus instituendis, de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de iure civili generatim in ordines aetatesque descripto, dicant vel Graeci, si volunt, Lycurgum, aut Solonem (quamquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos) scisse melius, quam Hyperidem, aut Demosthenem, perfectos iam homines in dicendo, et perpolitos: vel nostri decemviros, qui XII tabulas perscri-

libenter futuros aediles, tumque duo e patribus aediles creati, curules dicti, quod sella curuli uterentur. Eorum munus fuit ludis edendis solemnibus et publicis praeesse, sacrarum aedium curam gerere, templa, theatra, et moenia magnificis operibus reficere. Pavst.

Nisi ludos faceret) Vulg. *nisi ludos nunc faceret*. At quum versu superiore dictum esset: *qui nunc aedilis curulis est*, superfluum est, in verbis *nisi ludos faceret* illud *nunc* repetere.

* *De iure in ord. aetatesque descr.*) Ordines sunt patriciorum et plebeiorum, senatus, equitum, plebis, item classes in censu: aetates pertinent ad iuniores et seniores. *Describere* generatim est etiam II,33, sed in alia re. Vid. Clav. Ern.

* *Lycurgum*) Lycurgus, Eunomi filius, Lacedaemoniorum legislator, Polidectae fratris Spartanorum regis posthumum filium Carilaum, cuius pueri regnum tutoris nomine administratum usurpare poterat, solio restituit. Peregre deinde profectus ex collectis diversarum rerum publicarum institutis leges scripsit sapientissimas, quibus Lacedaemonios adstrinxit. *Plutarch. Iustin.* Quo potissimum tempore floruerit, incertum: alii ad olympiadem primam, quae incidit in annum 776 ante Christum, eius aetatem referunt: contendunt alii centum annis eoque amplius antecessisse. *Plutarch.* etc. Pavst.

* *Solonem*) Solon Salamine natus, Atheniensium legislator, unus e septem Graeciae sapientibus, praetor Athenis fuit anno III Olympiadis 45, ante Christum 598. Mortuus est anno aetatis 80, ante Christum 559, eodem quo Cyrus in Perside regnare coepit. *Plutarchus*, *Diogenes*. Idem.

Vel nostri) Mirum est hanc Lambini lectionem deseri potuisse, unice quippe veram. Male vulgo *vel nostros decemviros*. Aperte enim *nostri*, i. e. Romani, opponitur τῷ *Graeci*.

* *Decemviros, qui 12 tabulas*, etc.) Sublatis regum decretis, et populo per viginti annos nullis legibus adstricto, constituti sunt anno V. C. 304, decemviri, qui a Graecis leges peterent; quas acceptas tabulis decem aereis inscripsere. Quum autem in primis legibus aliquid desideraretur, anno sequenti alias duas adiecere tabulas: unde et dictae sunt leges 12 tabularum. Pavst.

pserunt, quos necesse est fuisse prudentes, anteponant in hoc genere et Ser. Galbae, et socero tuo C. Laelio, quos constat dicendi gloria praestitisse. Nunquam enim negabo, esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne posuerunt: sed oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit varie copioseque dicere.

14. Etenim saepe in iis caussis, quas omnes proprias esse oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solum oratoribus conceditis, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum atque assumendum. Quaero enim, num possit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici, sine rei militaris usu, aut saepe etiam sine regionum terrestrium aut maritimarum scientia; num apud populum de legibus iubendis, aut vetandis, num in senatu de omni reipublicae genere dici sine summa rerum civilium cognitione et prudentia; num admoveri possit oratio ad sensus animorum, atque motus vel inflammandos, vel etiam exstinguendos (quod unum in oratore dominatur), sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur. Atque haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus: equidem non dubito, quod sentio, dicere. Physica ista ipsa, et mathematica, et

Perscripserunt) Codd. Guelf. B, C, *scripserunt.*

Atque assumendum) Ita Strebaeus; et codd. Guelf. B, C, habent *et assumendum*, quod, quia *sumendum* post *promendum* minus abest a tautologiae vitio, recepi. Nam qui promit, sumit; contra qui promit, non continuo sibi assumit.

De omni reipublicae genere dici) Verbum *dici*, quod etiam in tribus codd. Guelf. reperitur, non erat quod uncis includeret Ernesti.

Non dubito) Hoc restitui ex edd. vett. quod melius ad tempus respondet praecedenti *haud scio*, quam vulgatum *non dubitabo.*

Physica ista ipsa et mathematica, et quae paulo ante) Hunc ordinem verborum iure restituit Pearcius a

quae paulo ante ceterarum artium propria posuisti, scientiae sunt eorum, qui illa profitentur. Illustrare autem oratione si quis istas ipsas artes velit, ad oratoris ei confugiendum est facultatem. Neque enim, si Philonem illum architectum, qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat perdiserte populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est, architecti potius artificio disertum, quam oratoris, fuisse. Nec, si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, quum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset. Neque vero Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus, tum, quum eloquentia vincebat ceteros medicos, in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur. Atque illud est probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes: illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat, neque si quid optime sciat, ignarusque sit faciundae ac poliendae orationis, diserte id ipsum posse quod sciat, dicere.

MSS. Bal. et Harl. 2. Vulgo perturbate: *physica ista ipsa, quae paulo ante, et mathematica, et ceterarum.*

* *Armamentarium*) Hoc loco est navium receptaculum: armamenta proprie sunt navium instrumenta. PAVST.

* *Hermodoro*) Qui Romanorum navalium fuit architectus. Navalia autem erat locus idoneus ad recipiendas, trahendas in siccum, aut fabricandas naves. ID.

Dixisset) Male hic in multis edd. interrogandi signum ponitur.

* *Asclepiades*) Patria Prusiensis, primum rhetoricae, deinde pressus inopia, medicinae operam dedit. Tantum arti suae fidebat, ut sponsionem quamdam cum fortuna fecisset, ne medicus crederetur, si unquam invalidus fuisset ipse; et victor suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. Crasso et Pompeio familiaris, eorum aetate floruit circa annum V. C. 650. Plinius lib. VII. PR.

Medicinae facultate utebatur) Vulgo additur *non eloquentiae*, quod ut glossema elegantiam clausulae deformans expunxi. Similis ratio est c. 50: *Neque vero — hic disertus atque eloquens, si est idem in procuratione civitatis egregius, alienam scientiam dicendi copia est consequutus.*

Si quid optime sciat) Ita rescripsi pro vulg. *si id optime sciat*, quod parum commode refertur ad *quod nesciat.*

Diserte id ipsum posse, quod sciat,

15. Quam ob rem, si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit, mea sententia, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quaecunque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicet, cum quadam etiam actionis dignitate. Sin cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita posui, *quacunque de re*, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat atque amputet; tamen illud tenebo, si, quae ceteris in artibus aut studiis sita sunt, orator ignoret, tantumque ea teneat, quae sint in disceptationibus atque in usu forensi: tamen his de rebus ipsis si sit ei dicendum, quum cognoverit ab iis, qui tenent, quae sint in quaque re, multo oratorem melius, quam ipsos illos, quorum eae sunt artes, esse dicturum. Ita si de re militari dicendum huic erit Sulpicio, quaeret a C. Mario affini nostro, et, quum acceperit, ita pronuntiabit, ut ipsi C. Mario paene hic melius, quam ipse, illa scire videatur. Sin de iure civili, tecum communicabit,

dicere) Vulgo *posse*, *de quo sciat dicere*, in quo Heusingerus recte *de quo sciat* interpolata putabat. Blandiore tamen medicina locus noster ratione sanatur, quam et Vossio placuisse vidi.

* *Is orator erit*) Videtur hic quinque partes artis oratoriae facere: inventio est prudentiae, collocatio compositionis, elocutio ornatus; quibus accedunt memoria, et actio, sive pronuntiatio. PAUST.

Dicet) Hoc assumsi e cod. Guelf. A, pro vulg. *dicat*.

Cum quadam etiam actionis dignitate) Guelf. A, B, C, *cum quadam actionis etiam dignitate*.

* *C. Mario*) Hic ille est C. Marius, celebris Romanorum imperator, *in bello hostibus*, *in otio civibus infestissimus*, *quietisque impatientissimus*, ut refert Paterculus; quem humili loco natum ad amplissimos reipubl. magistratus singularis virtus evexit. Apud Sallustium dum loquitur, artis oratoriae imperitum se dicit: et a Plutarcho reprehenditur, quod literas Graecas contempserit. Inopiam eloquentiae compensavit fortitudo. Confecit bellum Iugurthinum: Teutones et Ambrones, Germaniae populos, interfectis millibus ducentis, et paulo post Cimbros ingenti strage delevit. Quum provinciam belli Mithridatis suscipere contenderet, a Sylla, suo quondam legato, expulsus ex urbe, in quam paulo post irrupit, et, Syllanis omnibus obtruncatis, septimum consul renuntiatus in magistratu obiit anno V. C. 668. PAUST.

teque hominem prudentissimum, et peritissimum in iis ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte superabit. Sin quae res inciderit, in qua de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum sit; forsitan, si ei sit visum (etsi haec quidem nosse debet orator), cum Sex. Pompeio, erudito homine in philosophia, communicarit, hoc profecto efficiet, ut quamcunque rem a quoque cognorit, de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse, unde cognorit. Sed si me audierit, quoniam philosophia in tres partes est tributa, in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores: duo illa relinquamus, atque largiamur inertiae nostrae; tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus; cetera si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit, ornare dicendo, si modo erunt ad eum delata, et ei tradita.

16. Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologiae, Aratum ornatissimis atque optimis versibus de caelo stellisque dixisse: si de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum, Nicandrum Colophonium, poë-

Et ei tradita) Sic Olivet. Vulgo *et tradita.*

* *Aratum*) Qui poëta Graecus Solis urbe Ciliciae natus est, ut auctor est Suidas, Olympiade 124, annis ante Christum 284. Inter alia adstricta numeris oratione scripsit libros de astrologia, quos φαινόμενα inscripsit. Ea primum Cicero, deinde veterum alii in latinum sermonem vertere. De Arato sic indicat Quintilianus lib. X, cap. 1: *Arati materia motu caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla usquam sit oratio; sufficit tamen operi, cui parem se credidit.* Pryst.

* *Nicandrum*) Nicander patria Colophonius, ut hic ait Cicero, (an potius Clarius, quod de se ipse testatur?) cum poetica medicinam exercuit. Librum scripsit θηριακὰ et ἀλεξιφάρμακα, qui etiam nunc exstat: nam periisse illos necesse est, qui sunt ab eodem de rebus rusticis, ut ait Cicero, elaborati. Eum aliqui supparem Arato faciunt, alii duodecim Olympiadibus posteriorem; alii de-

tica quadam facultate, non rustica, scripsisse praeclare: quid est, cur non orator de rebus iis eloquentissime dicat, quas ad certam causam tempusque cognorit? Est enim finitimus oratori poëta, numeris adstrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius, ac paene par: in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat aut definiat ius suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari, qua velit. Namque illud quare, Scaevola, negasti te fuisse laturum, nisi in meo regno esses, quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum esse debere? Nunquam mehercule hoc dicerem, si eum, quem fingo, meipsum esse arbitrarer. Sed, ut solebat C. Lucilius saepe dicere (homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebam, familiaris, sed tamen et doctus et perurbanus), sic sentio, neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quae sunt libero dignae, perpolitus: quibus ipsis si in dicendo non utimur, tamen apparet, atque exstat, utrum simus earum rudes, an didicerimus. Vt, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse mo-

nique, ut Suidas, sub Attalo iuniore floruisse tradunt. IDEM.

Vt solebat C. Lucilius saepe dicere) Ernesti censuit legendum: *ut solebat C. Lucilius de poëtis dicere*, quod valde blanditur.

* *C. Lucilius*) Subiratus erat Scaevolae, qui in Albutium, Lucilii amicum, orationem habuerat. PRVST.

Quam volebam) Recepi hanc Ernesti emendationem, pro vulg. *volebat*. Hoc enim esset paulo superbius dictum; illud humanius. — *quam volebam*, scil. propter ingenium hominis et gravitatem. ERN.

* *Palaestra*) Palaestrae aliquando gymnasium, vel magisterium significat; aliquando concinnitatem, et in gestu motuque corporis venustatem; aliquando artem belle movendi corporis sive ad saltandum, sive ad pugnandum. PRVST.

Proprie) Hoc pro vulg. *propriae* Ernesti reposuit ex edd. vett. ft. MS. Erlang. Nimirum *proprie* adhibere aliquid est eo tanquam proprio et domestico uti.

tus, didicerintne palaestram, an nesciant: et qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen, utrum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est: sic in orationibus hisce ipsis iudiciorum, concionum, senatus, etiamsi proprie ceterae non adhibeantur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.

17. Tum ridens Scaevola, Non luctabor, inquit, tecum, Crasse, amplius. Id enim ipsum, quoad contra me loquutus es, artificio quodam es consequutus, ut et mihi, quae ego vellem non esse oratoris, concederes, et ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueres, atque oratori propria traderes. Haec, quum ego praetor

Adhibeantur) Male huic coniunctivo Ernesti indicativum *adhibentur* substituit. Recte enim Heusingerus observavit, aliam rationem esse ante in *etsi tum pictura nihil utuntur*. Hic prorsus definite loquitur; ibi autem cum dubitatione, etiamsi verum sit alias artes, ut philosophiam, iurisprudentiam, quae saepius ab oratore adhibentur, non proprie adhiberi.

* *Declamatorio opere*) Exercitatione puerili, in qua fictis argumentis ad scribendum et declamandam exercebantur interdum aetate provectiores. Pryst.

Inquit, tecum) Guelf. A *tecum, inquit*.

Quoad contra me loquutus es) Omnes edd. quos vidi habent *quod — loquutus es*, sensu et constructione prorsus inepta. Itaque rescripsi *quoad*.

* *Et consequutus* etc.) Sensus est: Arte quadam mihi dedisti quae vellem; quum dixisti artes omnes esse proprias quorundam hominum, eorum scilicet qui illas aut invenerint, aut profiteantur, aut diligentius excolant, visus es mihi concedere eas non esse proprias oratoris unius, quod ego contendo. Rursum quum easdem artes et oratori, si disputare de illis velit, necessarias esse dixisti, et ab eodem etiam ornatius, quam ab illis ipsis, quorum sunt propriae, tractari: visus es illas mihi extorquere, et oratori tribuere tanquam suas. Pryst.

Haec, quum ego) Vt vulgo editur, ἀνακολουθίαν facit illud *haec*, a qua etsi me non fugit Ciceronem non omnino abhorrere, tamen h. l. nescio quomodo molesta est. Itaque vix mihi temperavi, quin Victorii lectionem restituerem: *Haec, quum ego praetor Rhodum venissem, et cum summo illo doctore istius disciplinae Apollonio, ea quae a Panaetio acceperam, contulissem, irrisit ille quidem, ut solebat philosophiam, atque contemsit*. Nempe sola interpunctione mutata, et commate non post *solebat*, sed post *philosophiam* posito, tollitur illud ἀνακόλουθον, et Scaevola, *haec*, inquit, scil. philosophiam non esse oratoris propriam, sed artem prorsus alienam

Rhodum venissem, et cum summo illo doctore istius disciplinae Apollonio ea, quae a Panaetio acceperam, contulissem: irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam atque contemsit, multaque non tam graviter dixit, quam facete; tua autem fuit oratio eiusmodi, non ut ullam artem doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites ac ministras oratoris esse diceres. Quas ego si quis sit unus complexus omnes, idemque si ad eas facultatem istam ornatissimae orationis adiunxerit, non possum dicere, eum non egregium quendam hominem atque admirandum fore; sed is, si qui esset, aut si etiam unquam fuisset, aut vero si esse posset, tu esses unus profecto, qui et meo iudicio et omnium vix ullam ceteris oratoribus, pace horum dixerim, laudem reliquisti. Verum si tibi ipsi nihil deest, quod in forensibus rebus civilibusque versetur, quin scias, neque eam tamen scientiam, quam adiungis oratori, complexus es; videamus, ne plus ei tribuas, quam res et veritas ipsa concedat.

Hic Crassus, Memento, inquit, me non de mea, sed

irrisit Apollonius, *ut solebat philosophiam* irridere, atque *contemsit*.

* *Apollonio*) Apollonius Molo, Rhodius fuit: quo rhetoricae magistro usus est aliquando ipse Tullius, quum dictatore Sylla Romam Apollonius venisset, ut refert Cicero in Bruto. Pavsт.

Ministras) Nonius in *ministratrix* legit *ministratrices*.

Facultatem) Ernesti iure quidem suo probavit hanc lectionem a Pearcio e MSS. et ed. Mauut. restitutam; erravit autem, quod hanc lectionem soli operarum vitio in edd. tribuit. Nam in edit. Omnib. est: *idemque si ad eas facultates istam* etc. ut pateat, probatum esse a nonnullis editoribus pluralem *facultates*, quo tamen Cicero sic non utitur. Quid quod ipse Strebaeus h. l. sic explicavit: Quas artes si quis sit unus complexus omnes, idemque si ad eas res, facultates, δυνάμεις et scientias arte comprehensas, adiunxerit istam ornatissimae orationis facultatem.

Sed is, si qui) Ernesti dedit *qui* pro *quis* ex editione W. aliisque vett. Quum autem *is* deleri posse putabat, non cogitabat, eo vim totius sententiae contineri.

Videamus, ne plus ei tribuas) Guelf. A, *tribuamus*. Sed opinor Ciceronem scripsisse: *Vide, ne plus ei tribuas*, ut Tusc. I, 83, Acad. IV, 62, et supra cap. 13: *vide, ne hoc totum sit a me*.

de oratoris facultate dixisse. Quid enim nos aut didicimus, aut scire potuimus, qui ante ad agendum, quam ad cognoscendum venimus; quos in foro, quos in ambitione, quos in republica, quos in amicorum negotiis, res ipsa ante confecit, quam possemus aliquid de rebus tantis suspicari? Quod si tibi tantum in nobis videtur esse, quibus etiamsi ingenium, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe et otium et hercule etiam studium illud discendi acerrimum defuit: quid censes, si ad alicuius ingenium vel maius illa, quae ego non attigi, accesserint, qualem illum oratorem, et quantum futurum?

18. Tum Antonius, Probas mihi, inquit, ista, Crasse, quae dicis; nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus sit, si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit. Sed primum id difficile est factu, praesertim in hac nostra vita, nostrisque occupationibus: deinde illud etiam verendum, ne abstrahamur ab hac exercitatione et consuetudine dicendi populari et forensi. Aliud enim mihi quoddam genus orationis esse videtur eorum hominum, de quibus paulo ante dixisti, quamvis illi ornate et graviter, aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus est verborum et laetum; sed palaestrae magis et olei, quam huius civilis turbae ac

Res ipsa ante confecit) Recte Ern. comparavit e cap. 21: *obruimur foro et ambitione ante quam ad discendum ingressi sumus*, et *confecit* interpretatus est, *debilitavit ad discendi laborem.*

Studium illud discendi) Ne quis forte putet *studium dicendi* hic reponendum esse, notandum est hic agi de studio doctrinae in scholis rhetoricis, et de studio earum rerum, quae sint oratori necessariae. Sic infra c. 21 distinguit *studium acrius* scil. discendi, *a labore atque industria* scil. in declamandi exercitatione posita.

Qualem illum oratorem et quantum) Hunc ordinem verborum, in quo vis est sententiae maior, ascivi e Guelf. B, C.

Verendum) Vulgo additur *est*, quod auctoritate cod. Guelf. A expunxi.

Sed palaestrae) Pearcius edidit ex aliquot MSS. *et palaestrae*, pro-

fori. Namque egomet, qui sero, ac leviter graecas literas attigissem, tamen quum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus. Sed, quum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te modo sunt nominati, quumque hoc, nescio quomodo, apud eos increbuisset, me in causis maioribus, sicuti te, solere versari, pro se quisque, ut poterat, de officio et ratione oratoris disputabat. Horum alii, sicut iste ipse Mnesarchus, hos, quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat, nisi quosdam operarios, lingua celeri et exercitata; oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem; atque ipsam eloquentiam, quod ex bene dicendi scientia constaret, unam quandam esse virtutem, et qui unam virtutem haberet, omnes habere, easque esse inter

vocatque ad Quintil. Inst. or. lib. X, cap. 1: *Isocrates in diverso dicendi genere nitidus, et comtus, et palaestrae quam pugnae magis accommodatus.* Sed ibi alia ratio, nec locus erat particulae adversativae, quae hic pro loquentis consilio utique requiritur.

* *Palaestrae, et olei*) Athletae et pugiles, qui corpus exercebant palaestra, solebant oleo corpus inungere, tum ad augendas vires, tum ut cutis lubrica, et oleo delibuta manus captantis adversarii facilius eluderet. Pavst.

* *Proconsul*) Romani post gestum Romae consulatum, mittebantur in provincias, ut in iis ius dicerent, et eas gubernarent: tumque pro consule, vel proconsul dicebatur aliquis in provinciam proficisci: propraetor, vel pro praetore, si praetura Romae perfunctus in provinciam iret. Aliquando tamen etiam qui consules non fuerant, cum imperio consulari mittebantur in provincias, nec minus appellabantur proconsules; ut hic ipse qui loquitur, Antonius, ante consulatum, quem nonnisi triennio post obtinuit, proconsul in Ciliciam profectus est anno V. C. 652, ante Christum 102. Immo nomina consulis et proconsulis, praetoris et propraetoris non semel a veteribus confundi videas. Idem.

* *In Ciliciam*) Quae Asiae minoris est ora, quae meridiem spectat, alluiturque mari mediterraneo, e regione insularum Cypri et Rhodi: urbs primaria Tarsus est: nunc Caramania appellatur. Id.

* *Operarios*) Qui haberent usum dicendi, artem ignorarent. Id.

Easque esse) Vulgo *easque ipsas.* Sed *ipsas*, quod Aldus addidit, post editt. Ven. Mediol. Caroli Steph. et Lamb. auctoritate MSS. Cant. Harl. 2, Wag. etc. delevit Pearcius. Idem

se aequales et pares; ita, qui esset eloquens, eum virtutes omnes habere, atque esse sapientem. Sed haec erat spinosa quaedam et exilis oratio, longeque a nostris sensibus abhorrebat. Charmadas vero multo uberius iisdem de rebus loquebatur; non quo aperiret sententiam suam (hic enim mos erat patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando), sed cum maxime tamen hoc significabat, eos, qui rhetores nominarentur, et qui dicendi praecepta traderent, nihil plane tenere, neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset.

19. Disputabant contra diserti homines, Athenienses et in republica causisque versati, in quis erat etiam is, qui nuper Romae fuit, Menedemus, hospes meus: qui quum diceret esse quandam prudentiam, quae versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum rerumpublicarum, excitabatur homo promptus ab homine abundanti doctrina, et quadam incredibili varietate rerum et copia. Omnes enim partes illius ipsius prudentiae petendas esse a philosophis dice-

in cod. Erl. abesse testatur Ernesti.

Quum maxime) Hoc e cod. Erl. recepit Ernesti pro vulg. *tum maxime*, recteque intellexit *in primis*, scil. *potissimum*.

Homo promptus ab homine) Nempe Charmadas a Menedemo. Sed equidem suspicor *ab homine* glossatori cuidam deberi, et Ciceronem scripsisse: *excitabatur homo promptus, abundanti doctrina et quadam incredibili varietate rerum et copia*, eumque haec omnia ad Charmadam retulisse. Non enim est consentaneum, Ciceronem h. l. Charmadam tantum simpliciter *hominem promptum* appellare, multo maiorem autem laudem rhetori Menedemo tribuere. Praeterea quae de Charmadae disputatione adversus Menedemum narrantur, hominis doctrinam et copiam facile demonstrant.

Petendas esse a philosophis dicebat, neque ea quae — usquam nisi in eorum libris inveniri) Ita correxi vulg. *petendas esse a philosophia dicebat, neque ea quae — usquam in eorum inveniri libellis*: qua in lectione hoc incommodum est, primum quod *eorum* ad subiectum, *qui rhetores nominantur*, nimis remotum referatur necesse est, unde Purgoldus pro *eorum* coniecit legendum *rhetorum*, quod sane placeret, nisi statim sequeretur *rhe-*

bat, neque ea, quae statuerentur in republica de diis immortalibus, de disciplina iuventutis, de iustitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraque, sine quibus civitates aut esse, aut bene moratae esse non possent, usquam nisi in eorum libris inveniri. Quod si tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complecterentur, quaerébat, cur de prooemiis, et de epilogis, et de huiusmodi nugis (sic enim appellabat), referti essent eorum libri; de civitatibus instituendis, de scribendis legibus, de aequitate, de iustitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, litera in eorum libris nulla inveniretur. Ipsa vero praecepta sic illudere solebat, ut ostenderet, non modo eos illius expertes esse prudentiae, quam sibi asciscerent, sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem ac viam nosse. Caput enim esse arbitrabatur oratoris, ut et ipsis, apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, videretur; id fieri vitae dignitate, de qua nihil isti in praeceptis suis reli-

torici illi doctores. Deinde quod in vulgata lectione idem continuo bis dicitur. Paucis enim interiectis quaerit Charmadas: *cur de his rebus litera in eorum libris nulla inveniretur.* Et iam editio Omniboni habet: *usquam in eorum libris inveniri.* Vt autem h. l. Cicero scripsit, partes illius prudentiae *petendas esse a philosophis*, sic in Bruto cap. 31: *quodsi omnia essent a philosophis petenda.*

* *Caput*) Finis oratoris est alterum persuadere; persuadet is cui fides habetur; habetur autem viris probis, in quibus nulla est mendacii suspicio. Debet igitur orator id unum prae ceteris studere, ut sit vir bonus, aut certe talis videatur. Τοῖς γὰρ ἐπιεικέσι πιστεύομεν μᾶλλον καὶ θᾶττον περὶ πάντων μὲν ἁπλῶς· ἐν οἷς δὲ τὸ ἀκριβὲς μή ἐστιν, ἀλλὰ τὸ ἀμφιδοξεῖν καὶ παντελῶς, inquit Aristoteles lib. I Rhetor. cap. 2: *Bonis enim viris credimus magis et celerius generatim quidem in omnibus: maxime autem in eo quod exploratum non est, sed in varias opiniones trahi potest.* Ex his verbis falsi Carneades arguitur, qui nullam de sectanda vitae probitate praeceptionem rhetorum in libris traditam mox affirmat. Idem quum doctrinam movendorum affectuum ne a rhetoribus quidem delibatam ait, ex toto libro Rhetoricorum Aristotelis secundo refutatur. PAVST.

De qua nihil isti) Vulg. *de qua nihil rhetorici isti doctores.* At iam paulo ante nominati erant *rhetorici illi doctores.* Ergo h. l. Cicero scripsit

quissent; et uti eorum, qui audirent, sic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator: quod item fieri nullo modo posse, nisi cognosceret is, qui diceret, quot modis hominum mentes, et quibus rebus, et quo genere orationis in quamque partem moverentur; haec autem esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita, quam isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent. Ea Menedemus exemplis magis, quam argumentis, refellere conabatur. Memoriter enim multa ex orationibus Demosthenis praeclare scripta pronuntians dicebat, illum in animis vel iudicum, vel populi, in omnem partem dicendo permovendis, non fuisse ignarum, quibus ea rebus consequeretur, quae negaret ille sine philosophia quemquam scire posse.

20. Huic ille respondebat: non se negare, Demosthenem summam prudentiam, summamque vim habuisse dicendi: sed, sive ille hoc ingenio potuisset, sive, id quod constaret, Platonis studiosus audiendi fuisset, non, quid ille potuisset, sed quid isti docerent, esse quaerendum. Saepe etiam in eam partem ferebatur oratione, ut omnino disputaret nullam artem esse dicendi; idque cum argumentis docuerat, quod ita

tantum *isti*. Reliqua sunt ab interpolatore.

Quam isti) Ita sine dubio de Walkeri sententia legendum. Nimirum quia rhetores philosophiam non attigerint, eos omnia quoque, quae a philosophis de modis hominum mentes in quamque partem movendi disputarentur, ignorare significat.

Refellere conabatur) Sic cod. Guelf. A. Vulgo *conabatur refellere*, clausula minus numerosa.

* *Platonis studiosus*) Demosthenes, de quo plura in Bruto, admodum adolescens in Academia Platoni dabat operam, verum audito forte Callistrato insigni oratore, eum deinceps, relicta Academia, sectatus est. (Ex Hermippo Gellius lib. III, cap. 13). Prvst.

* *Non, quid ille potuisset*) Ab uno ad omnes vitiosa est argumentatio. Nemo sic ratiocinetur: Demosthenes orator potuit in dicendo animos movere, ergo id poterunt ceteri oratores. Idem.

* *Quod ita nati essemus*) Hoc Carneadis argumentum probat quidem aliquam esse naturalem eloquentiam; at non evertit artificialem, cuius praeceptis perficitur vis persuadendi a natura insita. Idem.

nati essemus, ut et blandiri et suppliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, et adversarios minaciter terrere possemus, et rem gestam exponere, et id, quod intenderemus, confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere, et ad extremum deprecari aliquid, et conqueri, quibus in rebus omnis oratorum versaretur facultas; et quod consuetudo, exercitatioque et intelligendi prudentiam acueret, et eloquendi celeritatem incitaret: tum etiam exemplorum copia nitebatur. Nam primum quasi dedita opera neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, quum repeteret usque a Corace, nescio quo, et Tisia, quos

Vt et blandiri et suppliciter insinuare iis a quibus) Guelf. B, C: *ut et blandiri suppliciter his a quibus*, omisso *insinuare*. Sic et ed. Omnib. et Olivet. At in Guelf. A legitur: *ut et blandiri et subtiliter quibus*, qua in lectione manifestum est, verba *insinuare iis a* librarii errore excidisse. Quod autem ibi legitur *subtiliter*, non est protenus aspernandum. *Subtiliter insinuare* aptius dicitur quam *suppliciter*, et Servius ad Aen. XI, 410, insinuationem appellavit *callidum et subtilem aditum ad persuadendum*. Dubitari tamen potest, an Cicero *subtiliter insinuare* dixerit pro *callide animis surrepere*. Recte autem Strebaeus assequutus est, hic tria exordiorum munera tangi, quum ita nati homines dicantur, ut et blandiri, quod est exordientis a benevolentia, et insinuare, quod est praeparantis adversus aliquid atrox et turpe, et adversarios minaciter terrere possimus, quod est aditum facientis ab adversarii persona.

Quasi dedita opera) Haec verba perperam quidam ad Charmadam traxerunt, et Strebaeus ea sic explicari posse fingit: Charmadas, quasi laborem impendisset in colligendis rhetoricae scriptoribus, neminem eorum disertum fuisse dicebat. Idem tamen veriorem quoque interpretationem subiungit: neminem eorum disertum fuisse, quasi dedita opera et ex industria indiserti fuissent. (Errabat hic etiam Carneades: nam, ut alios praeteream, Gorgias, Isocrates, Protagoras, Theophrastus, eloquentiae magistri diserti fuere. Prvst.) Est igitur cum cavillatione dictum. Simili modo ponitur illud *dedita opera* in orat. pro Rosc. Amer. c. 36: *Quae facitis, eiusmodi sunt, ut ea dedita opera a vobis contra vosmetipsos facere videamini.*

* *A Corace .... et Tisia*) Artis rhetoricae *scriptores antiquissimi Corax, et Tisias, eius discipulus, Siculi: quos insequutus est vir eiusdem insulae Gorgias Leontinus, Empedoclis, ut traditur, discipulus.* Quintil. lib. III, cap. 1, Corax Hieronis tyranni amicus floruit Olym. 76, annis ante Christum 475. Vide Ciceronem in Bruto. Prvst.

artis illius inventores et principes fuisse constaret: eloquentissimos autem homines, qui ista nec didicissent, nec omnino scisse curassent, innumerabiles quosdam nominabat: in quibus etiam (sive ille irridens, sive quod ita putaret, atque ita audisset) me, qui illa non didicissem, et tamen (ut ipse dicebat) possem aliquid in dicendo, proferebat. Quorum ego illi alterum facile assentiebar, nihil me didicisse; in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipsum errare arbitrabar. Artem vero negabat esse ullam, nisi quae cognitis, penitusque perspectis, et in unum exitum spectantibus, et nunquam fallentibus rebus contineretur. Haec autem omnia, quae tractarentur ab oratoribus, dubia esse et incerta; quum et dicerentur ab iis, qui ea omnia non plane tenerent, et audirentur ab iis, quibus non scientia esset tradenda, sed exigui temporis aut falsa, aut certe obscura opinio. Quid multa? sic mihi tum persuadere videbatur, neque artificium ullum esse dicendi, neque quemquam posse, nisi qui illa, quae a doctissimis hominibus in philosophia dicerentur, cognosset, aut callide aut copiose dicere. In quibus dicere Charmadas

Scisse curassent) Vulg. *scire curassent. Scisse* est lectio edd. antiquarum, quibuscum consentit Guelf. A. Id Pearcius et Ernesti post Ven. Mediol. Lamb. sine causa mutarunt. Heusingerus hanc formam aliis exemplis illustravit: Horat. A. P. 328, *poteras dixisse.* Ovid. am. I, 4, 38: *oscula praecipue nulla dedisse velis.* Liv. III, 48: *quiesse erit melius;* cuius generis plura iam Vechuerus in Hellenolex. p. 245, collegerat. Cf. Conr. Heusingeri praef. ad patris editionem Cic. de off. p. 62.

In quibus etiam — — me) Vulg. additur *in illo numero*, quam tautologiam post parenthesin nihil vitii habere contendit Ernesti. Ego vero additum a glossatore puto; primum quia antea dicitur *innumerabiles — nominabat*, cui male respondet *in illo numero*; et quod variatur pronomen: in MSS. Guelf. B, C, enim est *in eo numero.*

Putaret) Iure castigavit Pearcium Ernesti, quod imperfectum in plusquamperfectum *putasset* mutaverit. Nam quod quis aliquid *audiit*, id est absolute praeteritum; quod autem aliquis *putat*, de eo si tanquam de praeterito loquimur, imperfectum requiritur tempus. Sic paulo post: *me, qui illa non didicissem — et tamen possem aliquid.*

In quibus dicere) Vulg. *Quibus dicere* sine sensu. Lambinus ex Hoto-

solebat, ingenium tuum, Crasse, vehementer admirans, me sibi perfacilem in audiendo, te perpugnacem in disputando esse visum. Itaque ego, hac eadem opinione adductus, scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit, et pervenit in manus hominum, *disertos* me cognosse nonnullos, *eloquentem* adhuc neminem: quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute, atque dilucide apud mediocres homines, ex communi quadam opinione, dicere; eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quae vellet, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. Id si est difficile nobis, qui ante, quam ad discendum ingressi sumus, obruimur ambitione et foro; sit tamen in re positum atque natura. Ego enim, quantum auguror coniectura, quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero, fore aliquem aliquando, qui et studio acriore, quam nos sumus, atque fuimus, et otio ac facultate discendi maiore ac maturiore, et labore atque industria superiore, quum se ad audiendum, legendum, scribendumque de-

manni coniectura legit: *Quibus adiicere* — Pearcio in mentem venit: *Quibus subiicere.* Sed facillimum et commodissimum est, quod Ernesti revocavit ex ed. s. l. et a. item Med. *in quibus dicere.*

* *Perfacilem in audiendo*) Nam quum rudem artium omnium se diceret Antonius, non erat cur de artibus cum hominibus doctissimis aeque pugnaciter atque Crassus, qui se multa didicisse fatebatur, contenderet. Str.

Itaque ego) Hoc assumsi e cod. Guelf. A. Vulg. *tumque ego* minus placet, quia non est credibile, statim illo ipso tempore Antonium scripsisse. *Itaque* pertinet ad assensum, quem Charmadae sententiae dederat Antonius, qui eum perfacilem sibi in audiendo dixerat; quo ex assensu fluxerat illud suum dictum, quod statim memorat.

* *Me imprudente, et invito*) M. Antonius *idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, ut, si quid superiore iudicio actum, ei, quem postea defensurus esset, nociturum foret, non dictum a se affirmare posset.* Valer. Maximus lib. VII, cap. 3. Pryst.

* *Aliquem*) De se ipso id ex Antonii persona videtur Cicero praedicere. Oliv.

derit, existat talis orator, qualem quaerimus, qui iure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit; qui tamen, mea sententia, aut hic est iam Crassus, aut, si quis pari fuerit ingenio, pluraque quam hic, et audierit et lectitarit et scripserit, paulum huic aliquid poterit addere.

21. Hoc loco Sulpicius, Insperanti mihi, inquit, et Cottae, sed valde optanti utrique nostrum cecidit, ut in istum sermonem, Crasse, delaberemini. Nobis enim huc venientibus iucundum satis fore videbatur, si, quum vos de rebus aliis loqueremini, tamen nos aliquid ex sermone vestro memoria dignum excipere possemus; ut vero penitus in eam ipsam totius huius vel studii, vel artificii, vel facultatis disputationem paene intimam veniretis, vix optandum nobis videbatur. Ego enim, qui ab ineunte aetate incensus essem studio utriusque vestrum, Crassi vero etiam amore, quum ab eo nusquam discederem, verbum ex eo nunquam elicere potui de vi ac ratione dicendi, quum et per memetipsum egissem, et per Drusum saepe tentassem: quo in genere tu, Antoni, (vere loquar) nunquam mihi percontanti, aut quaerenti aliquid defuisti, et persaepe me, quae soleres in dicendo observare, docuisti. Nunc, quoniam uterque vestrum patefecit earum rerum

Aut hic est iam Crassus) Codd. Guelf. B, C: *aut iam hic est Crassus*, quod haud scio an verius sit.

Vix optandum nobis videbatur) Ne quis forte hoc *optandum* in *sperandum* vel *expectandum* commutari velit, quia antea dixit: *insperanti mihi, sed valde optanti cecidit*; observandum est, posse aliquem optare, quod ipse optandum esse, quia vix fieri possit, neget; ideoque plus dicit, qui aliquid ne optandum quidem sibi videri dicit, quam qui sperandum esse negat. Sic Cic. Ep. ad Div. IV, 1: *Itaque mihi venire in mentem nil potest, non modo quid sperem, sed vix iam, quid audeam optare.*

Vtriusque vestrum, Crassi vero etiam amore) In codd. Guelf. B, C, legitur: *utriusque vestrum, Crasse, tuo vero etiam amore*, quod arridere nonnemini posset, si legeretur *tui vero etiam amore, quum abs te — verbum ex te*. Sed nihil mutandum. In verbis enim: *Ego enim — docuisti* oratio convertitur ad Antonium.

ipsarum aditum, quas quaerimus, et quoniam princeps Crassus eius sermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea, quae sentitis de omni genere dicendi, subtiliter persequamini. Quod quidem si erit a vobis impetratum, magnam habebo, Crasse, huic palaestrae et Tusculano tuo gratiam, et longe Academiae illi ac Lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam. Tum ille, Immo vero, inquit, Sulpici, rogemus Antonium, qui et potest facere id, quod requiris, et consuevit, ut te audio dicere. Nam me quidem fateor semper a genere hoc toto sermonis refugisse, et tibi cupienti atque instanti saepissime negasse, ut tute paulo ante dixisti. Quod ego non superbia, neque inhumanitate faciebam, neque quo tuo studio rectissimo atque optimo non obsequi vellem, praesertim quum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum, aptumque cognossem; sed mehercule istius disputationis insolentia, atque earum rerum, quae quasi in arte traduntur, inscitia.

Tum Cotta: Quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, ut omnino de his rebus, Crasse, loquerere, assequuti sumus: de reliquo iam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia, quae percontati erimus, explicaris, dimiserimus.

De his, credo, rebus, inquit Crassus, ut in cretionibus scribi solet, *Quibus sciam, poteroque.*

* *Academiae illi, ac Lyceo*) De Academia dictum cap. 10. Liceum autem gymnasium fuit prope Athenas celeberrimum, in quo docebat Aristoteles. Prvst.

* *Gymnasium*) Locus ubi exercerentur corpora saltu, cursu, luctatione, a γυμνὸς *nudus*, quia in istis exercitationibus graviores vestes deponebant, ut essent expediti. Metaphorice significat locum, ubi animi literis humanioribus informantur. Idem.

Id quod — fateor — ut tute) Voculas vulgo omissas *id*, *fateor*, et *ut* e codd. MSS. recte Pearcius et Ernesti restituerunt.

* *In arte*) est methodo scholae in artibus explicandis usitata. Ern.

Cretionibus) Veram hanc lectionem, dudum a doctis viris coniectura repertam, Ernesti in cod. Erl. invenit.

Tum ille: Nam quod tu non poteris, aut nescies, quis nostrum tam impudens est, qui se scire aut posse postulet?

22. Iam vero, ista conditione, dum mihi liceat negare posse quod non potero, et fateri nescire quod nesciam, licet, inquit Crassus, vestro arbitratu percontemini.

Atque, inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias, quaerimus: existimesne artem aliquam esse dicendi.

In codd. Gnelf. eius vestigium est in scriptura mendosa *in certionibus*. Olim vel *conditionibus*, vel *orationibus* legebatur. Est autem cretio, ut verba Vlpiani Tit. XXII, 27, apponamus, certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hereditatem necne, velut: *Titius heres esto, cernitoque in diebus centum proximis*, *QVIBVS SCIERIT POTERITQVE*, *nisi ita creverit, exheres esto.*

Nam quod) Sic cod. Guelf. A, in hac forma elliptica melius quam vulg. *numque quod.*

Qui se scire aut posse postulet?) Errabat Purgoldus, quum legendum esse putabat: *qui te scire aut posse postulet.* Scilicet non recordabatur usum verbi *postulare* cum alius verbi infinitivo iuncti. Sic Plaut. Menacchm. II, 1, 88: *Sed ego inscitus, qui me hero postulem moderari.* Similiter Cotta illis verbis hoc significat: quis nostrum tam impudens est, ut sibi alicuius rei vel scientiam vel facultatem arrogare aut parare velit, quam rem Crassus aut nesciat, aut efficere non possit, quasi quae ille nesciret, aut non posset, omnino sciri aut fieri non possent.

Iam vero — percontemini) In his verba quidem Ciceronis agnosco, urbanitatem vero et curam, ne quid ineptum dicat, valde desidero. Hic enim Crassus diserte iuvenes discendi cupidos excitat, ut cum suo arbitratu percontentur, modo si liceat ipsi fateri nescire quod nesciat; nihilo secius tamen ad primam statim quaestionem ei propositam respondere, et indignabundus quidem, recusat. Quare vix adducor, ut credam, ista Ciceronem scripsisse; quae forsan a glossatore fluxerunt, qui vellet istam formulam *quibus sciam poteroque* paraphrasi quadam dilatare. Saltem hoc ab omnibus concessum iri arbitror, multo venustiorem orationem fore, si sic procederet: « De his, credo, rebus, inquit Crassus, ut in cretionibus scribi solet, *Quibus sciam poteroque.* — Tum ille: Nam quod tu non poteris aut nescies, quis nostrum tam impudens est, qui se scire aut posse postulet? — Atque, inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias quaerimus: existimesne artem aliquam esse dicendi. » — Hac ratione illa, quae sequitur, Crassi detrectatio nihil habet offensionis. Nondum enim quidquam promiserat.

Quid? mihi nunc vos, inquit Crassus, tanquam alicui Graeculo otioso et loquaci, et fortasse docto, atque erudito, quaestiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me ista curasse, aut cogitasse arbitramini, et non semper irrisisse potius eorum hominum impudentiam, qui quum in schola assedissent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent, si quis quid quaereret? quod primum ferunt Leontinum fecisse Gorgiam; qui permagnum quiddam suscipere ac profiteri videbatur, quum se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denuntiaret. Postea vero vulgo hoc facere coeperunt, hodieque faciunt, ut nulla sit res, neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova, de qua se non omnia, quae dici possunt, profiteantur esse dicturos. Quod si te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, de iis rebus audire velle, adduxissem huc Graecum aliquem, qui vos istiusmodi disputationibus delectaret: quod ne nunc quidem est difficile factu. Est enim apud M. Pisonem, adolescentem iam huic studio deditum, summo hominem ingenio, nostrique cupidissimum, peripateticus Staseas, homo nobis sane familiaris, et, ut inter homines peritos constare video, in illo suo genere omnium princeps.

Esse paratum) Guelf. A omittit esse.

* *Postea vero*, etc.) Multi post Gorgiam, extemporalis eloquentiae laudem aucupati sunt, ut Protagoras, Prodicus, Thrasymachus, Eleas, et alij. PRYST.

Quae dici possunt) Guelf. A *dici possint*, rectius, ut opinor.

Qui vos — delectaret) « Vulgo *nos;* sed Crassus paulo ante dixerat, se inanes illas quaestiunculas, et de omnibus rebus disputationes Graecorum contemsisse; non igitur Crassum, si quem secum adduxisset, Graecus iste delectasset. Sanior, opinor, lectio est MStor. Caut. Wag. Mead. Mag. et Harl. duorum, quam Lambiuus et Carol. Stephanus expresserunt: *qui vos istiusmodi disputationibus delectaret*, Cottam sc. et Sulpicium. » Hactenus Pearcius, qui sine dubio verum vidit. *Nos* tamen etiam scriptum est in MSS. Guelf. A, B, C.

* *Staseas*) Peripateticus philosophus patria Neapolitanus (*Cicero lib. V de Finibus*). PRYST.

23. Quem tu, inquit, mihi, Mucius, Staseam, quem peripateticum narras? Gerendus est tibi mos adolescentibus, Crasse, qui non Graeci alicuius quotidianam loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirant, sed ex homine omnium sapientissimo atque eloquentissimo, atque ex eo, qui non in libellis, sed in maximis causis, et in hoc domicilio imperii et gloriae, sit consilio linguaque princeps, cuius vestigia persequi cupiunt, eius sententiam sciscitantur. Equidem te cum in dicendo semper putavi deum, tum vero tibi nunquam eloquentiae maiorem tribui laudem, quam humanitatis: qua nunc te uti vel maxime decet, neque defugere eam disputationem, ad quam te duo excellentis ingenii adolescentes cupiunt accedere.

Ego vero, inquit, istis obsequi studeo, neque gravabor breviter meo more, quid quaque de re sentiam, dicere. Ac primum illud (quoniam auctoritatem tuam negligere, Scaevola, fas mihi esse non puto) respondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri, sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbi controversia positam. Nam si ars definitur, ut

Quem tu, inquit, mihi) Guelf. B, C, *quem tu mihi, inquit* — Sic et MSS. Gouv. et Harl. teste Pearcio, qui id in ordinem assumsit.

Gerendus est tibi mos) *Tibi* omittitur ed. Kob.

Excellentis ingenii) Cod. Guelf. A, *excellentes ingeniis*, et sic edidit Schutz V.C. Nobis magis arridet vulgatam, ideoque restituimus. E. T.

Nam si ars definitur, ut — rebus penitus perspectis) Vulg. *nam si ars ita definitur, ut — ex rebus penitus perspectis*. Quae lectio non solum ideo incommoda est, quod verba, *ita definitur*, quasi quandam definitionem logicam nos exspectare iubent, et quod minus apte dicitur *definire artem ex rebus penitus perspectis*, sed quod ea ne satis quidem cum iis, quae Antonius de Charmada narraverat, conveniunt. Hic enim negaverat artem esse ullam, nisi quae cognitis penitusque perspectis, et in unum spectantibus et nunquam fallentibus rebus contineretur. Ergo quibus finibus ac terminis contineretur ars ostenderat, non definitionem, quae proprie sic dicitur, proposuerat. Quibus de causis sic rescribendum putavi: *Nam si ars definitur — rebus penitus perspectis* —. Et iam ed. Omnib. et Kob. habent: *Nam si ars definitur.*

paulo ante exposuit Antonius, rebus penitus perspectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio seiunctis, scientiaque comprehensis; non mihi videtur ars oratoris esse ulla. Sunt enim varia, et ad vulgarem popularemque sensum accommodata omnia genera huius forensis nostrae dictionis. Sin autem, quae observata sunt in usu ac tractatione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt (id quod fieri potuisse video); non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione, ars esse videatur. Sed sive est ars, sive artis quaedam similitudo, non est ea quidem negligenda; verum intelligendum est, alia quaedam ad consequendam eloquentiam esse maiora.

24. Tum Antonius vehementer se assentire Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque rursum eam totam, sicut plerique philosophi facerent,

In usu ac tractatione) Hanc lectionem, quam Nizolius quoque in lex. Cic. expressit, ascivimus e codd. Guelf. A, B, C, quae est sane melior vulgata *in usu ac ratione dicendi*. Nam *ratio dicendi* h. l. esset μέθοδος, quae ipsa nascitur ex observatione, non gignit observationem. *Usus* autem et *tractatio* saepius componuntur. Sic Verr. II, 73: « Satis commode mihi videor eorum (publicanorum) consuetudinem usu *tractandoque* cognosse. » Orat. c. 18: « *Tractatio* (vocis) *atque usus* in nobis est. » Offic. II, 5: « quae in *usu et tractatione* beluarum fiunt. » Ceterum ad rem ipsam conferendus est locus Quintil. III, 2: « Initium ergo dicendi dedit natura: initium artis *observatio*. Homines enim, sicut in medicina quum viderent alia salubria, alia insalubria, ex *observatione* eorum effecerunt *artem*; ita quum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum vitandumque, et quaedam secundum rationem eorum adiecerunt ipsi quoque; haec confirmata sunt *usu*; tum quae sciebat quisque, docuit. »

Observata — animadversa ac notata) i. e. sin quae acta et usurpata sunt ab oratoribus in usu et tractatione dicendi, ea animadversa, et memoriae mandata sint ab hominibus ingeniosis et usu rerum peritis.

Non est ea quidem) Hunc ordinem servant edit. Omniboni et Lambini, concinniorem quidem vulgato: *non est quidem ea*.

repudiaret. Sed existimo, inquit, gratum te his, Crasse, facturum, si ista exposueris, quae putas ad dicendum plus, quam ipsam artem, posse prodesse.

Dicam equidem, quoniam institui, petamque a vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis; quamquam moderabor ipse, ne, ut quidam magister atque artifex, sed quasi unus e togatorum numero, atque ex forensi usu homo mediocris, neque omnino rudis, videar, non ipse aliquid a me promisisse, sed fortuito in sermonem

Assentire) Edd. Vict. Kob. *assentiri.*

Gratum te his esse, Crasse, facturum) Sic Victor. Vulg. omittitur *esse.* In ed. Kob. est *gratum te his esse facturum*, omisso nomine *Crasse.*

* *Togatorum*) Vt pallium Graecorum erat proprium, adeoque palliati vocabantur: ita a toga, qua Romani utebantur, togatorum nomen habuere. Virgilius:

Romanos rerum dominos, gentemque togatam. PRVST.

* *Aliquid a me prompsisse*) Annon et qui sponte, et qui inviti loquuntur, omnia *a se promunt*? an vero *a se promere* significat sponte promere? haec significatio praepositionis *a* cum verbo *promo* nullibi mihi occurrit. Vide igitur, Lector, annon editio Ven. et MSS. Norf. Mag. Mead. Harl. 1, Cant. Balg. Wag. Nov. et Joan. vetustissimus suggerant verissimam lectionem, *promisisse*: quibus si fides adhibenda sit, sic locum refingas: *Non ipse aliquid de me promisisse, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse.* Literae *e* et *a* in MSS. saepe confunduntur, et litera *d* vocis *de* facile absorberi potuit a litera postrema praecedentis vocis *aliquid.* Eodem modo loquitur Horatius Serm. l. I, Sat. 4:

—— *Vt si quid* promittere de me
Possum aliud vere, promitto.

Porro haec lectio optime quadrat iis, quae supra dicta sunt: innuit enim Crassus se nolle imitari Graecos, quos in praecedenti capite arguit impudentiae, quod nulla erat res, de qua non se omnia, quae dici possent, profiterentur esse dicturos; id est, promittebant se omnibus quaestiunculis responsuros esse. Crassus igitur istis Graecis magistris, atque artificibus dicendi opponit se, quem vocat *unum e togatorum numero atque ex forensi usu hominem.* Vt illi, inquit Crassus, artifices sunt, et magistri dicendi, ego vero tantum, quantum mihi opus est, didici; sic illi de se omnia promittunt, ego vero nunquam sponte, nunquam, nisi fortuito, in huiusmodi disputationes venio. PEAR.

A me promsisse) Eleganter, pro, non mea sponte aliquid a me excogitatum et praeparatum protulisse: argutatur h. l. Pearcius. Vitiose veteres quidam *promisisse*, ut Erl. ERNEST.

A me promisisse) Vulgo *a me promsisse*, quam lectionem iam Pearceius merito improbavit. Nam quomodo haec inter se opponantur: *non ipse videor aliquid a me promsisse, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse.* Lectionem *promisisse* habent MSS.

vestrum incidisse. Equidem, quum peterem magistratum, solebam in prensando dimittere a me Scaevolam, quum ei ita dicerem, me velle esse ineptum. Id erat petere blandius; quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri. Hunc autem esse unum hominem ex omnibus, quo praesente ego ineptum esse me minime vellem:

Pearcii Norf. Mag. Mead. Harl. 1, Cant. Bal. Wag. et vetustissimus Ioan. Accedunt Guelf. A, C. Habent etiam ed. Ven. 1478, ed. Omnib. Nempe *a me promisisse*, est idem ac *mea sponte aliquid promisisse*. Nec opus est cum Pearcio reponere: *de me promisisse*. Differunt enim *a se promittere*, et *de se promittere*. Illud est, ut diximus, *suapte sponte*, non admonitum vel inductum ab aliquo, *promittere*; contra *aliquid de se promittere* significat, promittere se hoc vel illud facturum esse.

Magistratum) Ex cdd. pr. et cod. Erl. sic rescripsit Ernesti. Vulg. *magistratus*. Nempe aptius est h. l. magistratum aliquem, quam omnes magistratus significari.

Hunc autem semper iudicavi esse hominem unum) Hanc lectionem eruit e cod. MS. Arntzenius ad Mamert. Panegyr. cap. 2, quum vulgo legatur *hunc autem esse unum hominem* — minus apte, ut opinor. Nam ex hac lectione sequeretur, Crassum in prensando Scaevolam his fere verbis a se dimisisse: «Abi quaeso, Scaevola; nunc enim volo esse ineptus. Tu autem es unus ex omnibus, quo praesente ego ineptum esse me minime velim.» Quod sane fuisset putidum et molestum. Salsius enim et facetius postrema haec verba intelligenda potius Scaevolae relinquebantur, quam pronuntiabantur. Illa quoque parenthesis *id erat petere blandius — fieri*, mollius distinguit antecedentia a consequentibus, per lectionem ab Arntzenio laudatam. Denique ea confirmari videtur Valerii Maximi et Mamertini auctoritate. Ille enim dictorum et factorum memorabilium lib. V, 4, rem sic narrat: «Consulatum petens L. Crassus, quum omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id praesente Q. Scaevola, gravissimo et sapientissimo viro, socero suo, faceret. Itaque rogabat eum, *ut a se, dum ineptae rei deserviret, discederet*; maiorem verecundiam dignitatis eius, quam candidae togae suae respectum agens.» Et Mamertin. Panegyr. cap. 16: «Vnde illud Crassi celebre dictum. Quum peteret consulatum, et forte cum Scaevola socero per vias urbis incederet, nec praesente gravissimo et severissimo viro blandiri populo, palpare obvios, et artes petitorias auderet exercere: Quaeso, inquit, Muci, paullisper abscedas, nec comitatu tuo honestari me putes: impedis honorem meum; te spectante ineptus esse non possum.» — Ceterum Pearcius ordinem hunc: *esse hominem unum*, auctoritate codd. MSS. et edit. Lambin. recte praetulit alteri: *esse unum hominem*.

Quo praesente ego ineptum esse me minime vellem) Hanc lectionem e cod. Guelf. A, auctore Heusingero ad Cic. offic. II, 22, restitui, cuius ob-

quem quidem nunc mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. Nam quid est ineptius, quam de dicendo dicere, quum ipsum *dicere* nunquam sit non ineptum, nisi quum est necessarium?

Perge vero, Crasse, inquit Mucius. Istam enim culpam, quam vereris, ego praestabo.

25. Sic igitur, inquit Crassus, sentio, naturam primum, atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam: neque vero istis, de quibus paulo ante dixit Antonius, scriptoribus artis, rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque sint uberes, et ad memoriam firmi atque diuturni. Et si quis est, qui haec putet arte accipi posse (quod falsum est; praeclare enim se res habeat, si haec accendi, aut commoveri arte possint: inseri quidem, et donari ab arte non possunt); quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine nascuntur? linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam et figura totius oris

servatio digna est, quae ibi tota legatur. Vulg. *quo praesente ego ineptus esse minime vellem.*

Quum ipsum dicere) Vulg. *quum id ipsum dicere.* Sed rectius *id* omittunt MSS. Ioan. Wag. Gonv. Mag. et Harl. duo.

Sic — sentio) Hoc Pearcius et Ernesti revocaverunt ex antiquis edd. Vulg. *Sic — censeo.*

Accipi) Codd. Ox. V, ε, *percipi.* Aptius autem et elegantius alterum.

Inseri quidem et donari ab arte non possunt) Vulg. additur: *omnia; sunt enim illa dona naturae.* Haec autem orationem misero quodam languore afficiunt, et sine dubio sunt ab interpolatore profecta. Aliquantulum in vulgata proficitur Pearcii interpunctione, et particula *enim* transposita: *non possunt; omnia sunt enim illa dona naturae*; attamen haec ipsa melius reticentur, et ex iis, quae deinceps posita leguntur, colligi possunt.

Latera vires) Pearcio placebat, *laterum vires*, quod sane praeferrem, si codices addicerent. Sed alibi quoque componuntur *latera et vires*, ut in Cat. Mai. c. 9: *est enim munus eius non ingenii solum, sed laterum etiam et virium*, in quo vel est ἓν διὰ δυοῖν, vel, ut saepe fit, vocabulum formae cum vocabulo generis coniungitur. Sic etiam deinceps ponuntur *lacerti et vires*; ut Orat. I, c.

et corporis? Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit (neque enim ignoro, et quae bona sint, fieri meliora posse doctrina, et quae non optima, aliquo modo acui tamen et corrigi posse); sed sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes, ut etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint; sunt autem quidam ita in iisdem rebus habiles, ita naturae muneribus ornati, ut non nati, sed ab aliquo deo ficti esse videantur. Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere ac profiteri, se esse, omnibus silentibus, unum maximis de rebus, magno in conventu hominum, audiendum. Adest enim fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta, videat. Ita, quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit. Neque haec in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream. Quis enim non videt, C. Coelio, aequali meo, magno honori fuisse

57: « a quo quum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris *lacertis viribusque* torquebit. »

* *Vt ars aliquid limare*) Ars naturae dotes perficit, corrigit vitia, ut liquet exemplo Demosthenis. Ad eloquentiom et ingenio, et arte opus est, quod ad poësim requirebat Horatius in Arte:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est; ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, et coniurat amice. PRVST.

Et quae non optima) i. e. mediocria, ut recte accepit Pearcius.

Naturae muneribus) Haec verba perperam omissa in Victor. In edd. nonnullis ante Peorcium legebatur: *Sunt autem quidam ita naturae muneribus in iisdem rebus habiles, ita ornati.* Transpositioni autem sane commodae favent MSS. Caot. Wag. Gonv. Nov. Bal. Mag. Mead. Harl. duo et Ioan. Item edd. Carol. Steph. Ven. Mediol. Lambin.

Nati — ficti) Neque post *nati* aliquid deest, ut Ern. putabat, neque *facti* pro *ficti* legendum. Sed est tacitus quidam respectus ad Prometheum; et *fingere* saepe est i. q. creare.

Ac profiteri) Rectius sic legit Nizolius, ne bis recurrat *atque*.

homini novo, illam ipsam, quamcunque assequi potuit, in dicendo mediocritatem? Quis vestrum aequalem, Q. Varium, vastum hominem atque foedum, non intelligit, illa ipsa facultate, quamcunque habet, magnam esse in civitate gratiam consequutum?

26. Sed quia de oratore quaerimus, fingendus est nobis oratione nostra, detractis omnibus vitiis, orator, atque omni laude cumulatus. Neque enim, si multitudo litium, si varietas causarum, si haec turba et barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus, idcirco nos hoc, quod quaerimus, omittemus. Itaque in iis artibus, in quibus non utilitas quaeritur necessaria, sed animi libera quaedam oblectatio, quam diligenter, et quam prope fastidiose iudicamus? Nullae enim lites, neque controversiae sunt, quae cogant homines, sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. Est igitur oratori diligenter providendum, non uti illis satisfaciat, quibus necesse est, sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat iudicare. Ac, si quaeritis, plane, quid sentiam, enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc tacui, et tacendum semper putavi. Mihi etiam, qui quam optime dicunt,

Homini novo) Non erat, cur Ernesti hoc transponendum putaret post *aequali meo*. Imo gravius postponitur verbo *fuisse*, est enim idem ac *quavis homini novo*.

Cumulatus) Guelf. A, cum multis Edd. habet *cumulandus*, quod etsi referri potest ad *fingendus*, sensus tamen aptior e vulgata existit: Fingendus est nobis orator is, cui sint omnia vitia detracta, et qui sit omni laude cumulatus. Recte igitur hoc iam Pearcius restituit e MSS. Cant. Nov. Gonv. Bod. Mag. Wag. Mead. Harl. item Edd. Ven. Asc. Manut. Lambin. et Rob. Steph.

* *Nullae enim lites*) Haec est Crassi sententia. Oratores malos ferimus, propterea quod litibus et forensi negotio carere homines non possunt, aut etiam nolunt: theatro autem, et eiusmodi artibus, in quibus est tantum oblectatio, possunt carere, unde malos actores pati non possunt. Pavst.

Mihi etiam, qui quam optime dicunt) Vulg. *Mihi etiam quique optime dicunt*. Sed repetitum *quique* — *quique*, praesertim quum praecedat *etiam*, non placet.

quique id facillime atque ornatissime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes videntur: tametsi id accidere non potest. Vt enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, variosque eventus orationis, hominumque exspectationem pertimescit. Qui vero nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere atque edere, is mihi, etiamsi commovetur in dicendo, tamen impudens videtur. Non enim pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. Quem vero non pudet (id quod in plerisque video) hunc ego non reprehensione solum, sed etiam poena dignum puto. Equidem et in vobis animadvertere soleo, et in me ipso saepissime experior, ut exalbescam in princi-

Ornatissime) Hoc est, qui meditatione et commentatione efficiunt, ut promti et parati ad dicendum accedant. Itaque *ornatissimus* h. l. est idem ac omnibus ad dicendum copiis adornatus et instructus.

Exordienda) Ita rectius ediderunt Pearcius et Ernesti. Multi olim *ordienda*.

* *Perturbantur*) Id de se ipse Cicero fatetur oratione in Q. Caecilium, quae divinatio dicitur: *Ita deos mihi velim propitios, ut cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.* Et pro Deiotaro: *Quum in omnibus causis gravioribus initio dicendi commoveri soleam vehementius, quam videtur vel usus, vel aetas mea postulare; tum in hac causa ita me multa perturbant, ut quantum mea fides studii mihi afferat ad salutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat.* Pavst.

* *Variosque eventus*) Ita nonnunquam perturbantur egregii oratores, ut in dicendo haereant. Obmutuit Demosthenes praesente Philippo Macedonum rege: obmutuit Theophrastus apud Athenienses orationem habiturus. Cicero ipse, exceptus acclamatione Clodianorum, ut refert Asconius, non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Idem.

Hominumque expectationem) Guelf. B, C, ordine h. l. concinniore, quam vulg. *exspectationemque hominum.*

Etiamsi commovetur) Coniunctivo *commoveatur*, quem praeferunt edd. nonnullae ante Aldnm, h. l. nihil opus est. Sic paulo ante in simili consecutione verborum *nisi — accedunt — perturbantur.*

In me ipso) Recte hoc opponitur τῷ *in vobis*; et perperam scriberetur *in me ipse*, quod Pearcio placere videbatur.

piis dicendi, et tota mente, atque omnibus artubus contremiscam. Adolescentulus vero sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simulac me fractum ac debilitatum metu viderit.

27. Hic omnes assensi, significare inter sese, et colloqui coeperunt. Fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non modo non obesset eius orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.

Tum Antonius, Saepe, ut dicis, inquit, animadverti, Crasse, et te, et ceteros summos oratores, quamquam tibi par mea sententia nemo unquam fuit, in dicendi exordio permoveri. Cuius quidem rei quum causam quaererem, quidnam esset, cur, ut in quoque oratore plurimum esset, ita maxime is pertimesceret, has causas inveniebam duas. Vnam, quod intelligerent ii, quos usus ac natura docuisset, nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere; ita non iniuria, quotiescunque dicerent, id, quod aliquando posset accidere, ne tum accideret, timere. Altera est haec, de qua queri saepe soleo: ceterarum homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerunt, quam solent, aut noluisse, aut valetudine impediti non potuisse consequi, id, quod scirent, putantur; *Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius;* aut *crudior fuit;* oratoris peccatum, si quod est animad-

* *Q. Maximo*) Q. scilicet Fabio Maximo Serviliano, qui consulatum gessit anno V. C. 611, deinde censuram anno 627, ante Christum 127. PAVST.

Hic omnes assensi, significare inter sese) Pearcius edidit: *Hic omnes assensum significare, et colloqui inter se coeperunt.* Vulgata ob verius depictum colloquentium gestum suavior est. Etenim *significare inter se* dicitur, ut apud Plaut Trucul. IV, 3, 14, *ne inter vos significetis.* Similiter apud Caesarem Bell. Civil. I, 86, *significare* absolute ponitur: «et voce et manibus significare coeperunt.«

* *Roscius*) Insignis aetate Ciceronis histrio. PAVST.

Crudior fuit) h. e. raucitatem vocis contraxerat ex cruditate, s. mala

versum, stultitiae peccatum videtur. Stultitia autem excusationem non habet; quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, stultus fuisse. Quo etiam gravius iudicium in dicendo subimus. Quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur; et, qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum; cuius in dicendo aliquid reprehensum est, aut aeterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis.

28. Illud vero, quod a te dictum est, esse permulta, quae orator nisi a natura haberet, non multum a magistro adiuvaretur, valde tibi assentior, inque eo vel maxime probavi summum illum doctorem, Alabandensem Apollonium, qui quum mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos iudicabat non posse oratores evadere, operam apud sese perdere, dimittebatque, et ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat. Satis est enim ceteris artificiis percipiendis, tantummodo similem esse hominis, et id, quod tradatur, vel etiam inculcetur, si quis forte sit tardior, posse percipere animo, et memoria custodire. Non quaeritur mobilitas linguae, non celeri-

concoctione. Seneca Rhetor in prooemio lib. I Controversiar. de Porcio Latrone: « Vox robusta, sed *sordida* lucubrationibus; et negligentia non natura infuscata — — Saepe quum per totam lucubraverat noctem, *ab ipso cibo* statim ad declamandum perveniebat. —» Quintilianus tamen Inst. or. XI, 3, 27: « nam crudum quidem, inquit, aut saturum, aut ebrium — — declamare neminem, qui sit mentis compos, puto. »

Toties de nobis iudicatur) Hinc Q. Cicero de petitione consulatus c. 1: « Ita paratus, inquit, ad dicendum venito, quasi in singulis causis iudicium de omni ingenio futurum sit. »

Cuius in dicendo) Vulg. *cuius autem in dicendo*. Sed particula adversativa abest codd. Guelf. B, C, et saepe elegantius supprimitur. Conf. Gronov. ad Auct. ad Herenn. IV, 14.

Et ad quam quemque artem) Optime Peareius hanc lectionem ex ed. Ven. Mediol. al. restituit. Nam vulgata: *ad quamcunque artem* ferri non potest, quia *aptum* non habet, quo referatur. Etiam Guelf. A scriptum est *ad quam quemque artem*. Codd. B, C vero vitiose *ad quanque artem*.

tas verborum, non denique ea, quae nobis non possumus fingere, facies, vutus, sonus. In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, memoria iurisconsultorum, vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri potest. Quae enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea, nisi omnia summa sunt in oratore, probari non possunt.

Tum Crassus, Atqui vide, inquit, in artificio perquam tenui et levi, quanto plus adhibeatur diligentiae, quam in hac re, quam constat esse maximam. Saepe enim soleo audire Roscium, quum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem; non quo non essent quidam probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset. Nihil est enim tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriae stabile, quam id, in quo aliquid offenderis. Itaque ut ad hanc similitudinem huius histrionis oratoriam laudem dirigamus, videtisne, quam nihil ab eo, nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fiat, nihil nisi ita, ut deceat, et uti omnes moveat atque delectet? Itaque hoc iam diu est consequutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur. Hanc ego absolutionem perfectionemque in oratore desiderans, a qua ipse longe absum, facio impudenter; mihi enim volo ignosci, ceteris ipse non ignosco. Nam qui non potest, qui vitiose facit,

Perquam tenui) Guelf. B, C, *opera tenui*. Sed Nizol. Omnib. Kob. ediderunt: *in artificio et opera quam tenui* —.

* *Artificio perquam tenui*) Non alia vilior, si servitia exceperis, quam histrionum fuit apud Romanos conditio. Nonnullis Imperatorum legibus infames declarantur in codice Iustinian. lib. XI, titulo 41, *aliis tamen ab infamia vindicari videntur. Pavst.

quem denique non decet, hunc (ut Apollonius iubebat) ad id, quod facere possit, detrudendum puto.

29. Num tu igitur, inquit Sulpicius, me, aut hunc Cottam, ius civile, aut rem militarem iubes discere? Nam quis ad ista summa, atque in omni genere perfecta, potest pervenire?

Tum ille, Ego vero, inquit, quod in vobis egregiam quandam ac praeclaram indolem ad dicendum esse cognovi, idcirco haec exposui omnia; nec magis ad eos deterrendos, qui non possent, quam ad vos, qui possetis, exacuendos accommodavi orationem meam; et quamquam in utroque vestrum summum esse ingenium studiumque perspexi, tamen haec, quae sunt in specie posita, de quibus plura fortasse dixi, quam solent Graeci dicere, in te, Sulpici, divina sunt. Ego enim neminem, nec motu corporis, neque ipso habitu atque forma aptiorem, nec voce pleniorem, aut suaviorem mihi videor audisse; quae quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possunt, ut iis, quae habeant, modice et scienter utantur, et ut ne dedeceat. Id enim est maxime vitandum, et de hoc uno minime est facile praecipere, non mihi modo, qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio, quem saepe audio dicere, caput esse artis, *decere*, quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit. Sed, si placet, sermonem alio transferamus, et nostro more aliquando, non rhetorico, loquamur.

Minime vero, inquit Cotta. Nunc enim te iam exo-

Num tu igitur) Guelf. B, *num igitur*.

* *Quae sunt in specie posita*) Quae pertinent ad quandam corporis dignitatem; ut actio, vox, motus et conformatio corporis. PRVST.

Vt iis, quae habeant) Cod. Guelf. C, *uti iis quae habent*, quod verius videtur vulgato. Cod. Guelf. B: *ut iis quae haberent.*

Modice) Id est, quod bene Ernesti monuit, non *mediocriter*, sed *moderate*.

remus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quidquid est istud, quod tu in dicendo potes. Neque enim sumus nimis avidi; ista tua mediocri eloquentia contenti sumus, idque ex te quaerimus (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assequutus es), quoniam, quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse assumendum putes?

30. Tum Crassus arridens, Quid censes, inquit, Cotta, nisi studium, et ardorem quendam amoris? sine quo quum in vita nihil quidquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo unquam assequetur. Neque vero vos ad eam rem video esse cohortandos; quos, quum mihi quoque sitis molesti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. Sed profecto studia nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque, cognoris. Quare, quoniam mihi levius quoddam onus imponitis, neque ex me de oratoris arte, sed de hac mea, quantulacunque est, facultate quaeritis, exponam vobis quandam, non aut perreconditam, aut valde difficilem, aut magnificam, aut gravem rationem consuetudinis meae, qua quondam solitus sum uti, quum mihi in isto studio versari adolescenti licebat.

Tum Sulpicius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatum! quod enim neque precibus unquam, nec insidiando, nec speculando assequi potui, ut, quid Crassus ageret, meditandi aut dicendi causa, non modo videre mihi, sed ex eius scriptore et lectore Diphilo suspicari

Istud) Guelf. C, *illud*.

* *Ista tua mediocri*) Ironice dictum; tua tibi videtur eloquentia mediocris, nobis maxima. PRVST.

Cohortandos) Guelf. B, C, *adhortandos*.

* *Eius scriptore*) Romani studiis literarum addicti, ut parcerent operae, servos habebant, quibus ad scribendum et legendum uterentur. Id Ciceroni Tyro, Crasso Diphilus praestabat. PRVST.

liceret; id spero nos esse adeptos, omniaque iam ex ipso, quae diu cupimus, cogniturus.

31. Tum Crassus: Atqui arbitror, Sulpici, quum audieris, non tam te haec admiraturum, quae dixero, quam existimaturum, tum, quum ea audire cupiebas, causam, cur cuperes, non fuisse. Nihil enim dicam reconditum, nihil exspectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. Nam principio illud, quod est homine ingenuo liberaliterque educato dignum, non negabo, me ista omnium communia et contrita praecepta didicisse. Primum oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodate. Deinde, esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione, sine designatione personarum et temporum; aut de re certis in personis ac temporibus locata. In utraque autem re quidquid in controversiam veniat, in eo quaeri solere, aut factumne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum esse videatur. Existere autem controversias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue quid sit scriptum, aut contrarie, aut ita, ut a sententia scriptum dissideat; his autem omnibus partibus subiecta quaedam esse argumenta propria. Sed causarum, quae sint a communi quaestione seiunctae, partim in iudiciis versari, partim in deliberationibus; esse etiam genus tertium, quod in laudandis, aut vituperandis hominibus poneretur; certosque esse locos, quibus in iudiciis uteremur, in quibus aequitas quaereretur; alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus; alios item in laudationibus, in quibus ad personarum digni-

Scriptum dissideat) Codd. Guelf. B, C, *scriptura dissentiat.*

Subiecta quaedam esse) Cod. Guelf. B, *subiecta esse quaedam.*

Quae sint) Guelf. C, *quae sunt.*

tatem omnia referrentur. Quumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum, quid diceret; deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere; tum ea denique vestire atque ornare oratione; post memoria sepire; ad extremum agere cum dignitate ac venustate: etiam illa cognoram, et acceperam, antequam de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent; deinde rem demonstrandam; postea controversiam constituendam; tum id, quod nos intenderemus, confirmandum; post, quae contra dicerentur, refellenda; extrema autem oratione, ea, quae pro nobis essent, amplificanda et augenda, quaeque essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda.

32. Audieram etiam quae de orationis ipsius ornamentis traderentur; in quo praecipitur primum, ut pure et latine loquamur; deinde ut plane et dilucide; tum ut ornate; post ad rerum dignitatem apte, et quasi decore; singularumque rerum praecepta cognoram. Quin etiam, quae maxime propria essent naturae, tamen his ipsis artem adhiberi videram. Nam de actione, et de memoria quaedam brevia, sed magna cum exercitatione, praecepta gustaram. In his enim fere rebus omnis istorum artificum doctrina versatur, quam ego si nihil dicam adiuvare, mentiar. Habet enim quaedam quasi

Inventa) Guelf. B, C, *re inventa*, unde forsan suspicari liceat, Ciceronem scripsisse *res inventas*. Attamen *inventa* quoque ponitur simili in loco lib. II, c. 19: *invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis*.

In quo) Male Guelf. B, C, *in qua*. Nempe significatur: *in quo tradendi negotio praecipitur*; in ipsa oratione praecipi nihil potest.

Praecepta) Pearcius, quia MSS. Bod. habet *percepta*, suspicabatur Ciceronem scripsisse *cum exercitatione percepta praecepta*; quem bene Ernesti refutavit. Non enim Crassus brevia illa praecepta percepit cum exercitatione, sed illa praecepta sic gustavit, ut iis deinde magnam exercitationem adiungeret.

ad commonendum oratorem, quo quidque referat, et quo intuens, ab eo, quodcunque sibi proposuerit, minus aberret. Verum ego hanc vim intelligo esse in praeceptis omnibus, non ut ea sequuti oratores eloquentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, atque digessisse; sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum; quod tamen, ut ante dixi, non eiicio; est enim, etiamsi minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale. Et exercitatio quaedam suscipienda vobis est; quamquam vos quidem iampridem estis in cursu; sed iis, qui ingrediuntur in stadium, quique ea, quae agenda sunt in foro, tanquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra praediscere ac meditari.

Atque digessisse) Vulgo *atque id egisse*, quod erat manifeste corruptum, Pearcius quidem emendabat: *atque idem egisse*. Sed. h. l. non quaeritur de imitatione aliorum oratorum, sed de observationibus in artem rhetoricam digerendis. Ad sensum igitur melius Ernesti corrigebat: *ad artemque redegisse*. Idem tamen lectio *digessisse* praestat, quam a nobis coniectura repertam postea vidimus iam Gesnero placuisse, eaque minus recedit a vestigiis antiquae lectionis in vulgata servatis. Et alibi *digerendi* vocabulo in hac re Cicero utitur; ut c. 42: *ut primum omne ius civile in genera digerat*. Et c. 41: *nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent*.

Et exercitatio) Lambin. *praeterea exercitatio*. Manutius: *eius exercitatio*. Plurimi *ea exercitatio*. Et sic quoque Guelf. B, C. Ex hac vero lectione facillime exit verior: *Et exercitatio*, quam auctoribus Strebaeo, Gulielmo, Ernestio servavimus.

Sed iis) Hanc lectionem pessimo consilio mutavit Ernesti in *sed ii*, causatus *iis* non habere verbum, unde pendeat. Atqui nihil est planius, quam illud *iis* referri ad antecedens *suscipienda vobis est*. Quum enim haec Crassus dixisset, revocat se his verbis: *quamquam vos quidem iam pridem estis in cursu*, additque *sed iis suscipienda est* illa exercitatio. Ceterum Guelf. B, C, habent *sed his*.

Quique ea) Mirum est, quid Ernestio in mentem venerit, ut hic intelligendum putaret *ingrediuntur*, vel etiam deesse aliquid suspicaretur. Immo vero refertur ad *possunt — meditari*. Sed illum error abstulerat, quo paulo ante *ii* pro *iis* legendum opinabatur.

* *Tanquam in acie*) Forum comparatur cum acie et proelio: exercitatio vero domestica cum palaestra, in qua milites tirones ludicris certaminibus finguntur ad vera proelia. PRUST.

Hanc ipsam, inquit Sulpicius, nosse volumus; ac tamen ista, quae abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus, quamquam sunt nobis quoque non inaudita. Verum illa mox: nunc, de ipsa exercitatione quid sentias, quaerimus.

33. Equidem probo ista, Crassus inquit, quae vos facere soletis, ut, causa aliqua posita cousimili causarum earum, quae in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad veritatem accommodate; sed plerique in hoc vocem modo, neque eam scienter, et vires exercent suas, et linguae celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. Vere enim etiam illud dicitur, perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est, etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere. Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus), quam plurimum scribere. Stilus optimus, et praestantissimus dicendi effector ac magister; neque iniuria. Nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit. Omnes enim, sive artis sunt loci, sive ingenii cuiusdam atque prudentiae, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, anquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus ostendunt se et occurrunt; omnesque sententiae, verbaque omnia, quae sunt cu-

Ac tamen) Hoc e cod. Guelf. B, C, reposuimus pro vulg. *attamen*, minus opto ad consecutionem sententiae.

In istis ipsis exercitationibus) Guelf. B, *in ipsis istis exercitationibus.*

* *Loci*) Loci oratorii sunt argumentorum sedes; alii intrinseci, et in ipsa causa positi, ut definitio, enumeratio partium, etc. alii extrinseci, et extra rem ipsam, ut locus a fama, a testibus, etc. Pryst.

iusque generis maxime illustria, sub acumen stili subeant et succedant necesse est; tum ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poëtico, sed quodam oratorio numero et modo. Haec sunt, quae clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt, neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quae dicantur, similia scriptorum esse videantur; atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, quum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. Vt concitato navigio, quum remiges inhibuerunt, retinet

Quum remiges inhibuerunt) Sic omnes MSS. etiam Guelf. B, C (nam in A hic est defectus). Lambinus hic legendum putabat *sustinuerunt*, eique adstipulatur Pearcius. Nimirum in uno librorum Academicorum qui periit, Cicero, de ἐποχῇ loquutus, usus erat vocabulo *inhibere*. Eius eum postea poenituit, quod intelligimus ex ep. 21 ad Atticum lib. XIII ubi: « Nunc ad rem ut redeam, inquit, INHIBERE illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum. Quamquam id quidem sciebam: sed arbitrabar *sustineri* remos, quum inhibere essent remiges iussi. Id non esse eiusmodi, didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur. Non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id ab ἐποχῇ remotissimum est. Quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit: dices hoc idem Varroni, nisi forte mutavit. Nec est melius quidquam, quam ut Lucullus (nisi forte legendum *Lucilius*): *Sustineat currum ut bonus saepe agitator equosque.* Semperque Carneades προβολὴν pugilis, et retentionem aurigae similem fecit ἐποχῇ. Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim. » Sed ad h. l. Gronovius obss. IV, 26, accurate docuit, aliud esse *remos inhibere*, aliud *remis inhibere*. Nempe hoc idem significabat ac πρύμναν κρούσασθαι, s. ἀνακρούσασθαι, *navem ad puppem convertere*, quod etiam dicebatur *navem retro inhibere*. Illud autem esse idem ac κώπας σχάζειν. Ac dubitat quidem Gronovius, an omnino Latini dixerint *inhibere remos*; adeoque apud Quintilian. Inst. or. XII, Proem. 4, legendum putat: *contrahit vela inhibetque remis.* Quidquid sit, hoc nostro loco non, ut Lambinus putabat, scribendum est, *quum remiges sustinuerunt*, sed Cicero scripsit: *quum remiges inhibuerunt*, sive verbum *inhibere* ad *navigium* retulit, in quo non intelligitur, cur non potuerit vulgari more *navigium inhibere*, ut *currum inhibere* di-

tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum: sic in oratione perpetua, quum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine et vi concitata. In quotidianis autem commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem, nostrum illum inimicum, solitum esse uti sciebam, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria, quaeque essent ornatissima, atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem. Ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut, quum ea, quae legeram graece, latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea.

cere; sive *inhibere* tanquam vocabulum nauticum, sed a se male intellectum, adhibuit. Recte etiam Ernesti monuit, librariis hoc in mentem venire haud potuisse, ut, si Cicero scripsisset *sustinuerunt*, pro eo *inhibuerunt* reponerent.

Commentationibus) Cod. Guelf. B, C, *concitationibus*. Scriptura cod. Erl. accedit proxime ad *commentationibus*, quod et vulgatae *cogitationibus*, et Pearcii lectioni *exercitationibus* praeferendum censeo.

* *Carbonem*) Qui sibi veneno necem intulit, ut traditur in Bruto. PRVST.

Forte proposuissem) Guelf. B, C, *forte posuissem*, quod probat Heusingerus.

Quae legeram) Sic Cod. Guelf. C, idque placuit Heusingero, quod respicitur paulo ante dictum *quibus lectis*. Vulg. *quae legerem*.

34. Iam vocis et spiritus et totius corporis et ipsius linguae motus et exercitationes, non tam artis indigent, quam laboris; quibus in rebus habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes velimus esse. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis. Atque in ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere, si consueris, etiam istam locorum simulacrorumque rationem, quae in arte traditur. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque in aciem forensem. Subeundus usus omnium, et periclitandae vires ingenii; et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est. Legendi etiam poëtae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores atque doctores et legendi, et pervolutandi, et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contrarias partes, et quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum. Perdiscendum ius civile, cognoscendae

Si consueris) Guelf. B, C, *si consueverit.*

* *Locorum simulacrorumque rationem*) Memoria artificialis, de qua consulendus liber III ad Herennium, cap. 21, maxime in eo continetur, ut loca, et imagines quaedam animo informentur, quibus velut imponantur et inhaereant ea, quorum volumus meminisse. Loca sunt, verbi gratia, domus aliqua, ubi limen, cubicula, fenestrae, etc. Imagines, aliae sunt hominum et ferarum, aliae rerum anima et motu carentium, ut arborum, lapidum, etc. Quae imagines certo inter se ordine collocatae res ipsis affixas facilius exhibent. Vide Fabium lib. XI, cap. 2. PRVST.

Scriptores atque doctores) Sic Guelf. B, C, quod commendavit Heusingerus, ut vulgato *scriptores ac doctores* h. l. sonantius. Guelf. A vero habet *doctores atque scriptores legendi.*

Eliciendum) Quod vulgo additur *atque discendum*, recte abest codd. Guelf. B, C, Ox. α, ε. Est enim hic prorsus superfluum et frigidum.

leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina reipublicae, iura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda est; libandus etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo, tanquam sale, perspergatur omnis oratio. Effudi vobis omnia, quae sentiebam, quae fortasse, quemcunque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset.

35. Haec quum Crassus dixisset, silentium est consequutum. Sed quamquam satis iis, qui aderant, ad id, quod erat propositum, dictum videbatur, tamen sentiebant celerius esse multo, quam ipsi vellent, ab eo peroratum.

Tum Scaevola, quid est, Cotta? inquit, quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod praeterea a Crasso requiratis?

Id mehercule, inquit, ipsum attendo. Tantus enim cursus verborum fuit, et sic evolavit oratio, ut eius vim atque incitationem adspexerim, vestigia ingressumque vix viderim; et tanquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis et signis propalam

* *Iura sociorum*) Socii Romanorum dicebantur ii populi, qui vel sua sponte, et bello non lacessiti societatem cum Romanis inibant; vel qui ab iis victi, certas, quibus uterentur, leges accipiebant: suas etiam foedere constituto servabant. PAVST.

* *Foedera*) Multo plus habent dignitatis, et caeremoniarum, quam pactiones: fiunt enim foedera vocatis divis, dato iureiurando, occisa porca; pactiones sola voce aliquando concipiuntur, et data invicem, acceptaque fide. Rursum, pactiones iniri cum privatis possunt, non foedera. ID.

Libandus) Guelf. B, C adiiciunt *est.*

Perspergatur) Guelf. C, *spargatur.*

Quemcunque) Guelf. B, C, *si quemcunque.*

Quid tacetis) Guelf. A, *quod tacetis.* Idque expressit Olivet.

Id mehercule ipsum attendo) Sic Guelf. A, B, C, omissa particula *Immo*, quae vulgo praeponitur his verbis. Et sane h. l. elegantius abest. Nec agnovit Nonius.

Venerim) Sic Guelf. A, B, C, quod et Grutero Gronovioque placuit, et est sane imperfecto *venirem*, quod vulgo ponitur, aptius.

collocatis, sed his omnibus multis magnificisque rebus constructis ac reconditis: sic modo in oratione Crassi divitias atque ornamenta eius ingenii per quaedam involucra atque integumenta perspexi; sed ea quum contemplari cuperem, vix aspiciendi potestas fuit. Ita neque hoc possum dicere, me omnino ignorare, quid possideat, neque plane nosse, ac vidisse.

Quin tu igitur facis idem, inquit Scaevola, quod faceres, si in aliquam domum plenam ornamentorum, villamve venisses? Si ea seposita, ut dicis, essent, tu valde spectandi cupidus esses; non dubitares rogare dominum, ut proferri iuberet, praesertim si esses familiaris: similiter nunc petes a Crasso, ut eam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco, quasi per transennam praetereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat, et suo quidque in loco collocet.

Ego vero, inquit Cotta, a te peto, Scaevola; me enim, et hunc Sulpicium impedit pudor ab homine omnium gravissimo, qui genus huiusmodi disputationis semper contemserit, haec, quae isti forsitan puerorum elementa videantur, exquirere. Sed tu hoc nobis da, Scaevola,

Plenam ornamentorum, villamve venisses) Sic edit. Waldarferi, et margo MS. Ioan. teste Pearcio, et ex illa recepit Ernesti. *Villam* legitur in Guelf. A, B, sed in hoc corrector fecit *illam*. In Guelf. C vitiose *ullam*. Ed. Lips. *vel in villam*. Plerique *villamque*. Victorius autem et Lambinus ediderunt: *plenam ornamentorum illam venisses.*

Si esses familiaris) Recte sic Ernesti ex edit. Waldarf. aliisque. Et sic Guelf. B. Vulg. *esset.*

Quasi per transennam praetereuntes strictim aspeximus) Nullum dubium est de veritate huius lectionis; quamquam Scioppius olim et Pareus putabant *per transennam* esse ex *praetereuntes* ortum. Nam Nonius quoque Marcellus agnovit *per transennam*, idque explicavit *fenestram*; scil. clathratam. Idem placuit Salmasio ad Solinum p. 643.

* *Per transennam aspeximus*) Proverbialis locutio, hoc est per cancellos ante fenestram positos, vel fenestram opere reticulato factam. Quae Regum III, *θυρίδες δεδικτυωμέναι*, appellantur Procopio Gazaeo *φωταγωγοὶ δικτυωειδῶς κατεσκευασμέναι*, quae quia visum praetereuntium tramittunt, sed satis obscurum, quod non plene nec plane videmus, quasi per transennam dicimur aspicere. Gu.

et perfice, ut Crassus haec, quae coarctavit et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet.

36. Ego mehercule, inquit Mucius, antea vestra magis hoc causa volebam, quam mea. Neque enim tantopere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quantopere eius in causis oratione delector: nunc vero, Crasse, mea quoque etiam causa rogo, ut quoniam tantum habemus otii, quantum iamdiu nobis non contigit, ne graveris exaedificare id opus, quod instituisti. Formam enim totius negotii opinione maiorem, melioremque video; quam vehementer probo.

Enimvero, inquit Crassus, mirari satis non queo, etiam te haec, Scaevola, desiderare, quae neque ego teneo, uti ii, qui docent, neque sunt eius generis, ut, si optime tenerem, digna essent ista sapientia ac tuis auribus.

Ain tu? inquit ille. Si de istis communibus et pervagatis vix huic aetati audiendum putas, etiamne illa negligere possumus, quae tu oratori cognoscenda esse dixisti, de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes et incitantur et reprimuntur, de historia, de antiquitate, de administratione reipublicae, denique de nostro ipso iure civili? Hanc enim ego omnem scientiam, et copiam rerum, in tua prudentia sciebam inesse: in oratoris vero instrumento tam lautam supellectilem nunquam videram.

37. Potes igitur, inquit Crassus (ut alia omittam innumerabilia et immensa, et ad ipsum tuum ius civile veniam), oratores putare eos, quos multas horas ex-

Incitantur et reprimuntur) Sic ed. Omnib. Kob. Vulg. *incitarentur et reprimerentur*, quod ferri posset ad *dixisti* relatum. Sed melius suspenditur a verbis *etiamne illa negligere possumus*.

spectavit, quum in campum properaret et ridens et stomachans Scaevola, quum Hypsaeus maxima voce, plurimis verbis, a M. Crasso praetore contenderet, ut ei, quem defendebat, causa cadere liceret; Cn. autem Octavius, homo consularis, non minus longa oratione recusaret, ne adversarius causa caderet, ac ne is, pro

Exspectavit - properaret) Guelf. B, C, male *exspectavi — properarem*. Nam rem de Scaevola, Pontifice Max. narrari perspicuum est ex his quae sequuntur verbis: *Memini enim, mihi narrare Mucium*. Neque vero est, quod in *exspectavit* de sensu ambigamus. Scaevola enim dicitur, quamquam in campum properabat, tamen hos oratores multas horas dicentes *exspectasse* partim ridens, partim stomachans; et *exspectare* non est h. l. opperiri dicturum, sed operam dare dicenti. Quare minime opus est *spectavit*, ut Purgoldo visum, reponere.

* *In campum*) A Marte, cui sacer erat, nomen habuit campus Martius, ubi et comitia centuriata habebantur, et, tanquam in palaestra, iuventus romana militiae rudimentis instituebatur. Pa᷈vst.

* *Hypsaeus*) Causam integram accipe. Ibat Scaevola pontifex in campum Martium ad comitia; iter illi per forum fuit, in eo reperit oratores duos inter se litigantes, et graviter ignoratione iuris civilis peccantes. Horum uni nomen Hypsaeus erat, alteri Co. Octavius, qui consulatum gesserat anno V. C. 626. Hypsaeus accusabat aliquem tutorem, quod pupilli fortunas male administrasset. Hoc *iudicium tutelae* appellatur. Octavius tutorem defendebat. Iudex huius controversiae M. Crassus, qui tum praetor urbanus erat, nempe anno V. C. 648. Qui iudicio tutelae damnabatur, cogebatur pupillo, cuius rebus male consuluisset, pecuniam solvere, ac damnum resarcire; deinde lege duodecim tabularum iubebatur aliquid ultra pendere, multae nomine. Quod si pupillus, aut eius patronus plus a reo peteret, quam deberetur, cadebat causa. Hoc petebat Hypsaeus, et plus petebat, quam par esset, adeoque debebat causa cadere. Contendebat, inquit L. Crassus, ut ei, quem defendebat, nempe suo pupillo, causa cadere liceret; hoc est, petebat, ut edicto praetoris tribueretur pupillo suo maior pecuniae summa, quam deberetur; quod erat velle causam amittere. Octavius, tutoris accusati defensor imperitus, quum deberet hoc ipso vehementer laetari, quod plus, quam fas erat, peteretur, id enim si obiecisset postea, et probasset, causam obtinuisset, ac reum tutorem turpi iudicio tutelae male administratae, atque omni molestia, et periculo liberasset: Octavius, inquam, longa oratione recusabat, ne plus peteretur, hoc est, ne Hypsaeus causa caderet, atque ipse litem obtineret. Idem.

* *Causa cadere liceret*) Vt naturam huius litis, eiusque quae in sequenti capite occurrit, bene intelligamus, audi Erasmum in Adag. Chil. V, Cent. 2, Prov. 15: « Causa cadere is videbatur qui male agendo ius agendi perdidisset. *Si quis* (inquit Iustinianus lib. IV, tit. 6, de Action. paragr. *Si quis* etc.) *agens in intentione sua plus complexus fuerit, quam*

quo ipse diceret, turpi tutelae iudicio, atque omni molestia, stultitia adversarii, liberaretur?

Ego vero istos, inquit (memini enim mihi narrare Mucium), non modo oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarim.

Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neque dicendi ratio aut copia, sed iuris civilis prudentia: quod alter plus, lege agendo, petebat, quam quantum lex in XII tabulis permiserat; quod quum impetrasset, causa caderet; alter iniquum putabat plus secum agi, quam quod erat in actione, neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum.

Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali Q. Pompeii, praetoris urbani, familiaris nostri, sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, ut illi, unde

ad eum pertineret, *causa cadebat*, i. e. rem amittebat; in proximo vero paragrapho ostendit (sc. Iustinianus) vocem hanc plus quadrifariam intelligi; re, tempore, loco, et causa: re, si quis pro decem aureis petat viginti, quale Hypseus iste fecerat; tempore, si quis ante diem vel conditionem petat; quod in sequenti capite patronum quendam fecisse dicit Crassus. PEARC.

Turpi tutelae iudicio) In edd. pr. est *turpiculo iudicio*, quod unde ortum sit, varietas codd. Guelf. docere potest. Etenim Guelf. C habet *turpi tudele*; B *turpi tutele*, A *turpitule*. Inde alii, ut cod. Erl, fecerunt *turpicule*: unde natum *turpiculo*. Sed *turpe* dicitur *tutelae iudicium*, propterea quod malum tutorem condemnatum non mulcta solum, sed etiam infamia quaedam sequebatur.

Sed ne foro quidem dignos putarim) Guelf. B, C: *sed foro dignos vix putarim*.

Quam quod erat) Guelf. B, C. *quam quod esset*.

* *Q. Pompeii*) Hoc ipso anno, quo Cicero fingit habitos esse hos de Oratore dialogos, scilicet V. C. 653, ante Christum 91, Q. Pompeius Rufus urbanam iurisdictionem sortitus obtinuit. PAVST.

* *Postulabat ut illi*) Haec fuit causa. Debebat quidam alteri certam pecuniae summam, solvendam, verbi gratia, ineunte mense Ianuario. alter seu petitor non exspectavit ad illud tempus, sed petiit ut sibi solveretur, verbi gratia, mense Decembri ineunte, et accusavit debitorem quod pecuniam non solveret. Causidicus imperitus, qui debitorem defendebat, quum litem inferre petitori debuisset eo nomine, quod ante tempus peteret pecuniam, (erant enim graves poenae positae illis, qui ante tempus pactionis, vel obligationis litem intenderent) id enim si fecisset, causa cecidisset petitor, hoc postu-

peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur: CVIVS PECVNIAE DIES FVISSET? quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat; ut si ille infitiator probasset iudici, ante petitam esse pecuniam, quam esset coepta deberi, petitor, rursus quum peteret, exceptione excluderetur: QVOD EA RES IN IVDICIVM ANTEA VENISSET. Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici potest, quam eum, qui hanc personam susceperit, ut amicorum controversias causasque tueatur, laborantibus succurrat, aegris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur? Equidem propinquum nostrum, P. Crassum, illum divitem, cum multis aliis in rebus elegantem hominem et ornatum, tum praecipue in hoc efferendum et laudandum puto, quod, quum P. Scae-

lavit tantum, ut sibi liceret, ac debitori, quem defendebat, uti beneficio legis, et exceptione, quae vetabat ut pecunia peteretur ante illam diem, qua coepta esset deberi. Quod quum postulabat, non intelligebat homo iuris ignarus, comparatum hoc esse in utilitatem petitoris, et adversariu suo prodesse. Hinc enim factum ut petitor postea litem de integro intulerit, tanquam si ea res nunquam in iudicium antea venisset; quam litem inferre non potuisset, si inficiator, hoc est debitor probasset iudici, ante petitam esse pecuniam, quam deberi coepisset. Petitor enim, quum postea pecuniam suam peteret apud iudicem, exclusus fuisset lege, hoc est impeditus ne ageret, ac moveret litem: lex enim excipit, hoc est prohibet, ne agatur iterum ea de re, quae iam in iudicium venit, seu quae iam diiudicata est. IDEM.

Turpius, aut dici potest) Guelf. B, C, *turpius potest aut dici.*

Efferendum) Hoc Pearcius recte defendit; idque praeter cod. Bod. iam receperunt edd. Ven. Mediol. Manut. Lamb. Eodem modo Cicero coniungit *laudando et efferendo* II, 75. Ernesti quidem *ferendum* idem significare dicit apud Ciceronem, quod *efferendum*, sed exempla locorum non attulit, quibus hoc nobis persuadere posset.

Quod, quum P. Scaevolae frater esset) Guelf. A, *P. quod quum Scaevola frater esset.* Ian. Gulielmus Verisimil. p. 42, legi volebat e MS. Tolos. *quod quum P. Scaevolae superesset* i. e. tutor; quae quidem lectio valde placet, modo servetur etiam *fratri* ex edd. pr. ut verba: *quod quum P. Scaevolae fratri superesset*, non solum auctoritatem tutoris, sed etiam necessitudinem significent.

* *P. Scaevolae frater*) P. Scaevola transierat in Crassorum familiam adoptatus a P. Licinio Crasso, qui

volae frater esset, solitus est ei persaepe dicere, neque illum in iure civili satis facere posse, nisi dicendi copiam assumsisset (quod quidem hic, qui mecum consul fuit, filius eius, est consequutus); neque se ante causas amicorum tractare atque agere coepisse, quam ius civile didicisset. Quid vero ille M. Cato? nonne et eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora, atque illa aetas in hac civitate ferre maximam potuit, et iuris civilis omnium peritissimus? Verecundius hac de re iamdudum loquor, quod adest vir in dicendo summus, quem ego unum oratorem maxime admiror; sed tamen idem hoc semper ius civile contemsit. Verum, quoniam sententiae atque opinionis meae voluistis esse participes, nihil occultabo, et quoad potero, vobis exponam, quid de quaque re sentiam.

38. Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis et divina vis ingenii videtur, etiamsi hac scientia iuris nudata sit, posse se facile ceteris armis prudentiae tueri atque defendere. Quamobrem hic nobis sit exceptus, ceteros vero non dubitabo primum impudentiae

pater fuit huius P. Crassi, de quo hic fit mentio. Pavst.

Solitus est ei) Sic Guelf. B, C, ut ediderunt Camer. Lambin. Gothofr. Vulgo perperam omittitur *est*, quo fit, ut et protasin apodosis et totam sententiam sensus destituat.

In iure civili satis facere posse) Vulg. *in iure civili satis illi arti facere posse*, in quibus verba *illi arti* recte ut glossema damnavit Ernesti.

**Qui mecum Consul fuit*) In consulatu collegae fuere L. Licinius Crassus et Q. Mucius Scaevola anno V. C. 659, ante Christum 93. Hos narrat Tullius in Bruto collegas in omnibus magistratibus fuisse, praeterquam in tribunatu plebis, et censura. Pavst.

* *M. Cato*) Censorius nimirum, cuius laudes Cicero in Bruto fuse persequitur. Oliv.

Ius civile) Abest cod. Guelf. B.

Posse se facile ceteris armis prudentiae tueri) Sic recte emendavit Ernesti; eiusque coniecturam confirmat auctoritas codd. Guelf. A, B, C, in quibus abest *causas*, quod post *prudentiae* vulgo inferciebatur.

Ceteros — non dubitabo primum impudentiae condemnare sententia mea, post etiam inertiae) In omnibus, quantum scimus, MSS. et edd. legitur *primum inertiae — post etiam impudentiae*. Iam quum statim Crassus de *impudentia* agat, post autem c. 41 demum de *inertia* eorum, qui ius civile non discunt; non est credibile,

condemnare sententia mea, post etiam inertiae. Nam volitare in foro, haerere in iure ac praetorum tribunalibus iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto, sed de aequitate ac iure certetur, iactare se in caussis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum,

Ciceronem disertis verbis inversum ordinem lectori denuntiasse. Si tantum dixisset: « hos non dubitabo *inertiae et impudentiae* condemnare » ferendum sane esset ὕστερον πρότερον. Vt nunc est, molestum hoc esset, et inficetum. Transpositio, quam invexi-mus, etiam Heusingero placuit.

* *In caussis centumviralibus*) Centumviri erant minores iudices apud Romanos e singulis tribubus lecti ad exercenda privata de causis minoris, ut plurimum, momenti iudicia. Porro erant illi centum quinque, terni scilicet ex unaquaque tribu, tribus autem erant triginta quinque; attamen, quo facilius nominarentur, centumviri sunt appellati. His praesidebat praetor, ut colligimus ex Plinio iuniore, ex quo etiam intelligimus centumvirorum numerum ad centum octoginta excrevisse. Prvst.

* *Vsucapionum*) Vsucapio, sive ususcapio, est ius possidendi, et capiendi rem aliquam, quia usus illa fuisti per certum tempus lege constitutum, eamque possedisti. Idem.

* *Tutelarum*) Tutela a Servio Sulpicio definitur, vis ac potestas in capite libero ad defendendum eum, qui per aetatem se ipse defendere nequit, iure civili data ac permissa. Idem.

* *Gentilitatum*) Gentilitas est ordo et series hominum, qui sunt ex eadem familia, quique ob eam caussam iura quaedam habent sibi propria; verbi gratia, hereditatis adeundae, suscipiendae tutelae, etc. Haec autem iura non obtinebant, neque gentilitate gaudebant, servi, liberti, libertini, et capite diminuti. (*Cicero in Topicis*) Idem.

* *Agnationum*) Agnati virilis sexus propinquitate iuncti sunt, quibus, ut gentilibus, propria iura sunt. Id.

* *Alluvionum, circumluvionum*) Alluit praedium, vel agrum fluvius, quando praeter illum it: circumluit, quando totum instar insulae cingit. *Alluvio*, inquit Iustinianus Iustit. lib. II, tit. I, *est incrementum latens. Per alluvionem autem id videtur adiici, quod ita paulatim adiicitur, ut intelligere non possis, quantum quoque momento temporis adiiciatur.* Ex alluvione autem, et circumluvione, variae controversiae nascuntur, verbi gratia, si vis fluminis de praedio tuo partem aliquam detraxerit, et vicini praedio adiunxerit, cuius sit ea pars: si arbores tuae in vicini praedium delatae fluvio, in eo praedio radices egerint, fructum tulerint etc. Idem.

* *Nexorum*) Nexum, sive nexus, est obligatio civilis, quae quum contrahebatur, aliquis libram et aes manu tenebat, qui vocabatur libripens. Vide Topica, cap. 5. Praeterea civis ille nexus dicebatur, qui quum esset liber, pecuniamque alteri deberet, illi addicebatur in servitutem, ut ipsi pro pecunia, quam deberet, nec pos-

parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, quum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis aut peregrinus, servus aut liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae. Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri, quinqueremes, aut etiam maiores, gubernare didicisse. Tu mihi quum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, et quum obsignes tabellas clientis tui,

set solvere, servilem operam praestaret, dum aes alienum dissolveret. Nexus autem dicebatur, quod necteretur, id est, compedibus, aut nervo vinctus, et clausus teneretur (*Livius lib.* VIII). Addictus etiam vocabatur. IDEM.

* *Mancipiorum*) Mancipium, inquit Isidorus, est quidquid manu capi potest. Aliquando sumitur pro quolibet servo, hic pro aliqua re, quae accipitur aut alteri possidenda traditur, vel pro actione, qua id fit. IDEM.

* *Parietum, luminum*) De pariete communi saepe incidit controversia; de tigno in parietem immisso, de alio pariete aut adiuncto, aut supra communem exaedificato, etc. Item de luminibus; verbi gratia, si quis altius aedificet, ac vicini luminibus officiat; si quis prospectum in aedes tuas habeat etc.

* *Stillicidiorum*) Stillicidium est aquae pluviae lapsus e tecto. Unde possunt oriri lites de servitute stillicidii de immittendis et recipiendis stillicidiis. IDEM.

Testamentorum) In edd. prioribus et MSS. Erl. Guelf. additur *ruptorum aut ratorum*. In recentioribus tantum *ruptorum*. Sed Ernesti sagaciter odoratus est, utrumque ex interpretamento fluxisse. Non solum enim concinnitas turbatur his adiectis, quum reliqua omnia simpliciter ponantur, sed etiam nihil ad sensum efficiunt, quod non ex vocabulo *testamentorum* simpliciter posito intelligi possit. Accedit, quod ne recte quidem inter se opponantur *ruptorum aut ratorum* nam si de testamento certatur, altera pars ratum esse debere, altera rumpendum esse contendit. Ergo utrumque eiecimus.

Aut peregrinus — aut liber) Guelf. A, *an peregrinus — an liber.*

Impudentiae) Bene hanc lectionem multorum librorum, tam scriptorum quam typis expressorum, defendit Pearcius. Nam quod alii habent *imprudentiae*, id nec huic loco, nec initio c. 41, convenit. Praeterea gradatio est quaedam ab *insigni impudentia* ad *deridendam arrogantiam.*

* *Illa vero*) Quemadmodum turpe est, ac non ferendum, si quis glorietur se posse gubernare maximas naves, qui fateatur parva navigia non posse flectere: sic turpe est in minimis causis tractandis imperitum esse illum, qui tamen gravissimas, et publicas suscipere non dubitet. PRUST.

* *Stipulatiuncula*) Obligatio est, quam aliquis in se recipit, quum certis verbis interrogatus respondet: Spondes? spondeo: fide iubes? fide iubeo. IDEM.

quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur; ego tibi ullam causam maiorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit.

39. Quid? si ne parvae quidem causae sunt, sed saepe maximae, in quibus certatur de iure civili: quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia iuris audet accedere? Quae potuit igitur esse causa maior, quam illius militis? de cuius morte quum domum falsus ab exercitu nuncius venisset, et pater eius, re credita, testamentum mutasset, et quem ei visum esset, fecisset heredem, essetque ipse mortuus: res delata est ad centumviros, quum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam. Nempe in ea causa quaesitum est de iure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripsisset nominatim? Quid? qua de re inter Claudios, Mar-

* *Duorum scalmorum*) Scalmus est lignum teres, ad quod remi alligantur, et circa quod vertuntur, Ὅθεν μὲν αἱ κῶπαι ἐκδέδενται, σκαλμὸς, inquit Pollux lib. I, cap. 9: *id unde remi alligantur, scalmus est.* Navicula igitur duorum scalmorum est ea, quae duobus remis utitur. Idem.

Egissetque lege in hereditatem paternam) Inepte vulgo additur: *testamento exheres filius*, in quo iam Lambinus glossema agnovit; idemque et Talaeus a quibusdam MSS. abesse testati sunt. Itaque ea ut spuria Pearcius et Ernesti uncis incluserunt; nos e textu eiecimus. Et quomodo Crassus hic adiicere potuisset: *testamento exheres filius*, quum statim dicturus esset, eum testamento neque heredem, neque exheredem scriptum fuisse nominatim?

* *Scripsisset nominatim*) Filio, qui in potestate est, praeterito, inquit Caius iurisconsultus, inutile est testamentum: debet enim nominatim appellari quum ab hereditate excluditur, alioquin legitime non erit exheres. Pavst.

Inter Claudios, Marcellos et patricios) Claudiorum gens alia erat patricia, alia plebeia, nec potentia minor nec dignitate, ut ait Sueton. Tiber. c. 1. Et Claudii Marcelli quidem plebeii erant; Claudiorum autem patriciorum plures fuerunt familiae cognominibus distinctae, quod et ibidem Suetonius memoravit, et aliunde notissimum est. Fuerunt pa-

cellos et patricios centumviri iudicarunt, quum Marcelli ab liberti filio stirpe, patricii eiusdem nominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent: nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis iure dicendum? Quid? quod item in centumvirali iudicio certatum esse accepimus, qui Romam in exsilium venisset, cui Romae exsulare ius esset, si se ad aliquem quasi pa-

tricii Claudii Pulchri, Claudii Nerones, Claudii Appii etc. Accidit igitur, ut liberti filius, cuius pater esset a Claudio quodam Marcello manumissus, intestato moreretur. Claudii Marcelli igitur eius hereditatem ad se rediisse dicebant, quia liberti filius propius cum stirpe sua coniunctus esset. Sed Claudii patricii sibi eius hereditatem iure gentilitatis vindicabant, quod vix aliter intelligi potest, quam quod patricii hereditatem ab liberti filio iure patrocinii et clientelae ad se rediisse contenderent. Nam quod quidam interpretes putant, hunc libertum non iustam servitutem serviisse, sed ingenuum a plagiario in servitutem abrectum, eius opinionis nullum est sane firmamentum. Ceterum vulgo legebatur: *inter Marcellos et Claudios patricios*; quod transpositione sublevandum erat. Nimirum Claudii h. l. dividuntur in Marcellos plebeios et Claudios patricios.

Patricii eiusdem nominis) h. e. Claudii patricii, qui cum Marcellis eodem nomine gentilitio Claudiorum utebantur. Alteram lectionem *eiusdem hominis* habent etiam codd. Guelf. A, B, C. Ad sensum nihil fere interest; attamen cur h. l. Cicero *eiusdem hominis hereditatem* scriberet, quum vocabulum *hereditatem* plane ac perspicue referri posset ad verba *ab liberti filio?* Lectionem *nominis* defendit etiam doctissimus Hugo in historia iuris romani germanice scripta pag. 81. Simili modo dicitur Brut. c. 16, *in alienum eiusdem nominis genus.*

* *Gente*) De significatione huius vocis audi ipsum Ciceronem in Topicis c. 6: *Gentiles sunt*, qui inter se eodem nomine sunt. *Non est satis.* Qui ab ingenuis oriundi sunt. *Ne id quidem satis est.* Quorum maiorum nemo servitutem servivit. *Abest etiam nunc.* Qui capite non sunt deminuti. *Hoc fortasse satis est.* E. T.

* *Qui Romam*) Quidam peregrinus (sic appellatur quicumque civis non est) Romam venit, in exsilium eiectus ex urbe sua et patria. Applicuit sese, id est, adiunxit ad romanum civem, quem coleret, observaretque, ut cliens patronum, et a quo vicissim defendebatur, ac si civis et cliens suus fuisset. Contigit ut ille peregrinus testamento nullo facto moreretur. Civis romanus, cui peregrinus ille tanquam patrono addictus fuerat, eius hereditatem postulavit apud centumviros, ea de causa, quod iste peregrinus ad ipsum applicuisset sese, et veluti ipsi dedisset. Hoc applicationis ius appellat Cicero. De isto iure antea obscuro, quia rarae sunt huiusmodi causae, dicendum causidico fuit, adeoque illustrandum et patefaciendum. Idem. Vid. Turneb. Advers. XXIV, 32.

tronum applicavisset, intestatoque esset mortuus: * * * nonne in ea causa ius applicationis, obscurum sane et ignotum, patefactum in iudicio atque illustratum est a patrono? Quid? nuper, quum ego C. Sergii Auratae contra hunc nostrum Antonium iudicio privato causam defenderem, nonne omnis nostra in iure versata defensio est? Quum enim Marius Gratidianus aedes Auratae vendidisset, neque servire quandam earum aedium partem in mancipii lege dixisset: defendebamus, quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset, neque declarasset, praestare debere. Quo quidem in

Applicavisset) Cod. Guelf. A, B, *applicuisset.*

Intestatoque esset mortuus ***) Hic verba quaedam excidisse observavit Ernesti, quorum sensus qui fuerit, facile est divinare. Haec enim supplenda sunt: *eiusne hereditas ad patronum, ad agnatos pertineret.*

Marius) Guelf. B, C, *M. Marius.* Cum hoc loco comparandus est Ciceronis de Officiis III, c. 16: *M. Marius Gratidianus, propinquus noster, C. Sergio Auratae vendiderat aedes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hae serviebant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Auratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus urgebat, quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere praestari; aequitatem Antonius, quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui aedes illas vendidisset, nihil fuisse necesse dici; nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo iure esset, teneret.*

Quo quidem in genere M. Bucculeius) In hac causa difficile est dicere, quomodo Bucculeius erraverit, quum in vendendis aedibus lumina, uti tunc essent, ita reciperet. Error potius erat emtoris, Fufii, qui, simul atque aedificari coeptum esset in quadam parte urbis, quae modo ex illis aedibus conspici posset, falso putabat mutari lumina, si cuicunque particulae caeli, quamvis esset procul, officeretur. Nempe hic emtor non viderat, quid interesset inter *lumen* et *prospectum*. Ulpianus enim l. 15 Digestor. lib. VIII, tit. 2, inter servitutes, inquit, *ne luminibus officiatur*, et *ne prospectui officiatur*, aliud et aliud observatur: quod in prospectu plus quis habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem prospectum et liberum; in luminibus autem, ne lumina cuiusquam obscuriora fiant. Iam Pearcius putabat, errorem Bucculeii in eo versari, quod in mancipii lege verbis ambiguis usus esset. Atqui hoc ipsum nego. Nam si dixerat: *lumina, uti nunc sunt, ita recipio*, nihil erat in his verbis, quod cuiquam posset esse ambiguum aut obscurum, qui modo non prorsus usum loquendi iurisconsultorum ignoraret. Strebaeus simili fere modo rem expediebat. « M. Bucculeius aedium lumina, sicuti tum erant, ita recepit, hoc est, praestaturum se Fufio promisit. Hic si non longe,

genere familiaris noster M. Bucculeius, homo neque meo iudicio stultus, et suo valde sapiens, et a iuris studio non abhorrens, simili in re quodam modo nuper erravit. Nam quum aedes L. Fufio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit. Fufius autem, simul atque aedificari coeptum est in quadam parte urbis, quae modo ex illis aedibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio, quod, cuicunque particulae caeli officeretur, quamvis esset procul, mutari lumina putabat. Quid vero? clarissima M. Curii causa, M.que

tamen quodammodo erravit in conditione ponenda. . Est haec latius fusa conditio: *Lumina, uti nunc sunt, ita recipio*, quae et ad oculorum prospectum omnem refertur. —Strictior incunda fuit, ut haec: *Lumina, uti nunc sunt a propinquis rebus et aedificiis, quae modo his fenestris officere possunt, ita recipio.* Fufius autem, simnl atque aedificari coeptum est in quadam parte urbis, quae modo ex illis aedibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio, quod, cuicunque particulae caeli officeretur, quamvis esset procul, mutata lumina putabat. Certe mutatus erat prospectus oculorum, non utique mutatum lumen aedium. Apud bonum iudicem vinceret aequitate Bucculeius, nihilominus tamen parum sibi cavisse videretur.» At enim non video, quomodo, diligentius ut caveret, postulari potuisset, si modo illud teneator, aliud esse, si quis lumina, nti nunc siut, ita recipiat, aliud item, si recipiat in vendendis aedibus, ne cui liceat prospectui officere. Quae quum ita sint, coepi dubitare, an transponenda sint Bucculeii et Fufii nomina. Certe si legatur: *Quo quidem in genere familiaris noster, L. Fufius, homo neque meo iudicio stultus, et suo valde sapiens, et a iuris studio non abhorrens, simili in re quodam modo nuper erravit. Nam quum aedes ei M. Bucculeius venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit. Fufius autem, simul atque aedificari coeptum est in quadam parte urbis, quae modo ex illis aedibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio, quod, cuicunque particulae caeli officeretar, quamvis esset procul, mutari lumina putabat.* Sic ad eundem hominem, qui antea *errasse* dicebatur, pertinerent verba: *mutari lumina putabat*, qua scil. opinione ille ipse error continebatur. Ceterum alia suppeteret ratio nodum solvendi, si vera esset lectio *certavit*, quae laudatur nescio unde in marg. edit. Verburg. Tum enim Bucculeios tantum *certasse* in hac causa, non *errasse* diceretur, in quo nihil esset offensionis: nisi quod sic parum intelligitur, cur adiiciantur ista: *homo nec meo iudicio stultus, et suo valde sapiens, nec ab iuris studio abhorrens*, quae omnia videntur eo consilio apposita, ut eiusmodi hominem in quaestione iuris civilis errasse mirabilius videretur.

* *Clarissima M. Curii causa*) Coponius quidam moriens quum uxo-

Coponii nuper apud centumviros, quo concursu hominum, qua exspectatione defensa est? quum Q. Scevola, aequalis et collega meus, homo omnium et disciplina iuris civilis eruditissimus, et ingenio prudentiaque acutissimus, et oratione maxime limatus atque subtilis, atque, ut ego soleo dicere, iuris peritorum eloquentissimus, ex scripto testamentorum iura defenderet, negaretque, nisi postumus et natus, et, antequam in suam tutelam veniret, mortuus esset, heredem eum

rem gravidam putaret, filium, qui se mortuo nasceretur (is postumus dicitur, quasi postremo loco, seu, qui post humatum patrem, natus) reliquit heredem; substituit illi heredem secundum M. Curium, ea conditione, ut M. Curius esset heres, si filius postumus ante moreretur, quam sui iuris esset. Decessit subinde Coponius: sed quum uxor eius revera gravida non esset, nullus ei natus est filius postumus. Statim M. Coponius, agnatus mortui, apud centumviros egit, ut sibi liceret hereditatem adire: oratorem et patronum delegit Q. Scaevolam. Contra M. Curius, secundus heres testamento relictus, sibi hanc hereditatem postulabat eo nomine, quod heres fuisset institutus, si postumus ante moreretur, quam posset per aetatem e tutoris custodia et potestate exire: periude autem esse, quod nullus fuisset postumus, ac si natus revera foret, ac mortuus ante tempus a patre constitutum. Erat Curii patronus L. Crassus, quem Cicero nunc loquentem facit. Q. Scaevola scripto nitebatur: haec esse verba testamenti, ut Curius tantum heres esset, si postumus ante certum tempus moreretur: mori eum non posse qui natus non sit: natum non esse postumum: itaque hereditatem M. Coponio agnationis iure adscribendam esse, non M. Curio, qui conditione testamenti excluderetur. Crassus contra, voluntatem eius, qui testamentum fecisset, ac scripti sententiam spectandam esse contendebat, non ipsa verba, et apices scripti. Hanc fuisse mentem testatoris: si filius sibi non esset, qui hereditatem paternam adiret, ut M. Curius heres esset. Causam obtinuit L. Crassus, ut refert Cicero oratione pro Caecina, cap. 18. PAVST.

Iuris peritorum eloquentissimus) Vulg. additur: *eloquentium iuris peritissimus*. Verum in Bruto c. 39. Crassus dicitur *eloquentium iuris peritissimus*, Scaevola autem simpliciter *iuris peritorum eloquentissimus*; idque c. 40 repetitur aliis verbis, quibus Scaevola fertur *consultorum disertissimus*, Crassus autem *disertorum consultissimus* fuisse. Praeterea h. l. quum Scaevola iam appellatus esset *homo omnium disciplina iuris eruditissimus*, frigidissimum esset cum *eloquentium iuris peritissimum* dicere, hoc est, maiorem laudem exilioris praeconii additamento deterere. Ergo haec verba *eloquentium iuris peritissimus* ut manifestam inepti glossatoris laciniam recidimus.

Antequam in suam tutelam veniret) Hic et paulo post in verbis *qui in*

esse posse, qui esset secundum postumum et natum et mortuum, heres institutus; ego autem defenderem, hac eum tum mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut, si filius non esset, qui in tutelam veniret, M. Curius esset heres. Num destitit uterque nostrum in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est, in medio iure civili versari?

40. Omitto iam plura exempla causarum amplissimarum, quae sunt innumerabilia; capitis nostri saepe potest accidere ut causae versentur in iure. Etenim sic C. Mancinum, nobilissimum atque optimum

tutelam veniret male Ernesti post Pearcium imperfectum extrusit et *venisset* reposuit. Vide quae monuit Heusingerus ad Cic. off. III, 19, 2. H. l. tamen Guelf. B, C, (ut Norf. Mag. Harl. 2. Bod. apud Pearcium) habent *venisset*; postea *veniret*.

Ego autem defenderem) Sic recte Guelf. B, C. Vulg. *ego voluntatem defenderem*; ad sensum apte, ad consequutionem verborum non item. In Guelf. A legitur: *ego licet defenderem*.

Hac eum tum mente fuisse) In Guelf. B, C, abest *tum*, quo sane hic facile caremus.

* *Capitis nostri*) Causa capitis apud Romanos ea dicebatur, in qua agebatur de status mutatione, sive capitis diminutione. Triplex est autem capitis diminutio: maxima, quum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit: minor, sive media, quum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur: minima, quum et civitas, et libertas retinetur, sed status hominis commutatur. Maxima servum facit; media peregrinum: minima filiumfamilias, vel patremfamilias. (*Iustinianus lib. I Instit. tit.* 36.) PRVST.

Etenim sic) In ed. Paris. est: *Etenim si*, et cum hac protasi coniungitur tanquam apodosis sequens periodus, *quam possumus*, interpunctione minore post vocabulum *postliminium*.

* *Mancinum*) C. Hostilius Mancinus consul anno V. C. 617, prodigiorum contemptor, a Numantinis victus, et castris exutus, pacem cum iis ignominiosam fecit. Sed hanc ratam esse vetuit senatus: itaque ipse sciens ac volens illis deditus est. Quum autem non esset ab iisdem receptus, Romam rediit. Quaesitum est, an pro cive habendus esset, sive an ullum ei postliminium esse posset. Negabat P. Rutilius, tribunus plebis, ob eam causam, quam Cicero commemorat. Affirmabant alii, quia non erat receptus ab hostibus; deditionem enim, aut donationem sine acceptione non posse intelligi; Mancinum igitur non habendum esse pro dedito, quem hostis accipere nollet. Pro Mancino iudicavit populus romanus, illumque obtinuisse prae-

virum, consularem, quum propter invidiam Numantini foederis paterpatratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset, P. Rutilius, M. filius, tribunus plebis, iussit educi, quod eum civem negaret esse; quia memoria sic esset proditum, quem pater suus aut populus vendidisset, aut paterpatratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. Quam possumus reperire ex omnibus rebus civilibus causam contentionemque maiorem, quam de ordine, de civitate, de libertate, de capite hominis consularis; praesertim quum haec non in crimine aliquo, quod ille posset infitiari, sed in civili

turam anno V. C. 620, tradit Pomponius iurisconsultus. (*Florus in Epitome*, *Appianus* etc.) Pavst.

Consularem) Vulg. *ac consularem*, in quo copulam rectius omittunt codd. Guelf. B, C. In A vero est *atque consularem*.

Quum propter invidiam) sequutus sum lectionem codd. Guelf. A, B, C. Vulg. *quum eum propter invidiam*. Illius ratio haec est, ut *Mancinum* referatur ad *quum*, quod sequitur: huius vero, ut idem a verbis *P. Rutilius — iussit educi* pendeat.

* *Paterpatratus*) is unus e fecialibus erat, sanctiori quadam ornatus dignitate, atque auctoritate, ad patrandum, hoc est, sanciendum aliquod foedus, res repetendas, bellum indicendum hosti etc. Feciales autem fidei publicae inter populos praeerant, nec licebat bellum inferre, nisi ipsi iustis de causis susceptum declarassent, atque indixissent. (*Livius lib.* I) Pavst.

Dedidisset) Guelf. A, B, C, *dedisset*; et sic quoque postea.

Iussit educi) Vulg. *de senatu iussit educi*. Sed codd. Guelf. A, C, omittunt *de senatu*, quod melius ex antecedentibus intelligitur, quam h. l. scribitur.

Memoria) Guelf. B, C, *memoriae*

* *Postliminium*) Cic. in Topic. c. 8: *Quae a nobis alienata sunt, quum ad hostem pervenerint, et ex suo tanquam limine exierint, dein quum redierint post ad idem limen, postliminio videntur rediisse.* Vide Guiaciam, lib. XI Observat. cap. 23. Pearcivs.

Possumus) Guelf. B, *possimus*.

* *Non in crimine aliquo*) Constabat enim illius crimen, videlicet foedus ignominiosum cum Numantinis factum. Pavst.

* *Sed in iure civili*) Cuius est statuere, quae sit vis illius vocis, postliminium, et an ille pro debito sit habendus, ac proinde privandus iure postliminii, qui hostibus quidem deditus fuerit, verum ab iis non receptus: quae causa erat Mancini. Id.

iure consisteret? Similique in genere, inferiore ordine, si quis apud nos servisset ex populo foederato, seseque liberasset, ac postea domum revenisset; quaesitum est apud maiores nostros, num is ad suos postliminio rediisset, et amisisset hanc civitatem.* Quid? de libertate, quo iudicium gravius esse nullum potest, nonne ex iure civili potest esse contentio, quum quaeritur, is, qui domini voluntate census sit, continuone, an

Inferiore ordine) Hoc mihi insititium videtur. Nam quum hoc exemplum sit hominis ex populo foederato, qui apud Romanos serviisset, vix exputari potest, quid *inferiore ordine* h. l. significet, aut quo consilio appunatur.

* *Si quis apud*) Aliquis e populo foederato, homo inter suos liber et ingenuus, Romam venerat, ibi servitutem serviit; ea servitute liberatus ad suos rediit; ab iis receptus non est. Quaesitum est an is dicendus esset ad suos redire postliminio, an desiisset civis romanus esse. Causa quaerendi haec erat, quod inter foederatos postliminium non est, sed tantum inter hostes: itaque si ille assertus in libertatem, factus erat civis romanus, sine postliminio poterat redire ad suos. Non poterat tamen amplius esse civis romanus, quia iure romano nemo poterat, ut ait Cicero pro Corn. Balbo, duarum civitatum civis esse. PAVST.

* *Cum quaeritur, is*) Quum a censoribus numerarentur cives romani de more quinto quoque anno, in eo numero recensebantur tantum cives, non servi: si quis igitur servus domini sui voluntate census esset, seu relatus in tabulas, in quibus scribebantur tantum civium nomina et fortunae, quaeri poterat, an ille continuo libertate donatus fuisset a domino, et an liber esset, et e civium numero. IDEM.

* *Domini voluntate census sit*) Quinto quoque anno a Censoribus in tabulas referebantur civium romanorum tam nomina, quam opes. Si quis dominus tunc temporis servo suo permisit, ut in civium numero ab iis magistratibus recenseretur, is liber factus est: sed inter iurisconsultos quaerebatur, utrum *continuo*, id est, eo ipso die recensendi, is liber esset, an nonnisi post totum censum absolutum, sive *lustrum conditum*, quod solemni sacrificio finiebatur. PEARCIVS. Censum instituit Servius Tullus, rex Romanorum sextus. PAVST.

* *Vbi lustrum conditum*) Condi lustrum dicebatur, quum census perfectus erat et absolutus: absolvebatur autem sacrificio solemni. Lustrum est ipse census, seu recensio civium: a lustrando dicitur, tunc enim veluti lustrabantur, et recognoscebantur cives omnes. Aliquando lustrum est spatium annorum quinque: quia exactis quinque annis fiebat census. ID. Vide Cuiacium, XVII Observ. cap. 20.

Qui — census sit — continuone, an ubi lustrum conditum liber sit.) In edit. Victor. it. in MSS. Guelf. B, C, legitur: *qui — census sit, si non sit conditum lustrum, sitne liber.*

ubi lustrum conditum, liber sit? Quid? quod usu, memoria patrum, venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, quum uxorem praegnantem in provincia reliquisset, Romaeque alteram duxisset, neque nuncium priori remisisset, mortuusque esset intestato, et ex utraque filius natus esset, mediocrisne res in controversiam adducta est? quum quaereretur de duobus civium capitibus, et de puero, qui ex posteriore natus erat, et de eius matre; quae, si iudicaretur, certis quibusdam verbis, non novis nuptiis, fieri cum superiore divortium, in concubinae locum duceretur. Haec igitur, et horum similia iura suae civitatis ignorantem, erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu, huc atque illuc intuentem,

Quid? quod usu, memoria patrum venit, ut paterfamilias) Laborat constructio. Nam illud *ut* caret verbo, ad quod satis apte referatur. Quodammodo quidem liceret illud cum verbis *neque nuncium priori remisisset*, iisque quae sequuntur copulare. Tum vero quaestio illa: *mediocrisne res in controversiam adducta est*, non ut apodosis cum praecedentibus iungi potest, sed constructionis cum superioribus nexu, vix satis commode, solvitur. Optimum igitur fuerit, eiecta particula *ut*, totum ita constituere: *Quid? quod usu memoria patrum venit, paterfamilias qui ex Hispania Romam venisset, quum uxorem praegnantem in provincia reliquisset, Romaeque alteram duxisset, neque nuncium priori remisisset, mortuusque esset intestato et ex utraque filius natus esset; mediocrisne res in controversiam adducta est?* Sic verba, *quod usu memoria patrum venit*, parenthesin; quae sequuntur, *paterfamilias — quum — natus esset*, protasin; denique illa, *mediocrisne res in controversiam adducta est*, apodosin faciunt. Simillimus est ordo verborum in superioribus c. 39: *Quid? qua de re — iudicarunt, quum Marcelli — dicerent; nonne in ea causa fuit — dicendum?*

* *Nuntium — remisisset*) Non licebat Romanis plures habere uxores: at eas repudiare, quae ductae essent, certis de causis fas erat, et iis quasi renuntiare. Pavst.

Controversiam) Guelf. A, *contentionem*.

Iudicaretur — duceretur) Haec imperfecta tempora pro plusquamperfectis conj. ut saepe, posita esse docuit Heusingerus ad Cic. off. III, 19, 2.

* *Certis quibusdam verbis*) His fere verbis, quum vir uxorem repudiabat, utebatur: Res tuas tibi habeto, tuas tibi res agito: quorum altero restituebat dotem, altero tutoria munus in rebus uxoris deponebat. Pavst.

* *Non novis nuptiis*) Videtur is qui nuptias cum altera uxore contrahit, priorem repudiare: hunc ta-

vagari magna cum caterva toto foro, praesidium clientibus, atque opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est?

41. Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam *segnitiem* hominum atque *inertiam*. Nam si esset ista cognitio iuris magna ac difficilis, tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere. Sed, o dii immortales, non dicerem hoc audiente Scaevola, nisi ipse dicere soleret, nullius artis faciliorem sibi cognitionem videri. Quod quidem certis de causis a plerisque aliter existimatur; primum quia veteres illi, qui huic scientiae praefuerunt, obtinendae atque augendae potentiae suae causa, pervulgari artem suam noluerunt; deinde posteaquam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent. Nihil est enim, quod ad artem redigi possit, nisi prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum a

men tacitum consensum recentiores iurisperiti negant sufficere. Lis igitur haec, et controversia erat, an verbis, an mente sola, et novis nuptiis factis divortium fieri censeretur. IDEM.

Opem amicis) Guelf. C, *operam amicis.*

Nullius artis faciliorem sibi cognitionem videri) Guelf. C, *nullius sibi artis cognitionem faciliorem videri.*

Deinde posteaquam est editum) Vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ subintelligendum est *ius*, vel, quod magis placet, scribendum: *deinde posteaquam ius est editum.* Livius IX, 46: « Flavius — *civile ius*, repositum in penetralibus pontificum, *evulgavit*, fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur. »

Nisi prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam) Vulg. *nisi ille prius.* Merito offendit Ernestium nimis crebro repetitum *ille*. Certe post *nisi* prorsus superfluum est. Atque haud scio, an postea melius sit seponere: *habeat aliam scientiam.*

me esse paulo obscurius: sed experiar, et dicam, si potero, planius. Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt; ut in musicis, numeri et voces et modi: in geometria, lineamenta, formae, intervalla, magnitudines: in astrologia, caeli conversio, ortus, obitus, motusque siderum: in grammaticis, poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus: in hac denique ipsa ratione dicendi, excogitare, disponere, ornare, meminisse, agere, ignota quondam omnibus et diffusa late videbantur. Adhibita est igitur ars extrinsecus ex alio genere quodam,

Habeat) Victor. item Guelf. A, B, C, *habet.*

Experiar et dicam) Guelf. B, *experiar ut dicam.*

* *Numeri et voces et modi*) Ex his constat musica: 1. voce, in qua spectatur tonus varius, alius acutus, alius gravis, alius remissus, hinc variae canentium partes; 2. ex numeris, quae sunt intervalla vocum, ac tempora, quum voces aut protrahuntur, aut contrahuntur, aut inciduntur, etc. 3. ex modis: modus, seu modulatio, est coagmentatio quaedam vocum, ac numerorum. PAVST.

Excogitare, disponere, ornare) Verum hunc ordinem verborum esse, vidit Pearcius. Vulg. perturbate: *excogitare, ornare, disponere,*

Ignota quondam omnibus et diffusa late videbantur) Vocabulum *ignota* sincerum h. l. esse nullo modo potest. Nam non quaeritur, quae res notae aut ignotae fuerint, sed agitur de partibus artium, antequam essent ad artem redactae, dispersis ac dissipatis. Nec dici potest *ignota videbantur.* Nihil enim videri potest ignotum, sed quod quis nescit, hoc ei est ignotum. Denique ne componi quidem possunt haec duo: *ignota et diffusa videbantur.* Vt enim aliquis res quasdam diffusas esse sciat, eas ipsas antea notas habeat oportet. Ergo ut antea dixit Cicero, omnia, quae nunc sint conclusa artibus, olim *dispersa et dissipata*, aut, quibus verbis postea utitur, *dissoluta ac divulsa* fuisse: sic h. l. scripsit, *indigesta quondam omnibus et diffusa late videbantur;* nisi potius, *infinita quondam omnibus et diffusa late videbantur.* Etenim in re simili idem vocabulum adhibuit Tuscul. Qu. I, c. 25: « qui sonos vocis, qui *infiniti* videbantur, paucis literarum notis terminavit. »

Adhibita est igitur ars extrinsecus) Omnes edunt *adhibita est igitur ars quaedam extrinsecus.* Sed *quaedam* abest Guelf. A, probante Heusingero, quia statim sequitur *quodam* — *quadam.* Ceterum haec ars ex alio genere quodam, quae rebus ad artem redigendis inservit, non est, ut Strebaeus putabat, universa philosophia, sed potius eius pars illa, quae logica s. dialectica dicitur. Id plane intelligitur ex Bruti c. 41, ubi Scaevolam

quod sibi totum philosophi assumunt, quae rem dissolutam divulsamque conglutinaret, et ratione quadam constringeret. Sit ergo in iure civili finis hic, legitimae, atque usitatae in rebus causisque civium aequabilitatis conservatio. Tum sunt notanda genera, et ad certum numerum paucitatemque revocanda. Genus autem est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Partes autem hae sunt, quae generibus iis, ex quibus emanant, subiiciuntur. Omniaque, quae sunt vel generum vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum. Est enim definitio, earum rerum, quae sunt eius rei propriae, quam definire volumus, brevis et circumscripta quaedam explicatio. Hisce ego rebus exempla adiungerem, nisi, apud quos haec haberetur oratio, cernerem. Nunc complectar, quod proposui, brevi. Si enim aut mihi facere licuerit, quod iamdiu cogito, aut alius quispiam, aut, me impedito, occuparit, aut mortuo effecerit, ut

iuris artem sola ipsius iuris scientia efficere potuisse negat, *nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere* etc.

* *Notanda genera*) Iuris genera ista sunt: aliud publicum est ius, aliud privatum. Rursus publicum aliud spectat res sacras, aliud magistratus, ordinemque civitatis; aliud continetur legibus; aliud senatusconsultis etc. aliud civium est, aliud exterorum etc. Vide Ciceronem in Topicis. PAVST.

Partes autem hae sunt) Pronomen ascivi e cod. Guelf. A. Sic etiam Topic. c. 7, *Formae sunt hae.*

* *Est enim definitio*) Id attulit quod maxime definitionem continet. Vulgo enim duae illius partes afferuntur: una explicat id, quod est rei, quam definire volumus, commune cum aliis rebus: altera id, quod est illi proprium. Homo est animal rationis compos: animal, hoc illi cum belluis commune: rationis compos, hoc proprium est ac peculiare. PAVST.

* *Quod iamdiu cogito*) Hoc in persona Crassi de se ipse Cicero dicere videtur: eum enim scripsisse librum de iure civili in artem redigendo testis est Gellius lib. I, cap. 22. ID. Vide philosophicorum Fragmenta.

primum omne ius civile in genera digerat, quae perpauca sunt; deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiat; tum propriam cuiusque vim definitione declaret; perfectam artem iuris civilis habebitis, magis magnam, atque uberem, quam difficilem atque obscuram. Atque interea tamen, dum haec, quae dispersa sunt, cogantur, vel passim licet carpentem et colligentem undique repleri iusta iuris civilis scientia. Nonne videtis, equitem romanum, hominem acutissimo omnium ingenio, sed minime ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit, semperque vixit, ita tenere ius civile, ut ei, quum ab hoc discesseritis, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur? Omnia enim sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congressione hominum atque in foro; neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur. Eadem enim sunt elata primum a pluribus; deinde, paucis verbis commutatis, etiam ab iisdem scriptoribus scripta sunt saepius.

42. Accedit vero, quo facilius percipi cognoscique ius civile possit (quod minime plerique arbitrantur), mira quaedam in cognoscendo suavitas et delectatio. Nam, sive quem antiqua studia delectant, plurima est,

Cogantur) Vulg. *coguntur*. Sed recte Ernesti illud praetulit. Nam *coguntur*, inquit, locum haberet modo, si illo tempore aliquis occupatus fuisset in cogendo iure universo ad formam artis, ut in illo: *dum senatus cogitur*.

* *Iusta iuris scientia*) Recte Pearcius interpretatur, quae sit ad usum forensem idonea et sufficiens.

* *Quum ab hoc discesseritis*) scilicet a Scaevola. Streb.

Antiqua studia) Vulgo *aliena studia*. Sed hoc ipsum est ab h. l. alienissimum. Optime igitur Wyttenbachius in Bibl. crit. Vol. I, p. 14, emendavit *antiqua studia*. Sic supra c. 5, *antiquitas* cum *legum scientia* componitur.

Plurima est, et in omni iure civili) Lambin. *et in ipso iure civili*. In hac lectione mendum latere, et particulam ET temere intrusam esse, Pearcius bene docuit. « Quid enim? inquit. Num distincta sunt ius pontificium et XII tabulae a iure civili? Minime quidem. Istae enim XII tabulae earumque interpretationes ius

et in omni iure civili, et in pontificum libris, et in XII tabulis, antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur, et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant; sive quis civilem scientiam complectitur, quam Scaevola non putat oratoris esse propriam, sed cuiusdam ex alio genere prudentiae; totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, XII tabulis contineri videbit; sive quem ista praepotens et gloriosa philosophia delectat (dicam audacius), hosce habebit fontes omnium disputationum suarum, qui iure civili et legibus continentur. Ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, quum verus, iustus, atque honestus labor honoribus, praemiis, splendore decoratur; vitia autem hominum, atque fraudes, damnis,

civile Romanorum constituebant. Immo ius pontificium pars fuit civilis iuris, ut nos docuit Cicero lib. III, 33: *Sin aliquis affert iuris scientiam, ne eius quidem* VNIVERSI (*nam* PONTIFICIVM, *quod est coniunctum, nemo discit*) etc. Item in Bruto cap. 42: *quum ex eo ius nostrum pontificium, qua ex parte cum iure civili coniunctum esset, vellem cognoscere.* Omittitur autem h. l. ET a MSS. Cant. Bal. Mag. Nov. Wag. Mead. Harl. 2, Gouv. Ioan. Accedit Guelf. A. In C autem omittitur *civili*. Quid si legatur: *in omni more civili?* ut intelligatur ius antiquum more et instituto maiorum, non legibus receptum. Sic Cic. off. I, 13: *contra morem consuetudinemque civilem.*

* *Pontificum libris*) In quibus est ius sacrorum. Pontifices, religionis et rerum divinarum apud Romanos arbitri, ita sunt appellati, quod possent facere, hoc est sacrificare. Qui maximus dicebatur, ceteris summa auctoritate praeerat, nec nisi in maximis rebus, quae religionem spectabant, versabatur. Pontifices Maximi auctoritate valuerunt ad tempora C. Iulii Caesaris: post quem reliqui Caesares hanc dignitatem usurparunt PAVST.

Complectitur) Vulg. *contempletur.* Guelf. B, *contemplatur.* Vtrumque abest Guelf. A, C. Sed contemplandi vocabulum sententiae non est aptum. Itaque Wyttenbachius l. l. vel *complectitur*, vel *consectatur* legendum iudicavit. Nos illud ascivimus utpote propius vulgatae scripturae literis.

Videbit) Bene hoc Pearcius restituit e MSS. Ioan. Gouv. Harl. 1. Bal. Ed. Ven. Nam *videbitis* male respondet sequenti *habebit.*

Splendore) Quod in multis edd. praeponebatur *atque*, id recte delevit Pearcius auctoritate MSS. Ox. it. Cant. Wag. Mead. Harl. 2. Est enim *ἀσύνδετον*, ut in seqq. *verberibus, exsuliis, morte.*

ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur; et docemur non infinitis, concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. Fremant omnes licet, dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare. Ac, si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat; cuius rei tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam, in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati esse debemus in eiusmodi patriam, quae una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? Cuius primum nobis mens, mos, disciplina, nota esse debet; vel quia est patria, parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in iure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis. Percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et voluptatem, quod, quantum praestiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo et Dracone et

Id quod maxime debet) Scil. *nos delectare*, ut nihil opus sit, quod Ernestio in mentem venerat, *decet* reponere.

Cuius rei) Lambinus omisit *rei*; sic verba, *cuius tanta est vis ac tanta natura*, ad *patriam* referuntur. At si legitur *cuius rei*, intelligenda est *vis ac natura delectationis* ex patria, quod h. l. aptius videtur. Idem vidit Pearcius.

* *Ithacam*) Insulam in Ionio mari prope Cephaleniam. Sophiano dicitur hodie, *Valle di Compare*: Porcaccio, *Theachi*, Turcis, *Phiachi*. De Ithacae sterilitate vide Homerum lib. IV Odysseae. Pavst.

* *Immortalitati*) quam scilicet Vlysses, si manere apud Calypsonem voluisset, adipisci potuisset. Cf. Homeri Odyss. V, 209.

* *Dracone*) Draco primus Atheniensium legislator, cuius severiores leges sanguine, non atramento scri-

Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne ius civile, praeter hoc nostrum, inconditum, ac paene ridiculum; de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, quum hominum nostrorum prudentiam ceteris hominibus, et maxime Graecis, antepono. His ego de causis dixeram, Scaevola, iis, qui perfecti oratores esse vellent, iuris civilis cognitionem esse necessariam.

43. Iam vero ipsa per sese quantum afferat iis, qui ei praesunt, honoris, gratiae, dignitatis, quis ignorat? Itaque, non, ut apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοὶ vocantur, sic in nostra civitate; contra amplissimus quisque et clarissimus vir, ut ille, qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poëta est:

*Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus,

ptas, draconis, non hominis, esse dicebant: tanta scilicet fuit illarum immanitas, ut levia pariter, et gravia delicta capitali poena animadverterent: nec minus addicerent morti eum, qui otii convictus esset, quam qui parricidium admisisset. Quum in theatrum aliquando prodisset, coniectis in eum undique stragulis et vestimentis, suffocatus est. Floruit, ut tradit lib. I Strom. Clemens Alexandrinus XXXIX Olymp. anno 1, quo leges tulit. Eum perhibent tribus versuum millibus vitae praecepta tradidisse. PAVST.

- *Itaque non, ut apud Graecos*) Vulg. abest *non*. At Guelf. B, C, cum edd. nonnullis antiquioribus, ut Omnib. Kob.: *Itaque non ut apud Graecos;* qua ex lectione, interpunctione etiam rectius constituta, multo concinniorem h. l. repraesentavimus, quam ut vulgo in edd. omnibus apparebat. Sic enim legebatur: *Itaque, ut apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ii qui apud illos πραγματικοὶ vocantur: sic in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir; ut ille, qui — multique praeterea, qui — perfecerunt, ut — valerent.*

* Πραγματικοὶ) Πρᾶγμα est negotium, actio: illi causidici apud Graecos velut agebant, instruebantque causas, quas oratores pronunciarent: tela subministrabant, quae ab oratoribus torquerentur. PAVST.

* *Catus Aelius Sextus*) Cognomen Cati hic Sex. Aelius adeptus est propter insignem iuris civilis scientiam. Ennius id h. l. laudis causa, non tanquam nomen proprium ponit. Quare non est, ut Pearcius putabat,

multique praeterea, quum ingenio sibi dignitatem peperissent, perfecerunt, ut in respondendo de iure, auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio, valerent.

44. Senectuti vero celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam iuris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia comparavi, non solum ad causarum usum forensium, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, ut, quum me vires (quod fere iam tempus adventat) deficere coepissent, ab solitudine domum meam vindicarem. Quid est enim praeclarius, quam honoribus et reipublicae muneribus perfunctum senem posse suo iure dicere idem, quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant,

* Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex

litera initiali maiuscula scribendum: neque vero ex loco Plinii Hist. Nat. VII, 31, sequitur, id cognomen posteris eius haesisse.

Quum ingenio sibi) Ernesti tollendum putabat *quum*; id quod Heusingerus iure improbavit. *Quum* h. l. est i. q. *etsi*, *quamquam*, ut saepe. Quod autem olim addebatur *auctore*, merito damnatum est a Pearcio Ernestioque.

Peperissent) Guelf. B, C, *reperissent*; idque placuit Heusingero. Idem dedit Victor.

In respondendo de iure) Victor. *in respondendo iure*, quod etiam Guelf. B habet. Ernestio quaerenti, quis ita loquutus sit, opponit Heusingerus Plinium VI, 15, 3: *atque etiam ius civile publice respondet.*

Iam inde ab) Hoc assumsi e codd. Guelf. B, C. Vulg. *Iam ab.*

Causarum usum forensium) Victor. *causarum usum forensem*. Illud recte restituit Ernesti ex edd. pr.

Ab solitudine) *ista ab solitudine* Guelf. B; *ista*, *ab solitudine* Victor. At C habet *isto ab solitudine*, scil. isto praesidio. Quod video Heusingero placuisse. Mihi vero illud *isto* h. l. superfluum videtur et parum concinnum.

* *Pythius Apollo*) Delphis colebatur. Pythius autem dicebatur, ut volunt, a serpente Pythone, quem interemit. Ovidius Metamorph. I. Ad Apollinis oraculum reges undique, ac populi confluebant: sic ad prudentem et peritum iurisconsultum cives sui responsa, et velut oracula petituri conveniunt. PAVST.

* Godofredus recte ad versiculos Ennii haec quoque verba trahenda putabat: *Vnde sibi populi et reges*

Incertis certos, compotesque consili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est huiusce Q. Mucii ianua et vestibulum, quod in eius infirmissima valetudine, affectaque iam aetate, maxima quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore celebratur.

45. Iam illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimem publica quoque iura, quae sunt propria civitatis atque imperii, tum monumenta rerum gestarum, et vetustatis exempla, oratori nota esse debere. Nam ut in rerum privatarum causis atque iudiciis depromenda saepe oratio est ex iure civili, et idcirco, ut ante diximus, oratori iuris civilis scientia necessaria est: sic in causis publicis iudiciorum, concionum, senatus, omnis haec et antiquitatis memoria, et publici iuris auctoritas, et regendae reipublicae ratio ac scientia, tanquam aliqua materies, iis oratoribus, qui versantur in republica, subiecta esse debent. Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit eius artis antistes, cuius quum ipsa natura magnam homini facultatem daret,

consilium expetant. Hoc nimirum Pythius Apollo apud illum de oraculo suo pronuntiare poterat, quod quum Antonius vellet ad iurisconsultum accommodare, dicebat ab illo, si non populos et reges, at omnes suos cives consilium expetere.

* *Ianua, et vestibulum*) Ianua primus est ingressus in interiora domus: vestibulum spatium est ianuam inter et viam relictum; ut qui aedium dominum venissent salutatum, neque in ipsis essent aedibus, neque in via starent. Vide Gellium lib. XVI, cap. 5. Pavst.

Iam illa) Sic Guelf. B, C. Vulgo *iam vero illa.*

* *Rabulam*) Eum, quem insana dicendi, seu quaestus potius dicendo faciendi rabies agitat, qui, quod ratione non potest, oratione et clamore obtinere contendit. Pavst.

*tamen esse deus putatur, ut id ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur; deinde, qui possit, non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari; tum, qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subiicere odio civium, supplicioque constringere, idemque ingenii praesidio innocentiam iudiciorum poena liberare, idemque languentem labantemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare; qui denique, quemcunque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare possit, vel sedare. Hanc vim si quis existimat, aut ab iis, qui de dicendi ratione scripserunt, expositam esse, aut a me posse exponi tam brevi, vehementer errat, neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. Equidem vobis, quoniam ita voluistis, fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa putavi esse demonstranda; non ut ipse dux essem (quod et infinitum est, et

* *Tamen esse deus*) scil. Mercurius, eloquentiae praeses ac tutor. Hic enim, non Apollo, ut Ernestius putabat, intelligitur. Hinc deinde incidit in caducei mentionem.

Putatur) Sic Victor. item Guelf. B, C, idque probat Heusingerus. Nempe hoc idem est, ac: et putabatur olim, et adhuc putatur. Cf. Cort. ad Sallust. Iug. LIX, 3, p. 681.

Vt id ipsum) Ita emendandum censuit Heusingerus. Vulgo *ut et ipsum*, in quo particula *et* inepte ponitur.

Caduceo) Male hoc Pearcius ad fetiales populi romani traxit. Immo potius ad Mercurii caduceum respicitur et legatorum pacis petendae causa missorum, qui et caduceatores dicti sunt.

* *Caduceo*) Qui virgam illam, insigne pacis, gestabant, erant iure gentium ubique tuti et incolumes. Haec est porro huius loci sententia: Orator non tam oratoris persona, quam orationis auctoritate tutus sit. Pryst.

Labantemque) Hoc ut aptius et elegantius vulgato *labentemque* cum Lambino praetuli. Praestat autem ordo *languentem labantemque*, ordini antiquiorum edd. ut Omnib. *labentem languentemque*. *Labare* enim plus est, quam *languere*.

Quod et infinitum est) Ernesti corrigendum opinabatur *esset*. Sed vul-

non necessarium), sed ut commonstrarem tantum viam, et, ut dici solet, digitum ad fontes intenderem.

46. Mihi vero, inquit Mucius, satis superque abs te videtur istorum studiis, si modo sunt studiosi, esse factum. Nam, ut Socratem illum solitum aiunt dicere, perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscendae percipiendaeque virtutis; quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent se esse, quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam; sic ego intelligo, si in haec, quae patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis, facillime vos ad ea, quae cupitis, perventuros ab hoc aditu, ianuaque patefacta.

Nobis vero, inquit Sulpicius, ista sunt pergrata perque iucunda; sed pauca etiam requirimus, inprimisque ea, quae valde breviter a te, Crasse, de ipsa arte percursa sunt, quum illa te et non contemnere, et didicisse confiterere. Ea si paulo latius dixeris, expleris omnem exspectationem diuturni desiderii nostri. Nam nunc, quibus studendum rebus esset, accepimus, quod ipsum est tamen magnum; sed vias earum rerum rationemque cupimus cognoscere.

47. Quid si, inquit Crassus, quoniam ego, quo facilius vos apud me tenerem, vestrae potius obsequutus sum voluntati, quam aut consuetudini, aut naturae meae, petimus ab Antonio, ut ea, quae continet, ne-

gatam optime defendit Ruhnkenius ad Vellei. Paterc. p. 216. Eam confirmant quoque Guelf. B, C.

Vt dici solet) Libri scripti et editi habent: *ut fieri solet.* Sed in eo commodum haud inesse sensum, prudenter intellexit Ernesti. Quid enim? Num, si aquam quaerentibus fontes demonstrantur, semper hoc fieri solet, ut is, qui demonstrat, digitum tantum ad fontes intendat? Immo potius proverbialis locutio est, *digitum intendere*, et hoc significare volebat Cicero verbis, *ut dici solet*, quae ex Ernestii coniectura reposuimus.

Concitatus) Lambin. *incitatus.*

Se esse) Guelf. B, C, *esse se*,

que adhuc protulit, ex quibus unum libellum sibi excidisse iamdudum questus est, explicet nobis, et illa dicendi mysteria enuntiet?

Vt videtur, inquit Sulpicius. Nam Antonio dicente, etiam quid tu sentias, intelligemus.

Peto igitur, inquit Crassus, a te, quoniam id nobis oneris, Antoni, hominibus id aetatis, ab horum adolescentium studiis imponitur, ut exponas, quid iis de rebus, quas a te quaeri vides, sentias.

48. Deprehensum equidem me, inquit Antonius, plane video atque sentio, non solum quod ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens, sed quia, quod in causis valde fugere soleo, ne tibi, Crasse, succedam, id me nunc isti vitare non sinunt. Verum hoc ingrediar ad ea, quae vultis, audacius, quod idem mihi spero usu esse venturum in hac disputatione, quod in dicendo solet, ut nulla exspectetur ornata oratio. Neque enim sum de arte dicturus, quam nunquam didici, sed de mea consuetudine; ipsaque illa, quae in commentarium meum retuli, sunt eiusmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata; quae si vobis, hominibus eruditissimis, non probabuntur, vestram iniquitatem accusatote, qui ex me ea quaesieritis, quae ego nescirem, meam facilitatem laudatote, quum vobis, non meo iudicio, sed vestro studio inductus, non gravate respondero.

Tum Crassus, Perge modo, inquit, Antoni. Nullum est enim periculum, ne quid tu eloquare, nisi ita prudenter, ut neminem nostrum poeniteat ad hunc te sermonem impulisse.

Etiam, quid tu sentias, intelligemus) Sic optime correxit Ernesti vulg. quod etiam in codd. Guelf. B, C, reperitur, *etiam, quid tu intelligas, sentiemus.*

In rerum usu) Guelf. B, *rerum usu.*

49. Ego vero, inquit, pergam: et id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo: ut, quid illud sit, de quo disputetur, explanetur, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem illud, quo de agitur, intelligant. Nam, si forte quaereretur, quae esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator; qui quum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quae essent propriae belli administrandi; quarum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem; utererque exemplis Africanorum et Maximorum;

In principio) Haud scio an praepositio melius omittatur, ut paulo post: *constituendum putarem principio.*

Non idem esse illud, quo de agitur, intelligant) Bene correxit Ernesti vulgatum *intelligent*, quod habent etiam Guelf. B, C. Sed aliud subest vitium in his verbis. Legendum enim est: *non idem illud, quo de agitur, intelligant.* — Delevi *esse* ex optima coniectura V. Cl. Ed. T.

Animo et scientia) Guelf. B, *scientia et animo*, perverso ordine. Nam in eiusmodi dicendi formula vocabulum generis semper praecedit vocabulum formae. Sic *animo et memoria complecti*, *cogitare et memoria repetere* etc.

* *Africanorum*) Africani duo fuere: alter P. Cornelius Scipio Africanus Maior, consul factus anno V. C. 549, bellum in Africam transtulit, ubi Asdrubale Carthaginensi, et Syphace Numidiae rege iterum debellatis, illustre consequutus est Africani cognomentum. Accusatus de accepta ab Antiocho pecunia ad pacis leges ferendas, adversariorum invidiae cessit, et Liternum in Campaniam se recepit, ibique obiit anno V. C. 571, ante Christum 183 (Livius, Plutarchus, etc.) Alter P. Scipio Aemilianus Africanus Minor, Carthaginem *invisam romano nomini funditus sustulit*, ut narrat Paterculus, *fecitque suae virtutis monumentum, quod fuerat avi eius clementiae. Numantiam item excisam aequavit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbium excidio nomen suum perpetuae commendavit memoriae ... Post duos consulatus, duosque triumphos, mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quaedam elisarum faucium in cervice reperirentur notae*, anno V. C. 625, ante Christum 129. Pavst.

* *Maximorum*) Cuius nominis fuere complures arte militari celo-

Epaminondam atque Hannibalem, atque eius generis homines nominarem. Sin autem quaereremus, quis esset is, qui ad rempublicam moderandam usum et scientiam et studium suum contulisset, definirem hoc modo: Qui, quibus rebus utilitas reipublicae pararetur augereturque, teneret, iisque uteretur, hunc reipublicae rectorem et consilii publici auctorem esse habendum; praedicaremque P. Lentulum, principem illum, et Tib. Gracchum patrem, et Q. Metellum, et P. Africanum, et C. Laelium, et innumerabiles alios cum ex nostra civitate, tum ex ceteris. Sin autem quaereretur, quisnam iurisconsultus vere nominaretur, eum dicerem, qui legum et consuetudinis eius, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum et ad scribendum et ad cavendum peritus esset; et ex eo genere Sex. Aelium, M. Manilium, P. Mucium nominarem. Atque, ut iam ad leviora artium studia veniam, si musicus, si grammaticus, si poëta quaeratur, possim similiter explicare, quid eorum quisque profiteatur, et quo non amplius ab

berrimi; quibus omnibus antecelluisse videtur Q. Fabius Maximus, qui Annibalem Romae imminentem cunctando fregit, remque romanam restituit (*Polyb. Liv.* etc.) In.

Epaminondam) Ioculare vitium est in Kob. *Epimenidêm*, quasi scisset librarius imperatores quosdam Epimenidae, quam Epaminondae similiores esse.

* *Epaminondam*) Qui Thebanorum dux maximam Lacedaemoniis cladem attulit ad Leuctra, quae Boeotiae urbs est, eorum duce Cleombroto occiso: anno 1 Olympiadis 102, ante Christum 372, suis imperium peperit. (*Diodorus* etc.) Pavst.

Quaereremus) Recte Victor. Gronov. Ernesti hoc reposuerunt (quod est quoque in Guelf. C). Vulg. *quaeremus*, et sic Guelf. B.

Cum ex nostra civitate) Guelf. B, ed. Omnib. *tum ex nostra civitate*, forsan verius.

Et ad scribendum) Quum vulgo legeretur *et ad agendum*, Ernesti optime correxit, *et ad scribendum*, quia iurisconsulti, ut iurisconsulti non *agunt*, et alias *scribere* ceteris duobus *respondere* et *cavere* iungitur, ut pro Murena c. 9.

Atque, ut iam ad leviora) Guelf. B, *atque ut ad leviora*, omisso *iam* quod sane hic elegantius abest.

quoque sit postulandum. Philosophi denique ipsius, qui de sua vi ac sapientia unus omnia paene profitetur, est tamen quaedam descriptio, ut is, qui studeat omnium rerum, divinarum atque humanarum vim, naturam, causasque nosse, et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur. Oratorem autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundem, quem Crassus; qui mihi visus est omnem omnium rerum atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac nomine: atque eum puto esse, qui verbis ad audiendum iucundis, et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus, atque communibus. Hunc ego appello oratorem, eumque esse praeterea instructum voce et actione et lepore quodam volo.

50. Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis paene, describere. Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit; in quo per mihi mirum visum est, Scaevola, te hoc illi concedere; quum saepissime tibi senatus, breviter impoliteque dicenti, maximis sit de rebus assensus. M. vero Scaurus, quem non longe ruri apud se esse audio, vir regendae reipublicae scientissimus, si audierit, hanc auctoritatem gravitatis et consilii sui vindicari a te, Crasse, quod eam oratoris propriam esse dicas: iam, credo, huc veniat, et hanc loquacitatem nostram vultu ipso aspectuque conterreat;

Atque communibus) h. e. causis publicis, de quibus in concione vel in senatu deliberatur.

Et hanc loquacitatem nostram vultu — conterreat) Vereor, ne mendae librariorum tribuendum sit *loquacitatem*. Nam quae est ista h. l. loquacitas? Crassus vindicaverat oratori reipublicae gerendae scientiam: hoc Antonius negat Scaurum laturum, et si id audiverit, fore, ut hanc *licentiam* vultu ipso adspectuque conter-

qui quamquam est in dicendo minime contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis, quam dicendi arte, nititur. Neque vero, si quis utrumque potest, aut ille consilii publici auctor, ac senator bonus, ob eam ipsam causam orator est; aut hic disertus atque eloquens, si est idem in procuratione civitatis egregius, alienam scientiam dicendi copia est consequutus. Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque seiunctae, neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Laelius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam, et reipublicae dignitatem exornabant. Neque enim est interdictum aut a rerum natura, aut a lege aliqua atque more, ut singulis hominibus ne amplius, quam singulas artes, nosse liceat. Quare non, etsi eloquentissimus Athenis Pericles, idemque in ea civitate plurimos annos princeps consilii publici fuit, idcirco

reat. Nempe iam posui vocabulum *licentiam*, quod h. l. aptum est, quia Crassus *temere* in alias possessiones irruerat, ut supra in re simili c. 10 de eodem dici meminimus.

* *Neque vero, si quis*) Facile fieri potest, ut idem sit et senator bonus, et eximius orator: verum dotes illae diversae sunt: neque enim sequitur, ut, qui bonus est senator, is sit orator illustris, et qui illustris orator, sit senator bonus. Sed ita distinguuntur illae facultates, ut in diversis hominibus separatae saepe reperiantur. PAVST.

Alienam scientiam) Vulg. *aliquam scientiam*. In Omnib. autem: *aliqua scientia dicendi copiam*. Ernesti dedit *illam scientiam*, sequutus Manutium et Lambinum. Nobis vero praeplacuit Wyttenbachii lectio in bibl. crit. Vol. I, p. 15, ab eo commendata: « Primum enim, inquit, ipsa loci sententia hanc vocem flagitat. Nam orator si civilem scientiam assequutus est, haec ei aliena potest dici, neque tam propria, quam oratoria facultas. Deinde ipse Cicero in simili re et argumento utitur eadem voce de Or. I, 21: *Etenim videmus — quod non habuerit hanc dicendi ex arte aliena facultatem*. Est enim philosopho ars oratoria aliena, ut oratori scientia civilis. Et eadem ratione c. 50: *Ac si iam placet — neque ea ut sua possedisse, sed ut aliena libasse*. »

Idcirco eiusdem nominis atque artis utraque facultas existimanda est) Sic fidenter emendavi vulgatam lectionem *idcirco eiusdem hominis — utraque facultas existimanda est*. Etenim si Pericles idem orator, et princeps consilii publici fuit, necessario fuit utraque scientia *eiusdem hominis*. Sed

eiusdem nominis atque artis utraque facultas existimanda est; nec, si P. Crassus idem fuit eloquens et iuris peritus, ob eam causam inest in facultate dicendi iuris civilis scientia. Nam si quisque, ut in aliqua arte et facultate excellens aliam quoque artem sibi assumserit, ita perficiet, ut, quod praeterea sciet, id eius, in quo excellet, pars quaedam esse videatur: licet ista ratione dicamus, pila bene, et duodecim scriptis ludere proprium esse iuris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit; eademque ratione dicantur, quos φυσικοὺς Graeci nominant, iidem poëtae, quoniam Empedocles physicus egregium poëma fecerit. At hoc ne philosophi quidem ipsi, qui omnia, sicut

Antonius negat, quia idem homo utramque facultatem habuerit, idcirco eiusdem nominis atque artis utramque facultatem esse existimandam; alteri potius civilis scientiae, alteri oratoriae artis nomen manere. Sic supra c. 49: *Crassus mihi visus est omnem omnium rerum atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac* NOMINE.

Ita perficiet) Bene correxit Ernestius vulg. *is perficiet*, quod habent tamen etiam Guelf. B, C.

Duodecim scriptis) Hanc lectionem veram esse, non illam, quae multas edd. veteres occupavit, *duodecim scrupis*, bene docuit Ernesti.

Quos φυσικοὺς) Vulg. *et quos φυσικοὺς*. Rectius copulam omittit Guelf. B. Vossius copulam ad antecedens *dicantur* referendam putavit, pro *dicantur quoque*. Sed huius particulae vis iam est in verbis *eademque ratione*.

* *Empedocles*) Philosophus, idemque poëta Agrigentinus. Eum tradunt, ut absompto corpore crederetur immortalis, in ardentem Aetnae montis voraginem sese dedisse praecipitem, eiectis autem ferreis crepidis rem fuisse deprehensam. Ita Hippobotus apud Laertium, qui neque hoc, neque alia de eius morte commenta approbat. Id constat, eum floruisse Olympiade 84, annis ante Christum 444 (Lucretius lib. I, Horatius in Arte etc.) Prvsr.

At hoc ne philosophi quidem ipsi, qui omnia, sicut propria, sua esse atque a se possideri volunt, dicere audent) Vix adducor, ut nihil in his turbatum esse credam. Nam primum philosophi, qui geometriam et musicam negantur ad suam artem trahere, dici non possunt omnia sua esse et a se possideri velle. Immo supra tantum hoc dicebatur: *philosophum de sua vi ac sapientia unum omnia* PAENE *profiteri* cap. 49 (pag. 136, vs. 2). Deinde molestum est *omnia, sicut propria, sua esse*. Quis ita loquatur, *hoc meum est sicut proprium?* Itaque Ciceronem arbitror scripsisse: *At hoc ne philosophi quidem ipsi, qui* CETERA *omnia propria et sua esse atque a se possideri volunt, dicere*

propria, sua esse, atque a se possideri volunt, dicere audent, geometriam, aut musicam, philosophi esse, quia Platonem omnes in illis artibus praestantissimum fuisse fateantur. Ac, si iam placet omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est sic potius dicere, ut, quoniam dicendi facultas non debeat esse ieiuna atque nuda, sed aspersa atque distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse, neque ea, ut sua, possedisse, sed, ut aliena, libasse. Fateor enim, callidum quendam hunc, et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere.

51. Neque vero istis tragoediis tuis, quibus uti philosophi maxime solent, Crasse, perturbor, quod ita dixisti, neminem posse eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere,

audent geometriam aut musicam philosophi esse etc. Aut si mavis: *At hoc ne philosophi quidem ipsi, qui* CETERA *omnia* SCILICET *propria et sua esse atque a se possideri volunt.*

Ieiuna) Quia *ieiuna* interdum dicuntur sicca, et humore carentia, ut *arena ieiuna*, bene opponitur *aspersa*; ut τῷ *nuda* apte opponitur *distincta* rerum varietate, h. e. tanquam insignibus quibusdam ornamentis, quae divitias produnt, vestita. Sic Brut. c. 82, componuntur *ieiunitas*, *et siccitas*, *et inopia.*

Neque ea, ut sua, possedisse, sed, ut aliena, libasse) Metaphora in vocabulo *libare* ducta est ab iis, quibus, quum qui vina et id genus alia propria possident, iis quoties et quantum veliut fruantur, ipsis contra tantum gustare licet, quantum possessoris liberalitas concedat.

Fateor enim, callidum quendam hunc, et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere). Ne quis forte hic inanis verborum copiae idem significantium Ciceronem accuset, observandum est, *tironem* esse, qui initia tantum et elementa artis didicerit, *rudem*, qui ne haec quidem teneat, *peregrinum*, qui quia in quibusdam artibus tanquam in domicilio suo versetur, aliarum cognitionem neglexerit, *hospitem*, qui in his aliquantulum tanquam in deversorio commoratus sit, ut nec nihil, nec multum in iis profecerit.

* *Istis tragoediis tuis*) Tragoedias in nugis agere dicuntur, qui rem

quum eo maxime vis oratoris magnitudoque cernatur, nisi qui hominum naturam et motus animorum eorumque rationes penitus perspexerit: in quo philosophia sit oratori necessario percipienda; quo in studio hominum quoque ingeniosissimorum otiosissimorumque totas aetates videmus esse contritas; quorum ego copiam magnitudinemque cognitionis, atque artis non modo non contemno, sed etiam vehementer admiror; nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est, ea de motibus animorum et scire et dicere, quae non

parvam clamitando, ut fieri solet a tragoediarum actoribus, magnam faciunt. Pavst.

Nisi qui hominum naturam et motus animorum eorumque rationes penitus perspexerit). In edd. omnibus legebatur: *nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes penitus perspexerit.* Atqui Crassus illo loco, qui hic respicitur, non dixerat oratori ad animos iudicum vel concitandos vel reflectendos opus esse *rerum omnium naturam et mores hominum* intelligere. Sic potius supra cap. 12 dixerat: *Quare nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non potest.* Itaque locus, in quo versamur, necessario sic, ut fecimus, erat refingendus. Corruptela ex male intellectis scripturae compendiis, et similium vocabulorum permutatione orta esse videtur. Nam oium et hoium facile erat confundere; *motus* item et *mores.* Neque vero ea, quae proximo sequuntur, ferri patiuntur vulgatam. Nusquam enim Antonius hanc opinionem refutat, oratori ad affectus in animis iudicum excitandos opus esse *rerum omnium naturam* aut *mores hominum* cognosse, sed id tantum agit, ut doctrinam philosophorum de hominum natura, et animi perturbationibus ei haud necessariam esse demonstret. Eodem modo auctor de causis corruptae eloquentiae, cui Ciceronis locus procul dubio obversatus erat, c. 31: *Nam in iudiciis*, inquit, *fere de aequitate, in deliberationibus de honestate dicimus, ita ut plerumque haec ipsa invicem misceantur; de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam, et vim virtutum pravitatemque vitiorum. — Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget, vel leniat, qui scit, quid ira; promtius ad miserationem impellat, qui scit, quid sit misericordia, et quibus animi motibus concitetur.* Vides, ne hunc quidem scriptorem ad artem animos auditorum commovendi aliud quid quam doctrinam de motibus animorum umuinoque de natura humana requirere.

Ea de motibus animorum et scire et dicere) Hic iam Ernestio suboluerat sic legendum esse, quum vulgo ederetur, *ea de moribus hominum.* Nempe ea verba librarii anticiparunt

abhorrent ab hominum moribus. Quis enim unquam orator magnus et gravis, quum iratum adversario iudicem facere vellet, haesitavit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, errorne mentis, an cupiditas puniendi doloris? Quis, quum ceteros animorum motus aut iudicibus, aut populo dicendo miscere atque agitare vellet, ea dixit, quae a philosophis dici solent? qui partim omnino motus negant in animis ullos esse debere, quique eos in iudicum mentibus concitent, scelus eos nefarium facere; partim, qui tolerabiliores volunt esse, et ad veritatem vitae propius accedere, permediocres ac potius leves motus debere esse dicunt. Orator autem omnia haec, quae putantur in communi vitae consuetudine, mala ac molesta, et fugienda, multo maiora et acerbiora verbis facit; itemque ea, quae vulgo expetenda atque optabilia videntur, dicendo amplificat atque ornat; neque vult ita sapiens inter stultos videri, uti, qui audiant, aut ineptum illum et graeculum putent, aut, etiamsi valde probent ingenium oratoris, sapientiam admirentur, se esse stultos moleste ferant; sed ita peragrat per animos hominum, ita sensus mentesque pertractat, ut non desideret philosophorum descriptiones, neque exquirat oratione,

oculorum errore ex iis, quae statim sequuntur: *quae non abhorrent ab hominum moribus.*

Errorne mentis) Recepi emendationem, quam Purgoldus in obss. crit. p. 331 sq. idoneis argumentis mihi persuasit, quum vulgo legeretur *fervorne mentis*. Qui tamen ne hoc quidem concedere debebat, aeque bene *fervor mentis*, ac *fervor animi* dici. In mentem enim (τὸν νοῦν) fervor omnino non cadit. *Error mentis*, ut bene ille docuit, nihil aliud est quam insania s. furor. Notissimum vero est iram brevem insaniam dici.

* *Omnino motus negant*) Stoici negant motus in animis ullos esse debere: Peripatetici mediocres admittunt. Vide Tullium lib. III Tuscul. quaest. PRVST.

Aut ineptum illum et graeculum) Vulg. *aut illum ineptum aut graeculum putent*. Alterum *aut* h. l. parum aptum esse iam Pearcius vidit. *Ineptum* enim et *graeculum* copulantur, non disiunguntur. *Illum* vero, ut Ernesti recte iudicavit, alieno loco ante *ineptum* ponebatur.

summum illud bonum in animone sit, an in corpore; virtute, an voluptate definiatur; an haec inter se iungi copularíque possint; an vero, ut quibusdam visum, nihil certum sciri, nihil plane cognosci et percipi possit. Quarum rerum fateor magnam multiplicemque esse disciplinam, et multas, copiosas, variasque rationes; sed aliud quiddam, longe aliud, Crasse, quaerimus. Acuto homine nobis opus est, et natura usuque callido, qui sagaciter pervestiget, quid sui cives, iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, exspectent.

52. Teneat oportet venas cuiusque generis, aetatis, ordinis, et eorum, apud quos aget, aut erit acturus, mentes, sensusque degustet; philosophorum autem libros reservet sibi ad huiuscemodi Tusculani requiem atque otium: nec, si quando ei dicendum erit de iusti-

* *Summum illud bonum*) Discrepantes philosophorum de summo bono sententias egregie et breviter Cicero collegit Tusculan. quaest. lib. V: *Sunt autem hae de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae: primum simplices quatuor: nihil bonum, nisi honestum, ut Stoici: nihil bonum, nisi voluptatem, ut Epicurus: nihil bonum, nisi vacuitatem, ut Hieronymus: nihil bonum, nisi naturae primis bonis aut omnibus, aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat. Haec simplicia: illa mixta: tria genera bonorum; maxima, animi; secunda, corporis; externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academici secus. Voluptatem cum honestate Dinomachus, et Calliphо copulavit. Indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit.* PRVST.

* *Venas*) Metaphora ducta a venis aquarum, et metallorum, quas investigant ii, qui metalla, aut aquas sub terra latentes explorant. IDEM.

Philosophorum autem libros reservet sibi ad huiuscemodi Tusculum requiem atque otium, NEC, *si quando ei dicendum erit de iustitia et fide, mutuetur a Platone*) Vulgo male: NE, *si quando — mutuetur a Platone;* quae una particula totius sententiae veram vim detorquebat. Nam si NE — *mutuetur* legas, Antonius videbitur dicere, *oratorem sibi philosophorum libros reservare ad Tusculani otium, ne opus sit a Platone mutuari,* quibus verbis Plato quasi circumscriberetur e philosophorum numero; quo quid esset ineptius? Omnino Antonius negat philosophorum libros, ipsosque adeo Platonis, oraturi in foro utiles esse; quapropter unice verum est NEC — *mutuetur.*

tia et fide, mutuetur a Platone, qui, quum haec exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem; usque eo illa, quae dicenda de iustitia putabat, a vitae consuetudine, et a civitatum moribus abhorrebant. Quod si ea probarentur in populis atque in civitatibus, quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro, et amplissimo principi civitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum civium, quae dixisti? «Eripite nos ex miseriis, eripite ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri: nolite sinere nos cuiquam servire, nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.» Omitto *miserias*, in quibus, ut illi aiunt, vir fortis esse non potest; omitto *fauces*, ex quibus te eripi vis, ne iudicio iniquo exsorbeatur sanguis tuus, quod sapienti negant accidere posse; *servire* vero non modo te, sed universum senatum, cuius tum causam agebas, ausus es dicere? Potestne virtus, Crasse, servire, istis auctori-

Qui quum haec exprimenda verbis arbitraretur) Hoc parum commode dictum, quum exspectetur: *qui quum illum locum de iustitia explicandum sumsisset.* Certe aptius esset: *q. q. h. exponenda verbis arbitraretur.*

* *Quod si ea probarentur*) Si philosophiae placita libenter audiret populus, nunquam orationem tuam, Crasse, populus romanus probavisset: ea quippe abhorrebat a documentis philosophorum, qui negant hominem probum et sapientem servire cuiquam posse etc. PAVST.

In maxima concione) Nempe quum legem Serviliam Caepionis de iudiciis, quae tum quidem Equitibus tradita erant, cum Senatu communicandis Crassus suaderet.

* *Eripite nos*) Verba sunt deprompta ex oratione quadam, quam Crassus paulo ante ad populum habuerat; qua vehementer conquerebatur de equitibus romanis, qui cum iudicia impotentius et iniquius exercerent, tum vero senatum vehementer vexabant. Crassus igitur, qui senatorum partes et causam tuebatur, ita alloquebatur populum: *Eripite nos* etc. PAVST.

Eripite ex faucibus) Vulg. *eripite nos ex faucibus*; sed repetitum *nos* elegantius omittitur Guelf. B, C, ed. Omnib.

Ne iudicio iniquo) quo nimirum saepe Senatores accusati ab Equitibus vexabantur.

* *Potestne virtus servire*) Sensus: isti, Crasse, philosophi, quorum tu praecepta ad oratoris facultatem per-

bus, quorum tu praecepta oratoris facultate complecteris? quae et semper, et sola libera est, quaeque, etiamsi corpora capta sint armis, aut constricta vinculis, tamen suum ius, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debet. Quae vero addidisti, non modo senatum servire *posse* populo, sed etiam *debere*, haec quis philosophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis doloremque referens, ut probare possit? Senatum servire populo, cui populus ipse moderandi et regendi sui potestatem, quasi quasdam habenas, tradidisset?

53. Itaque haec quum a te divinitus ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus, homo doctus, et philosophiae deditus, non modo parum commode, sed etiam turpiter et flagitiose dicta esse dicebat. Idemque Ser-

tinere censes, an auctores sunt tibi, dicunt, pronuntiant, posse fieri ut virtus serviat, et non sit libera? Oliv.

* *Quae et semper*) Videndum Ciceronis paradoxum, cuius haec est inscriptio: *Omnes sapientes liberi, omnes stulti servi*. Pavst.

Haec quis philosophus tam mollis, tam languidus — referens, ut probare possit) In vulgata lectione *hoc quis philosophus tam mollis, — referens probare possit* vacillat constructio. Illud enim *tam* ter repetitum non habet quo referatur, nisi *ut*, quod excidit, restituas. Denique *haec* reposui pro vulg. *hoc*, quia praecedit *quae vero addidisti*.

Idemque Servium Galbam) Multae edd. velt. habent *idem Q. Servium Galbam*. Cod. Guelf. B, *Item q. Servilium Galbam*, cod. C, *Idemque Q. Servium*.

* *Q. Serv. Galbam*) Q. Servius Galba Hispanam provinciam, post exactam Romae praeturam, obtinuit. Is, Lusitanis ad 40 millia contra interpositam fidem partim interfectis, partim venditis, accusatus, eius nomen deferente L. Scribonio tribuno plebis, perorante contra illum Catone, quum invidia et odio populi premeretur, et poenas videretur daturus, C. Sulpicii Galli, propinqui sui, viri populo acceptissimi nuper demortui, filium adolescentem in medium protulit, cum duobus filiis suis, quos populi tutelae flens, et quasi moriturus commendavit. C. Sulpicii Galli recordatio, pupilli orbitas, ac puerorum aspectus ita populum ab odio ad misericordiam traduxerunt, ut iudicio ac periculo Galba liberatus fuerit, anno V. C. 605, ante Christum 149. Livius lib. XLIX. Valer Maxim. lib. VIII, cap. 1. De Galba plura apud Tullium in Bruto cap. 21. Pavst.

vium Galbam, quem hominem probe commeminisse se aiebat, pergraviter reprehendere solebat, quod is, L. Scribonio quaestionem in eum ferente, populi misericordiam concitasset, quum M. Cato, Galbae gravis atque acer inimicus, aspere apud populum romanum et vehementer esset loquutus; quam orationem in Originibus suis exposuit ipse. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui sui, Q. pupillum filium ipse paene in humeros suos extulisset, ut patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo moveret, qui duos filios suos parvos tutelae populi commendasset, ac se, tanquam in pro-

* *Commeminisse*) Erat enim tum adolescens Rutilius, quum Galba floreret. Idem.

Commeminisse) Sic Iunt. Ald. itemque MSS. Pearcii complures, quibus accedunt Erl. Guelf. B, C. In multis erat *nosse et commeminisse*; additamento inepto.

* *Originibus*) Liber hic fuit M. Catonis, cuius inscriptio haec erat, *Origines*, quia in eo libro agebat de originibus urbium, et populorum Italiae. Vide Ciceronem in Bruto. Pavst.

Reprehendebat igitur Galbam, quod is C. Sulpicii — pupillum filium — in humeros suos extulisset, qui patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo moveret, et duos filios suos parvos tutelae populi romani commendasset) Comparandus est locus in Bruto, c. 23: *Tum igitur nihil recusans Galba pro sese, et populi romani fidem implorans, quum suos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat, cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit, propter recentem memoriam clarissimi patris*, quem locum si recordatus esset Wyttenbachius Bibl. Crit. Vol I, p. 16, non sane sic rescribendum hoc quem tractamus loco opinatus esset, *ut patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo moveret, qui* (sc. *pater*) *duos filios suos parvos tutelae P. R. commendasset.* Scilicet Galba primum Sulpicii filium pupillum, cui ipse tutor erat constitutus, et cui grave ac durum erat post patrem etiam tutore orbari, deinde etiam suos ipsius filios adhibuit ad misericordiam populi commovendam.

Filium Q. pupillum) Hunc verborum ordinem, quem Lambinus praeivit, servare debebant, qui post eum Ciceronis opera edidere. Minus enim concinne in aliis legitur: *Q. pupillum filium.* In Bruto c. 23, filius absque praenomine memoratur.

Tanquam in procinctu) Milites romani pugnam commissuri, tribus pluribusve commilitonibus audientibus, heredem nominare solebant, ut, si caderent in proelio, testamento condito morerentur, hoc est *in procinctu testamentum facere.* Vide Gellium XV, 27. Quint. inst. Or. lib. XII, c. 9, occurrit *in procinctu stare*,

cinctu testamentum faceret, sine libra atque tabulis, populum romanum tutorem instituere dixisset illorum orbitati. Itaque quum et invidia et odio populi tum Galba premeretur, hisce eum tragoediis liberatum ferebat; quod item apud Catonem scriptum esse video, *nisi pueris et lacrymis usus esset, poenas eum daturum fuisse.* Haec Rutilius valde vituperabat, et huic humilitati dicebat vel exsilium fuisse vel mortem anteponendam. Neque vero hoc solum dixit, sed ipse et sensit et fecit. Nam quum esset ille vir exemplum, ut scitis, innocentiae; quumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior, non modo supplex

et Ovidius de Ponto lib. I, ep. 8, ait:

Haec in procinctu carmina facta puta,

id est, sine multa meditatione, et quasi ex tempore facta. PEARE.

* *Sine libra, atque tabulis*) Aliud erat testamenti genus per familiae emancipationem, quo paterfamilias imaginaria venditione ius omne suum, ac bona transferebat in alium. Is porro ritus erat: Quinque testibus, ac libripende praesentibus, futurus heres imaginarii pretii nomine nummum aeneum dabat patrifamilias, ac solemnem verborum formulam pronunciabat: *Huius ego familiam, quae mihi empta est hoc aere, aeneaque libra, iure Quiritium, meam esse aio.* Deinde aere percutiens libram, illud aes dabat patrifamilias, qui tum hereditatis adeundae ius emptori concedebat. Is autem, qui emebat, vocabatur emptor familiae: eaque testamenta in tabulis scribebantur. Tertium testamenti genus calatis comitiis in populi concione fiebat. Consule Gellium lib. XV, cap. 27. PAVST.

Hisce cum tragoediis) Hanc lectionem Heusingerus eruit e vestigiis codd. Guelf. B, C. In altero est *isque eum tragoediis*, in altero *iisque*. Vulgo minus bene *his quoque eum tragoediis*.

* *Dicebat vel exilium*) Nempe homo Stoicus, qui affectus omnes ex hominum animis sublatos vellet, ac servilem hunc agendi modum a sapientis dignitate, et libertate vehementer abhorrere censebat. PAVST.

Non modo supplex iudicibus esse voluit, sed ne ornatius quidem) Sic Guelf. B, C, rectius, quam ut vulgo scribitur, *non modo — noluit.* Nam in particulis *non modo non* altera negatio supprimitur, sequente *ne quidem*. Cf. Heusingeri not. ad orat. pro Rosc. Amer. c. 19.

* *Non modo supplex*) P. Rutilius Rufus orator, iurisconsultus, philosophus, et historicus, quaestor in Asia anno V. C. 633, ante Christum 121, quum a publicanorum iniuriis Asianos defenderet, in invidiam et odium equestris ordinis, qui tum iudicia exercebat, quo ex ordine publicani legebantur, vocatus est. Accusatus repetundarum, damnatus, et in ex-

iudicibus esse voluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat. Paulum huic Cottae tribuit partium, disertissimo adolescenti, sororis suae filio. Dixit item causam illam quadam ex parte Q. Mucius, more suo, nullo apparatu, pure et dilucide. Quod si tu tunc, Crasse, dixisses, qui subsidium oratori ex illis disputationibus, quibus philosophi utuntur, ad dicendi copiam, petendum esse paulo ante dicebas; et, si tibi pro P. Rutilio non philosophorum more, sed tuo licuisset dicere, quamvis scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt, pestiferi cives supplicioque digni; tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tuae. Nunc talis vir amissus est, dum causa ita dicitur, ut si in illa commentitia Platonis civitate res ageretur. Nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo est questus, nemo rempublicam imploravit, nemo supplicavit. Quid multa? pedem

silium missus est. Vide Brutum. Pavst.

* *Liberius*) h. e. solutius, aut pluribus cum ambagibus.

Ratio veritatis) Sic Ald. Iunt. Pearcius, Ernesti; it. cod. Erl. Vulgo male *oratio veritatis*, quod ostendunt etiam Guelf. B, C.

* *Tribuit partium*) Oratores et patroni alii erant primarum partium, qui principem causae locum, ac defensionis habebant, qui primi dicebant, vel de rebus praecipuis, alii secundarum, alii tertiarum, etc. Pavst.

Quod si tu tunc) Vulg. *quid si tu nunc*, male et contra sensum. Illud autem iam Pearcius restituit e compluribus MSS. et Edd. Sequutus est Ernesti.

* *Scelerati illi*) Scil. illi iudices equestris ordinis, qui Rutilium iniuria damnaverant. Nempe sententia haec est: quamvis scelerati fuissent, sicuti fuerunt, illi iudices, quos scimus fuisse pestiferos cives et supplicio dignos, tamen vis orationis tuae effecisset, ut ista tanta importunitas ex intimis eorum mentibus evelleretur, invitique cogerentur Rutilium absolvere.

* *Ita dicitur, ut si*) Non dicitur ornatius, ac liberius quam simplex ratio veritatis ferat; nullis excitatis affectibus, nulla quaesita commiseratione etc. id quod fieri Plato volebat in sua illa ficta rep. quam administrandam tradidit philosophis, exterminata omni elegantia dicendi, et copia. Pavst.

* *Pedem nemo*) Valet pedis supplosio, ut Cicero monet, in conten-

nemo in illo iudicio supplosit, credo, ne Stoicis renuntiaretur.

54. Imitatus est homo romanus et consularis veterem illum Socratem, qui, quum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset, ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur esse iudicum. Quin etiam, quum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei videretur, edisceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit, et commode scriptam esse dixit: sed, inquit, ut, si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles; sic illam orationem disertam sibi et ornatam videri, fortem et virilem non videri. Ergo ille quoque damnatus est; neque solum primis sententiis, quibus tantum statuebant iudices, damnarent, an absolverent, sed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi poenae aestimatio; et sententia quum iu-

tionibus aut incipiendis, aut finiendis. Si fuerit crebrior, inepti hominis est, ut docet Fabius. Id.

* *Scriptam orationem*) Vetitum olim Athenis fuit, ne quis ad suam defensionem oratorem adhiberet. Igitur Lysias, orator tum optimus, scribebat orationes, quas eloquentiae rudes, quia pro se ipsi dicere iubebantur, edíscerent, ac pronuntiarent. Ea causa fuit, cur scriptam orationem obtulerit Socrati. Id.

Si ei videretur) Elegantius forsan omittatur pronomen.

* *Sicyonios*) Sicyon urbs Peloponnesi, in Graecia, Corinthum inter et Athenas. Hic olim muliebres calcei elegantissimi conficiebantur. Pryst.

Disertam sibi et ornatam videri) Sic rescripsi, quum vulgo inficete scriptum sit *disertam sibi et ornatam videri*. Secundum Diog. Laërt. lib. II, Socrates dixit: καλὸς μὲν ὁ λόγος, ἀλλ' οὐκ ἁρμόττων μοι.

* *Quas iterum* etc.) Quibus de poena statuerent, et aestimarent quam gravis deberet esse. Id autem fiebat, quum fraus capitalis non erat, seu quum crimen capite plectendum non erat. Alioquin gravioribus delictis erat poena capitis legibus constituta. Bis igitur sententiam ferebant indices, semel quum damnabant reum; iterum, quum poenam constituebant. Pryst.

dicibus daretur, interrogabatur reus, quam commeruisse se maxime confiteretur; quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur; qui honos apud Graecos maximus habetur. Cuius responso sic iudices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. Qui quidem si absolutus esset (quod mehercule etiamsi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenii magnitudinem vellem), quonam modo istos philosophos ferre possemus, qui nunc, quum ille damnatus est, nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi inscientiam, tamen a se oportere dicunt

Quam commeruisse se maxime confiteretur) Vulgo: *quum quasi aestimationem se maxime commeruisse confiteretur.* Sed illa verba *quasi aestimationem* temere ex superioribus a grammatico quodam, qui non intelligeret, *quam commeruisse* referri ad antecedens *poenam*, repetita delevi. Non enim aestimationem poenae aliquis commeretur, sed poenam aestimare dicitur, quam commeritum se putet.

Socrates — respondit, sese meruisse (ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et) ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur; qui honos apud Graecos maximus habetur) Nullus dubito, quin verba h. l. uncis inclusa ab inepto quodam glossatore inculcata sint, cui honos τῆς σιτήσεως in Prytaneo nondum sat magnus videbatur, nisi etiam istam laciniam de *amplissimis honoribus et praemiis* assuisset, de quibus apud Platonem in Apologia Soc. altum est silentium. Quin potius ibi c. 16, Socrates simpliciter dicit: Εἰ οὖν δεῖ με κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι, τούτου τιμῶμαι, τῆς ἐν Πρυτανείῳ σιτήσεως. Et sic Diog. Laërt. II, 42, et Lucian. Prometh. c. 4.

* *Interrogatus Socrates esset*) Hinc colligitur iudicibus id primo propositum fuisse, ut Socrates non capitis reus multa aliqua tantum afficeretur. Et vero narrat Laërtius, sic interrogatum Socratem respondisse, se drachmas viginti quinque soluturum; tumultuantibus autem iudicibus, dixisse, se dignum qui in Prytaneo aleretur. PRVST.

* *Prytaneo*) Locus Athenis, ubi publico sumptu alebantur ii, qui de rep. optime meriti essent. IDEM.

* *Propter dicendi inscientiam*) In dicendo tantum valuit Socrates, ut, quemadmodum in apologia ipse sibi ab adversariis obiectum testatur, deteriorem causam oratione meliorem efficeret, et in libris sequentibus dicitur *rebus omnibus, omnium iudicio quamcumque se in partem dedisset, facile princeps.* Immo ipse, teste Antonio paulo supra, ita pro se dixit, ut non supplex, aut

peti praecepta dicendi? Quibuscum ego non pugno, utrum sit melius, aut verius: tantum dico, et aliud illud esse, atque hoc, et hoc sine illo summum esse posse.

55. Nam quod *ius civile*, Crasse, tam vehementer amplexus es, video quid egeris. Primum Scaevolae te dedisti, quem omnes amare meritissimo pro eius eximia suavitate debemus; cuius artem quum indotatam esse et incomtam videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti. Deinde quod in ea tu plus operae laborisque consumseras, quum eius studii tibi et hortator et magister esset domi, veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. Sed ego ne cum ista quidem arte pugno. Sit sane tanta, quantam tu illam esse vis. Etenim sine controversia et magna est, et late patet, et ad multos pertinet, et summo in honore semper fuit, et clarissimi cives ei studio et olim praefuerunt et hodie praesunt: sed vide, Crasse, ne, dum novo et alieno vestitu velis ornare iuris civilis scientiam,

reus, sed magister, aut dominus videretur esse iudicum. Conciliandus igitur secum ipse Antonius hoc modo. Noluit mentes iudicum Socrates permovere, quia id nefas putavit: artem vero, quam ut illicitam non attigit, dictus est nescivisse. Id.

Video quid egeris) Nihil vidi ineptius, quam quod hic vulgo adiicitur: *tum quum dicebas videbam*. Glossema iam Heusingerus odoratus est. Itaque expunxi.

Te dedisti) Sic Guelf. B, C. Et iam Ernesti hoc restituit pro vulg. *dedidisti* ex edd. pr. et MS. Erl. *Dare se alicui* est ei obsequi, aut gratificari. Sic de Orat. II, c. 70, *ut se Crasso daret*.

Indotatam esse) Optimo iure resecuit Pearcius verba, quae hic vulgo annectuntur, item in Guelf. B, C, *atque incomitatam*.

* *Hortator et magister*) Vel Scaevola Crassi socer, vel L. Caelius Antipater, cuius Cicero meminit in Bruto. PAVST.

Et clarissimi cives ei studio et olim praefuerunt, et hodie praesunt) Ita Victor. aliique et *clarissimi cives ei studio etiam hodie praesunt*. In ed. Omnib. *et clarissimi cives ei studio et semper praefuerunt et hodie praesunt*. In quo reliqua servavi, pro *semper autem*, quod h. l. ex antecedentibus repetitum est, dedi *olim*.

Alieno vestitu velis ornare) Vulg. *alieno ornatu velis ornare*, quomodo Ciceronem scripsisse nemo sibi persuaserit. Quod rescripsimus, confirmatur Brut. c. 95: *sed ea* (concinnitas)

suo quoque eam concesso et tradito spolies atque denudes. Nam si ita diceres: qui iurisconsultus esset, esse eum oratorem, itemque qui esset orator, iuris eundem esse consultum; praeclaras duas artes constitueres, atque inter se pares, et eiusdem socias dignitatis. Nunc vero, iurisconsultum sine hac eloquentia, de qua quaerimus, fateris esse posse, fuisseque plurimos; oratorem negas, nisi illam scientiam assumserit, esse posse. Ita est tibi iurisconsultus ipse per se nihil, nisi leguleius quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum; sed quia saepe utitur orator subsidio iuris in causis, idcirco istam iuris scientiam eloquentiae, tanquam ancillulam pedisequamque, adiunxisti.

56. Quod vero *impudentiam* admiratus es eorum patronorum, qui aut, quum parva nescirent, magna profiterentur, aut ea, quae maxima essent in iure civili, tractare auderent in causis, quum ea nescirent, nunquamque didicissent; utriusque rei facilis est et promta defensio. Nam neque illud est miraudum, qui, quibus verbis coëmtio fiat, nesciat, eundem eius mu-

vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat.

* *Leguleius*) Is est qui legum apices, minutasve formulas iuris callet, et sequitur. PRVST.

* *Praeco actionum*) Qui denuntiat imperitis iuris, quando agi lege, necne possit; quo genere actionis suum quisque ius persequatur: qui sic interest actionibus et litibus, ut praeco auctionibus ac venditionibus. STREB.

* *Cantor formularum*) Qui iuris formulas recitat. Formulae autem sunt concepta verba, quibus vel patroni, vel iudices utuntur in foro: quae quia semper eandem formam retinent, et ex iis informantur lites, ideo formulae appellantur interdum etiam dicuntur carmina. PRVST.

* *Auceps syllabarum*) Qui syllabas et interpunctiones omnes, puta legis alicuius, testamenti, et expendit, ac velut auceps aviculas, observat, et persequitur. IDEM.

* *Quibus rebus coëmptio fiat*) Coëmptio fuit formula quaedam matrimonii contrahendi, qua mulier (teste Varrone) assem unum tanquam emendi causa, marito dare solebat; verbisque quibusdam solemnibus uti, quibus *coëmptionem fecerit.* PEARCIVS.

lieris, quae coëmtionem fecerit, causam posse defendere: nec, si parvi navigii et magni non eadem est in gubernando scientia; idcirco qui, quibus verbis erctum cieri oporteat, nesciat, idem herciscundae familiae causam agere non possit. Nam quod maximas centumvirales causas in iure positas protulisti; quae tandem earum causa fuit, quae ab homine eloquenti, iuris imperito, non ornatissime potuerit dici? quibus quidem in causis omnibus, sicut in ipsa M. Curii, quae abs te nuper est dicta, et in C. Hostilii Mancini controversia, atque in eo puero, qui ex altera natus erat uxore, non remisso nuntio superiori, fuit inter peritissimos homines summa de iure dissensio. Quaero igitur, quid adiuverit oratorem in his causis iuris scientia, quum hic iurisconsultus superior fuerit discessurus, qui esset non suo artificio, sed alieno, hoc est, non iuris scientia, sed eloquentia, sustentatus. Equidem hoc saepe audivi, quum aedilitatem P. Crassus peteret, eumque maior natu, etiam consularis, Ser. Galba assectaretur, quod

' *Nec, si parvi navigii et magni non eadem est in gubernando scientia*) Mirum est, nemiuem adhuc animadvertisse in vulgata lectione: *nec, si parvi navigii et magni eadem est in gubernando scientia*, omissam esse negandi particulam totamque sententiam inepte corruptam esse. Supra c. 38 dixerat Crassus: *illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri, quinqueremes aut etiam maiores gubernare didicisse.* Ad hunc locum respiciens Antonius, etiamsi verum sit, ait, parvi navigii et magni NON eandem esse in gubernando scientiam, idcirco tamen affirmari nequit, qui, quibus verbis berctum cieri oporteat, nesciat, eundem herciscundae familiae causam agere non posse. Viderat Ernesti, antecedens in hac seutentia *nec si parvi* etc. non consentire consequenti; neque tamen difficultatem recte expediit.

* *Herctum* (vulgo *erctum*) *cieri*) Ercisci, sive hercisci, verbum vetus, significat dividere: herciscundae familiae iudicium illud est, quod fit in rei, vel pecuniae hereditariae divisione. *Erctum*, ut ait Donatus citatus a Servio in III Aeneid. hereditatem significat, et *citum* divisionem. PAVST.

Maximas) abest cod. Guelf. B.

Et in C. Hostilii Mancini controversia) Guelf. B, C, *et ut in Titi Lucilii Mancini controversia.*

Inter peritissimos homines) In Guelf. B omittitur *homines*.

Crassi filiam C. filio suo despondisset, accessisse ad Crassum consulendi causa quendam rusticanum; qui quum Crassum seduxisset, atque ad eum retulisset, responsumque ab eo verum magis, quam ad suam rem accommodatum abstulisset; ut eum tristem Galba vidit, nomine appellavit, quaesivitque, qua de re ad Crassum retulisset. Ex quo ut audivit, commotumque ut vidit hominem, Suspenso, inquit, animo et occupato Crassum tibi respondisse video; deinde ipsum Crassum manu prehendit, et, Heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita respondere? Tum ille fidenter, homo peritissimus, confirmare, ita se rem habere, ut respondisset; nec dubium esse posse. Galba autem alludens varie et copiose, multas similitudines afferre, multaque pro aequitate contra ius dicere. Atque illum, quum disserendo par esse non posset (quamquam fuit Crassus in numero disertorum, sed par Galbae nullo modo), ad auctores confugisse, et id, quod ipse diceret, et in P. Mucii fratris sui libris, et in Sex. Aelii commentariis scriptum protulisse; ac tamen concessisse, Galbae disputationem sibi probabilem et prope veram videri.

57. Attamen, quae causae sunt eiusmodi, ut de earum iure dubium esse non possit, omnino in iudicium vocari non solent. Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus esset, hereditatem petit? Nemo; quia constat, agnascendo

* *Suspenso animo — et occupato*) Haec similia quidem, non tamen prorsus eadem sunt. *Suspensus animus* est in aliud quid attentus, ideoque ab eo, quod proponitur, abstractus; *occupatus* autem, pluribu cogitationibus distractus.

* *Pro aequitate contra ius*) Aequitatis nomine intelligitur ἐπιείκεια, benignitas, qua lex scripta mitigatur, ratione habita rerum, personarum, ac temporum: ius autem, ut hic sumitur, est exacta et severa legis ad verbum interpretatio. PAVST.

* *Agnascendo rumpi testamentum*)

rumpi testamentum. Ergo in hoc genere iuris iudicia nulla sunt. Licet igitur impune oratori omnem hanc partem iuris incontroversi ignorare, quae pars sine dubio multo maxima est: in eo autem iure, quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile oratori, eius partis, quamcunque defendet, auctorem aliquem invenire: a quo quum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit. Nisi vero (bona venia huius optimi viri dixerim) tu libellis, aut praeceptis soceri tui causam M. Curii defendisti. Nonne arripuisti patrocinium aequitatis, et defensionem te-

Si paterfamilias ante fecit testamentum, quam natus ei sit filius, irritum est nato filio, et amittit ius omue ad hereditatem is, qui illo testamento heres fuerat institutus: filius enim nascendo, quia inter agnatos prior est, ac potior, ius omne ad hereditatem sibi vindicat. Agnasci dicitur, qui nascitur cum aliis, qui ex eadem stirpe per viros deinceps ducta nati et sanguine coniuncti sunt. Idem.

Licet igitur — omnem hanc partem iuris incontroversi ignorare) Hanc lectionem Lambinus induxit, quae, si vera est, interpretanda sic: *hanc partem, quae est iuris incontroversi*; plane eodem modo, quo III, 38, dicitur: *Tertius ille modus transferendi verbi*, pro: *tertius ille modus, qui est in transferendo verbo*. Sed quaeritur an altera lectio *in controversiis* illi praeferenda sit, quam edd. pr. item Guelf. B, C, ostendunt. Haec ita debet intelligi, quum controversias dicit, ut c. 58, *in causis*, quum causas dicit. At enim Antonius paulo ante negaverat, causas, de quarum iure dubium esse non possit, in iudicium vocari. Ergo nihil opus erat moneri, oratorem has *in controversiis* ignorare posse. Quare magis placet nobis *incontroversi*, nisi quis utrumque delendum censeat, in quo tamen vix arbitror fuisse, qui *incontroversi* vel *in controversiis* glossematis causa adiiceret.

In eo autem iure) Guelf. B omittitur *iure*, quod sane si absit, haud desideretur.

Non est difficile) Recte sic emendavit Pearcius vulg. *non esse* multorum codd. auctoritate; quod vel absque ea necessario fuisset corrigendum.

Quamcunque defendet) Sic Guelf. B, C, et iam Pearcius id recepit; nec erat cur Ernesti *quamcunque defendat* melius putaret.

* *Amentatas hastas*) Amentum lorum est quoddam mediae hastae alligatum, in quod inseritur vibrantis manus, ne vacillet, utque certius et expeditius hastam impellat. Vocabulo ad artem oratoriam translato, amentatas hastas recte dixeris argumenta ab altero cogitata, quae verbis tuis exornata sunt. Pavst.

Oratoris) Nizolius legit *oratoriis*, forsan verius.

Bona venia huius optimi viri dixerim) Loquitur ἠθικῶς et quod ad-

stamentorum, ac voluntatis mortuorum? Ac mea quidem sententia (frequens enim te audivi, atque affui) multo maiorem partem sententiarum sale tuo, et lepore et politissimis facetiis pellexisti, quum et illud nimium acumen illuderes, et admirarere ingenium Scaevolae, qui excogitasset, nasci prius oportere, quam emori; quumque multa colligeres, et ex legibus et ex senatusconsultis, et ex vita ac sermone communi, non modo acute, sed etiam ridicule ac facete; ubi, si verba, non rem sequeremur, confici nil posset. Itaque hilaritatis plenum iudicium ac laetitiae fuit; in quo quid tibi iuris civilis exercitatio profuerit, non intelligo; dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate coniuncta profuit. Ipse ille Mucius paterni iuris defensor, et quasi patrimonii propugnator sui, quid in illa causa, quum contra te diceret, attulit, quod de iure civili depromptum videretur? quam legem recitavit? quid patefecit dicendo, quod fuisset imperitis occultius? Nempe eius omnis oratio versata est in eo, ut scriptum plurimum valere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes, quum in eiusmodi causis alias scriptum, alias aequitatem defendere docentur. Et credo in illa militis causa, si tu aut heredem, aut militem defenderes, ad Hostilianas te actiones, non ad tuam vim et orato-

debatur *Scaevolae*, sine dubio fluxit e notatione Grammatici; nam Scaevola intelligitur quidem; nominari eum nihil erat opus; quod iam Heusingerus intellexit.

* *In illa militis causa*) De qua dictum superius. Pater filium, qui erat in exercitu, obiisse falso audivit; alium instituit heredem: rediit miles: egit lege in paternam hereditatem. Pryst.

* *Hostilianas actiones*) Quis Hostilius iste sit, ambigitur. Pomponius inter iurisperitos non recensuit. Actiones Hostilianas interpretantur nonnulli praescriptas Hostilia lege, quae anno V. C. 583 lata est de furtis: ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes essent etc. Idem.

Et oratoriam facultatem) Retius Guelf. B, C, repetita, ut fit, praepositione, *et ad oratoriam facultatem*.

riam facultatem contulisses. Tu vero, vel si testamentum defenderes, sic ageres, ut omne omnium testamentorum ius in eo iudicio positum videretur; vel si causam ageres militis, patrem eius, ut soles, dicendo a mortuis excitasses; statuisses ante oculos; complexus esset filium, flensque eum centumviris commendasset; lapides mehercule omnes flere ac lamentari coëgisses, ut totum illud, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, non in XII tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.

58. Nam quod *inertiam* accusas adolescentium, qui istam artem, *primum* facillimam, non ediscant; quae quam sit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia,

Complexus esset filium, flensque eum centumviris commendasset) Frustra Ernesti, quia haec non bene convenirent parenti per figuram inducto, legendum opinabatur: *complexus esses — commendasses*. Itaque ei se assentiri negavit Wyttenbachius Bibl. crit. Vol. I, P. I, p. 27: « Nam in eiusmodi, inquit, excitationibus mortuorum, vel repraesentationibus absentium, ipsi quasi agentes inducuntur. Ita v. c. pro Coelio cap. 14, quum Claudiam exagitans, Appium Claudium Caecum inducit: *Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimum Caecus ille; minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit; qui profecto, si exstiterit, sic aget, et sic loquetur*: Mulier, quid tibi cum Coelio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? — Et similiter aliquoties constituendis ante iudicum ora reorum filiis fletum atque misericordiam excitare conatus est Tullius, v. c. pro L. Facco c. 40, 41, et pro P. Sylla c. 32. »

Coëgisses) Hic secunda persona aptior est, quam vulg. *coëgisset*; redit enim oratio ad id, quod Crassus fecerit, *statuisses — coëgisses*.

* *Vti lingua nuncupasset*) Haec erant concepta verba duodecim tabularum: *Vti lingua nuncupasset, ita ius esto*. Cuius formulae, et carminis ea sententia est, in dicendo iure ac statuendo habendam esse verborum et scripti rationem, et ita iudicandum, verbi gratia, de pactione, stipulatione, venditione, uti ea pactio et venditio verbis concepta fuerit, seu uti lingua vendentium et contrahentium nuncupaverit, seu pronuntiaverit. PRVST.

* *In magistri carmine*) In antiquis quibusdam edd. legebatur *in magico carmine*, in quo interpretando operam lusit Strebaeus. *In magistri carmine* est in formula libri cuiusdam rhetorici a magistro conscripti, vel in eius forte dictatis, quae quum nullam haberent in foro auctoritatem, opponuntur XII tabulis, quorum esset vis et auctoritas legitima.

Quae quam sit facilis — futuram) Haec verba faciunt apodosin protaseos: *nam quod inertiam accusas*; ut

quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant; deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando, si quis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere possit, tum esse illam artem futuram; *deinde*, quae sit plena delectationis; in quo tibi remittunt omnes istam voluptatem, et ea se carere patiuntur; nec quisquam est eorum, qui, si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere. *Tum* autem, quod amore patriae censes nos nostrorum maiorum inventa nosse debere; non vides, veteres leges aut ipsa vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas? *Quod* vero viros bonos iure civili fieri putas, quia legibus et praemia proposita sint virtutibus et supplicia vitiis: equidem putabam, virtutem hominibus (si modo tradi ratione possit), instituendo et persuadendo, non minis et vi ac metu tradi. Nam ipsum quidem illud,

illa paulo post *in quo tibi remittunt — ediscere*; sed ob pronomen relativum *quae — in quo* induunt speciem quandam ἀνακολουθίας

Deinde, quae sit plena delectationis) Ita rescripsi, Ernestio quoque auctore, pro vulg. *quod sit plena delectationis*; nam quum haec verba referantur ad illa, *qui istam artem primum facillimam non ediscant*, necessario sequi debet *deinde quae*. Nam *primum facillimam* brevius dictum est, pro: *primum quae sit facillima.*

In quo) Sic idem Ernesti rescribendum esse vidit, pro vulg. *in qua*. Et sic Guelf. C.

Aut ipsa vetustate consenuisse) Vulg. *aut ipsa sua vetustate*, quod est in MSS. Erl. Guelf. B, C, et multis Pearcii codd. in quo *sua*, ut moleste redundans, delevi. Quod olim edebatur *ipsas sua vetustate*, id sic defendi posse Ernesti arbitrabatur, ut *ipsas* significet *sua sponte*. At quis ita loquatur: *sua sponte consenescere* —?

* *Si modo tradi ratione*) Magna olim inter Philosophos quaestio, an essent virtutes a natura insitae. Socrates in Memnone apud Platonem ait, non parari industria, sed divinitus dari: censet Galenus corporis constitutioni mores hominum esse consentaneos: rectius Peripatetici docent, animis inesse virtutum semina, quae pro cuiusque studio fructus ferre possint. PAVST.

* *Non minis et vi*) Scil. ut ait Horat. *Oderunt peccare boni virtutis amore: Oderunt peccare mali formidine poenae.* ID.

etiam sine cognitione iuris, quam sit bellum, cavere malum, scire possumus. De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut sine ulla iuris scientia tamen causis satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo, neque me unquam ius civile didicisse, neque tamen in iis causis, quas in iure possem defendere, unquam istam scientiam desiderasse. Aliud est enim esse artificem cuiusdam generis atque artis, aliud in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebetem, nec rudem. Cui nostrum nunc licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis invisere? Tamen nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut, quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino nesciat. Num igitur, si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico sit, Magonis Carthaginiensis sunt libri perdiscendi? an hac

In iure) Id est, ut recte interpretatur Ernesti, *apud tribunal praetoris.*

* *Cui nostrum nunc licet fundos nostros obire et res rusticas invisere?*) Vulgo: *Cui nostrum non licet* —. At enim hoc abhorret a veritate, neque respondet particulae *tamen*, quae proxime sequitur. Itaque pro *non* edidi *nunc.* Vt enim tum tempora erant Romae, clarissimis viris in tanta occupatione, etsi licebat quidem interdum in villas concedere, tamen non licebat fundos obire et res rusticas invisere, quia ipsos illos dies, quos in villis transigebant, studiis potius literarum, aut otio et voluptati, quam rebus rusticis impendebant. Columella in praefatione operis de re rustica, *nunc Romanos ipsos praedia sua colere dedignari* queritur; et lib. I, c. 1 idcirco suburbana praedia commendat, quoniam plerosque civilis ambitio saepe evocet ac saepius delineat evocatos.

* *Sementis*) Differt a semine: est enim ipsa seminandi actio. Sementem facere, est seminare. Pavst.

* *Si cui fundus inspiciendus*) Scilicet differunt *fundos obire*, et *fundum inspicere.* Illud est patrisfamilias rem rusticam curantis; hoc vel arbitri, vel advocati, vel iudicis, exortis forte de finibus fundorum aut alia eiusmodi de causa inter vicinos controversiis.

* *Magonis*) Mago Carthaginensis scripsit Punice libros octo et viginti de re rustica, quos ex senatusconsulto Cassius Dionysius Vticensis convertit. (*Varro lib. I, de re rustica c. 1*, et *Columella*, qui eundem rusticationis parentem appellat). Pavst.

communi intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non iidem in iure civili, praesertim quum in causis et in negotiis et in foro conteramur, satis instructi esse possumus ad hoc dumtaxat, ne in nostra patria peregrini atque advenae esse videamur? Ac si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile, credo, sit, cum hoc Scaevola communicare; quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. An vero, si de re ipsa, si de finibus, quum in rem praesentem non venimus, si de tabulis et perscriptionibus controversia est, contortas res et saepe difficiles necessario perdiscimus: si leges nobis, aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt, veremur, ne ea, si ab adolescentia iuri civili minus studuerimus, non queamus cognoscere?

59. Nihilne igitur prodest oratori iuris civilis scientia? Non possum negare prodesse ullam scientiam, ei praesertim, cuius eloquentia copia rerum debeat esse ornata: sed multa et magna et difficilia sunt ea, quae sunt oratori necessaria, ut eius industriam in plura

* *Quum in rem praesentem non venimus*) Ernesti quaerit, cur addita sit negatio. Quum enim de finibus lis esset, necessario fuisse in rem praesentem veniendum. Concedo arbitris aut iudicibus. Advocati autem et oratores, si forte negotiis impediti essent, quo minus in rem praesentem venirent, poterant ex litigantium narratione, quae de finibus agrorum scitu necessaria essent, discere. Praeterea ne praetores quidem, quum de finibus litigarent homines, semper in rem praesentem venire potuerunt, quod iam Strebaeus monuit, ususque est loco Gellii Noct. Att. lib. XX, c. 10.

* *De tabulis*) Tabulae sunt chartae, scripta, instrumenta litis: et quidem hic privatae tabulae intelliguntur; publicae enim tabulae sunt libri, et literae, quae publicam memoriam continent. Pvst.

Perscriptionibus) Hanc lectionem complurium edd. vett. item codd. apud Pearcium, quibus accedunt Guelf. B, C, bene defendit Ernesti. Agitur enim de perscriptionibus in re pecuniaria. Ante Lambinum, qui primus hic verum vidit, edebatur *praescriptionibus*.

* *In plura studia*) Tam multa sunt, tamque difficilia, quae sunt oratori necessaria, ut nolim cum iis

studia distrahere nolim. Quis neget, opus esse oratori, in hoc oratorio motu statuque, Roscii gestum et venustatem? Tamen nemo suaserit studiosis dicendi adolescentibus, in gestu discendo histrionum more elaborare. Quid est oratori tam necessarium, quam vox? Tamen, me auctore, nemo dicendi studiosus, Graecorum more sophistarum et tragoedorum, voci serviet, qui et annos complures sedentes declamitant, et quotidie, antequam pronuntient, vocem cubantes sensim excitant, eandemque, quum egerunt, sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt, et quasi quodam modo colligunt. Hoc nos si facere velimus, ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam toties, quoties perscribitur, paeanem, aut nomium citarimus. Quod si in gestu, qui multum oratorem adiuvat, et in voce, quae una maxime eloquentiam vel commendat, vel sustinet, elaborare nobis non licet; ac tantum in utroque assequi possumus, quantum, in hac

omnibus omnino cognoscendis operam dare, ne tot rebus cognoscendis distractus non satis habeat otii ad artem suam plane percipiendam. Pr.

Quis neget opus esse (h. e. *utilem esse*) *oratori in hoc oratorio motu statuque Roscii gestum et venustatem*) In Guelf. B omittitur *statuque*; quod non vereor ne cui placeat. Nam quum alibi Cicero *motum* et *statum* coniungit, tum praesertim Orat. c. 18 de oratoris *motu* et *statu* praecipit. Hoc autem loco ad *motum* oratoris refertur Roscii gestus, ad *statum*, huius venustas.

Graecorum more sophistarum et tragoedorum) Haec est lectio edit. Lips. quam Ernesti etsi non recepit, tamen haud improbavit. Vulg. *Graecorum more et tragoedorum.*

Vocem cubantes sensim excitant) Conf. Senecae Rhet. prooem. Contr. lib. I.

Quoties perscribitur) Manut. Streb. Lambin. *quoties praescribitur;* intelliguntque de praeceptis rhetoricis, quibus tamen propter adiectum *toties quoties* non est locus. Nam requiritur verbum, quod ad iudicia pertineat. Sed quid sit h. l. *perscribitur*, difficile est dicere. Fuerunt, qui interpretarentur *dies reo dicitur.* Hoc autem sensu malim legere *dies prodicitur.* Sic enim loquebantur.

Paeanem aut nomium citarimus) In libris scriptis et edd. monstrum verbi ostenditur *aut munionem*. Quod quum varie corrigere tentarint viri docti, primum eos dimittimus, qui h. l. pedes metricos intellexerunt.

acie quotidiani muneris, spatii nobis datur: quanto minus est ad iuris civilis perdiscendi occupationem descendendum? quod et summatim percipi sine doctrina potest, et hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem, quod vox et gestus subito sumi, et aliunde arripi non potest; iuris utilitas ad quamque causam quamvis repente vel a peritis, vel de libris depromi potest. Itaque illi disertissimi homines ministros habent in causis iuris peritos, quum ipsi sint imperitissimi, et qui, ut abs te paulo ante dictum est, *pragmatici* vocantur. In quo nostri omnino melius multo, quod clarissimorum hominum auctoritate leges et iura tecta esse voluerunt. Sed tamen non fugisset hoc graecos homines, si ita necesse esse arbitrati essent, oratorem ipsum erudire in iure civili, non ei pragmaticum adiutorem dare.

60. Nam quod dicis senectutem a solitudine vindicari iuris civilis scientia, fortasse etiam pecuniae magnitudine. Sed nos, non quid nobis utile, verum quid oratori necessarium sit, quaerimus. Quamquam, quo-

Imo *paean* est hymnus Apollini dictus, cui respondere debet alterum vocabulum. Itaque nihil melius occurrit, quam *nomius*, quod item carminis aut cantilenae genus fuisse discimus ex Athenaei deipnos. lib. XIV. Nempe illi tragoedi voci servientes, saepe cantabant Paeanem quendam, aut Nomium; in quo ab acutissimo sono usque ad gravissimam vocem recipiebant. Pro *cantare* h. l. dicitur *citare*, prorsus ut apud Horatium de Tigellio: *Si collibuisset ab ovo Usque ad mala citaret: Io Bacche, modo summa Voce, modo hac resonat quae chordis quattuor ima.*

Aliunde) Guelf. B, C, *alicunde*; male. Lib. II, c. 9 extr. orator dicitur, nisi domesticis se instruxerit copiis, *aliunde* dicendi copiam petere non posse.

Itaque illi disertissimi homines) Malim *Itaque Graeci illi, disertissimi homines*. Opponitur enim: *In quo nostri*, scil. Romani, *melius*.

Quum ipsi sint imperitissimi) Necessarium hoc est, quod Lambinus edidit. Nam quod antea legebatur *peritissimi*, id sensui, qui h. l. requiritur, prorsus repugnat.

* *In quo* etc.) Consultius faciunt Romani Graecis: illi enim iurisperitos volunt esse homines amplissimos, et clarissimos, quum apud Graecos fere sint homines despicatissimi, qui adducti mercedula se oratoribus administros praebent. PAUT.

niam multa ad oratoris similitudinem ab uno artifice sumimus, solet idem Roscius dicere, se, quo plus sibi aetatis accederet, eo tardiores tibicinis modos, et cantus remissiores esse facturum. Quod si ille, adstrictus certa quadam numerorum moderatione et pedum, tamen aliquid ad requiem senectutis excogitat, quanto facilius nos non laxare modos, sed totos mutare possumus? Neque enim hoc te, Crasse, fallit, quam multa sint, et quam varia genera dicendi; id quod haud sciam, an tu primus ostenderis, qui iamdiu multo dicis remissius et lenius, quam solebas; neque minus haec tamen tua gravissimi sermonis lenitas, quam illa summa vis et contentio probabatur; multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus, et Laelium, qui omnia sermone conficerent paulo intentiore, nunquam, ut Servius Galba, lateribus, aut clamore contenderent. Quod si iam hoc facere non poteris, aut noles, vereris, ne tua domus, talis et viris et civis, si a litigiosis hominibus non colatur, a ceteris deseratur? Equidem tantum absum ab ista sententia, ut non modo non arbitrer

* *Solet idem Roscius*) Probare contendit oratorem iuris civilis imperitum, quamquam sit senex, non ideo deserendum, et solitudine laboraturum esse. Causas enim aget orator senex, sed remissius tamen, et lenius; ut Roscius iam senior agebat fabulas moderatius, et minori contentione. Idem.

* *Tardiores tibicinis*) Solebant histriones, quum dicerent, vel agerent, adhibere tibicinem, ad cuius modos vocem gestumque accommodarent. Itaque Roscius dicebat se, quum senior foret, ac proinde lentius caneret, ac remissius ageret, adhibiturum quoque tibicinem lentiorem, qui modos tardiores faceret. Idem.

* *Excogitat*) Nempe ut remissiorem tibicinem sibi apponat, ne senilis vox laboret. Idem.

Id quod haud sciam) Vulg. *et quod haud sciam*, in quo recte Lambinus copulam delebat. Sed tamen aptius est *id quod*, ut Heusingero visum.

Probabatur) Sic Guelf. B, C exquisitius, quam, ut vulgo, *probatur*. Est enim forma elliptica, q. d. *neque minus haec tamen tua gravissimi sermonis lenitas* nunc probatur, *quam* olim *illa summa vis et contentio probabatur*.

Audimus) Guelf. C, *audivimus*.

subsidium senectutis in eorum, qui consultum veniant, multitudine esse ponendum, sed, tanquam portum aliquem, exspectem istam, quam tu times, solitudinem. Subsidium enim bellissimum existimo esse senectuti otium.

Reliqua vero etiamsi adiuvant (historiam dico, et prudentiam iuris publici, et antiquitatis iter, et exemplorum copiam), si quando opus erit, a viro optimo et istis rebus instructissimo, familiari meo, Longino mutuabor. Neque repugnabo, quo minus (id quod modo hortatus es) omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio, atque humanitate versentur: sed mehercule non ita multum spatii mihi habere videntur, si modo ea facere, et persequi volent, quae a te, Crasse, praecepta sunt; qui mihi prope etiam nimis duras leges imponere visus es huic aetati; sed tamen ad id, quod cupiunt, adipiscendum prope necessarias. Nam et subitae ad propositas causas exercitationes, et accuratae et meditatae commentationes, ac stilus ille tuus,

Antiquitatis iter et exemplorum copiam) Gesnerus conj. *et antiquitatis item, e. e. c.*, quod valde friget. Porgoldus: *antiquitatis literas e. e. c.*, certe aptius. Verumtamen nisi velis *antiquitatis iter* de ordine antiquorum institutorum intelligere, commodissimum fuerit rescribere *et antiquitatis exemplorum copiam*. Sic tria illa h. l. παρενθέτως dicta (*historiam dico et prudentiam iuris publici et antiquitatis exemplorum copiam*) ex asse responderent tribus illis supra a Crasso c. 46 memoratis, quum diceret: *Iam vero illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimem publica quoque iura, quae sunt propria civitatis atque imperii, tum monumenta rerum gestarum, et vetustatis exempla oratori nota esse debere.* Alibi tamen *antiquitatem et exemplorum vim* separatim posuit, c. 5. Ergo lectionem *et antiquitatis iter* nondum audeo damnare.

Non ita multum spatii mihi habere videntur) Restitui lectionem edd., Waldarf. it. ed. sine loco et anno, quae h. l. clarior et concinnior est quam vulgata: *non ita multum spatii mihi videtur*. Ceterum *videntur* omisso *habere* Guelf. B, C.

Si modo ea facere persequi volent) Malim *si modo illa f. e. p. v.*, ut clarius eluceat, haec ad sequentia: *Nam et subitae* etc. referri. Idem autem efficeretur, si scriptum esset: *si modo cetera facere et persequi volent, quae a te, Crasse, praecepta sunt.*

quem tu vere dixisti perfectorem dicendi esse ac magistrum, multi sudoris est, et illa orationis suae cum scriptis alienis comparatio, et de alieno scripto subita, vel laudandi, vel vituperandi, vel comprobandi, vel refellendi causa disputatio, non mediocris contentionis est, vel ad memoriam, vel ad imitandum. Illud vero fuit horribile, quod mehercule vereor, ne maiorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum. Voluisti enim in suo genere unumquemque nostrum quasi quendam esse Roscium; dixistique, non tam ea, quae recta essent, probari, quam quae prava fastidiis adhaerescere. Quod ego non tam fastidiose in nobis, quam in histrionibus, spectari puto. Itaque nos raucos saepe attentissime audiri video; tenet enim res ipsa atque causa; at Aesopum, si paulum irrauserit, explodi. A quibus enim nihil praeter voluptatem aurium quaeritur, in iis offenditur, simul atque imminuitur aliquid de voluptate. In eloquentia autem multa sunt, quae teneant, quae si omnia summa non sunt, et ple-

Quam quae prava) Quod vulgo adiiciebatur *sunt*, id nec modo nec tempore praecedentibus *quae recta essent* consentire, Ernesti bene monuit. Respicit autem Antonius ea, quae Crassus dixerat c. 27.

* *Æsopum*) Histrionem longe celeberrimum, cuius filius, furiosae luxuriae iuvenis, cantu commendabiles aviculas, immanibus emptas pretiis, in coena pro ficedulis apponere, acetoque liquatos magnae summae uniones potionibus aspergere solitus erat. (*Valer. Max, lib.* IX, *cap.* 1, *Plinius lib.* X) Pavst.

Irrauserit) Victor, *irraucuerit*; et hoc Priscianus in codice suo se legisse testatur lib. X.

A quibus enim nihil praeter voluptatem aurium quaeritur) Iam olim professus sum suspectum mihi esse *aurium*. Quid enim? Num histriones solum aures oblectabant? Nonne etiam oculorum voluptas erat e gestu? Vtrumque Cicero coniungit Paradox, III; *Histrio si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior exsibilatur et exploditur.* Fieri tamen potest ut Cicero ipse Aesopum h. l. tantum ut cantorem in scena, non ut gesticulatorem animo informaverit.

Quae si omnia summa non sunt, et pleraque tamen magna sunt) Inepte verba: *et pleraque tamen magna sunt*, parentheseos signis includebantur, quasi non penderent a coniunctione *si* inter *quae* et *omnia*.

raque tamen magna sunt, necesse est, ea ipsa, quae sunt, mirabilia videri.

61. Ergo, ut ad primum illud revertar, sit orator nobis is, qui, ut Crassus descripsit, accommodate ad persuadendum possit dicere. Is autem concludatur in ea, quae sunt in usu civitatum vulgari ac forensi: remotisque ceteris studiis, quamvis ea sint ampla atque praeclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur; imiteturque illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superaret; quumque ita balbus esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius esse loquutus putaretur: deinde quum spiritus eius esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assequutus, ut una continuatione verborum (id quod eius scripta declarant) binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur. Qui etiam (ut memoriae proditum est) coniectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat; neque is consistens in loco, sed inambulans, atque adscensu ingrediens arduo. Hisce ego cohortationibus, Crasse, ad studium et ad laborem incitandos iuvenes vehementer assentior: cetera, quae collegisti ex variis et diversis studiis et

Quamvis ea sint) Ernesti Pearcium sequutus ex edd. vett. restituit coniunctivum. Alii *sunt*.

Vt nemo planius esse loquutus putaretur) Sic Guelf. B, C. Vulg. *ut nemo planius eo loquutus putaretur*.

* *Vna continuatione verborum*) Periodum videtur intelligere, cuius verba omnia continua, partes omnes aptae ex se se invicem, et colligatae sunt. Demosthenes igitur in una eademque periodo bis vocem contendebat, bis remittebat: contendebat in prioribus periodi membris, remittebat in posterioribus, idque uno spiritu, et perpetua pronuntiatione, faciebat: unde illum oportuit esse amplo, et prolixo spiritu, cuius tamen spiritus antea erat angustior. Pavsz.

artibus, tametsi ipse es omnia consequutus, tamen ab oratoris proprio officio atque munere seiuncta esse arbitror.

62. Haec quum Antonius dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius et Cotta, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. Tum Crassus: Operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis, atque haud scio, an aliter sentias, et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo unquam praestitit; cuius quidem ipsius facultatis exercitatio oratorum propria est, sed iam in philosophorum consuetudine versatur, maximeque eorum, qui de omni re proposita in utramque partem solent copiosissime dicere. Verum ego non talem arbitrabar, his praesertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis, neque quidquam amplius afferret, quam quod causarum necessitas postularet: sed maius quiddam videbam, quum censebam oratorem, praesertim in nostra republica, nullius ornamenti expertem esse oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdedisti, hoc facilius nobis expones ea, quae abs te de officiis praeceptisque oratoris quaesita sunt: sed opinor, secundum hunc diem. Satis enim multa a nobis hodie dicta sunt. Nunc et Scaevola, quoniam in Tusculanum ire constituit, paulum requiescet, dum se calor frangat; et nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam. Placuit sic omnibus.

Non talem arbitrabar — a me informari posse, qualis) Vulg. *non solum arbitrabar*. Emendationem nostram firmat Orat. c. 2: « atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuerit. »

Oratoris) Guelf. B, C, *oratoriis*, forsan rectius. Idque Pearcius aliis locis confirmavit Top. c. 25, Inv. I, 10.

* *Nunc et Scaevola*) Cur in his dialogis non perstet Scaevola, caussam affert ipse Tullius lib. IV ad Atticum, Epist. 16. Quem locum Schütz. V. C. exscripsit in Prolegomenis ad

Tum Scaevola, Sane, inquit, vellem non constituissem, in Tusculanum me hodie venturum esse, Laelio. Libenter audirem Antonium. Et, quum exsurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod ius nostrum civile pervellit, quam iucundus, quod se id nescire confessus est.

hosce libros de Oratore, pag. 11. Ed. Tavr.

Sane, inquit, vellem non constituissem, in Tusculanum me hodie venturum esse, Laelio) Lipsio brevior enuntiatio placuit: *vellem non constituissem in Tusculanum hodie Laelio.*

M. TVLLII
CICERONIS
DE ORATORE.

LIBER SECVNDVS

SVMMARIVM

In prooemio Cicero refutat eorum opinionem, qui L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima puerili institutione potuisset, M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse putabant, cap. 1–2.

Sequitur dialogus postero die, quam erant illa, quae primo libro referuntur, acta, habitus; cui interfuerunt Q. Catulus et C. I. Caesar, qui Scaevolae narratione de hesterni diei disputatione excitati Crassum convenerant. Qui quum novum disserendi laborem excusatione, quod nollet esse ineptus, defugere voluisset, repugnat ei Catulus, dicitque nec locum non idoneum, nec tempus inopportunum, nec homines ab hac disputatione alienos esse. Sed ille se haec omnia longe aliter interpretari significat. Caesar hanc ipsam recusationem disputationis sibi disputationem periucundam esse visam affirmat, invitatque Antonium, ut partes suas de tota eloquentia disserendi peragat, quod Crassus negat se concessurum, nisi se hodie hic apud eum futuros Catulus et Caesar promittant. Catulus pro utroque promittit, cap. 3–6.

Tum Antonius eloquentiam rem facultate praeclaram, arte mediocrem esse, cap. 7; *posse tamen quaedam praecepta dari,*

cap. 8; *nihil autem perfecto oratore praeclarius esse*, cap. 9, *docet. His eloquentiae laudibus quum essent Catulus et Crassus valde delectati*, cap. 10, *pergit Antonius de officio ac munere oratoris disserere, negatque omnia, quae cadant aliquando in oratorem, propriis esse praeceptis instruenda. Nam praeter genus iudiciale et deliberativum esse etiam oratorum interdum laudationes, testimonia, mandatorum expositionem, obiurgationes, cohortationes, consolationes, quae omnia singularia praecepta non desiderent*, cap. 11-12. *Magnum quoque oratoris munus esse historiam scribere, de qua tamen nulla praecepta in artibus rhetorum reperiantur*, cap. 13-15. *Omnino autem, qui illam vim adeptus sit, ut auditorum mentes in genere iudiciali ac deliberativo ad suum arbitrium movere possit, non multum de toto genere reliquarum orationum quid dicat quaesiturum esse*, cap. 16. *Ceterarum enim rerum orationem ludum esse homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum et politioris humanitatis experti; eloquentiam autem, quae in causarum contentionibus versetur, omnium operum maximum esse*, cap. 17. *Catulus magnam sibi exspectationem commotam esse ostendit, quibusnam rationibus, quibusve praeceptis illa tanta vis eloquentiae comparetur; in quo tamen non pervulgata graeci alicuius doctoris praecepta desideret*, cap. 18. *Antonius igitur, summis doctrinae Graecorum rhetoricae capitibus breviter percursis*, cap. 19, *ipse suam oratorem instituendi rationem exponit. In quo primum videndum esse docet, quid quisque efficere possit*, cap. 20; *deinde demonstrandum, quem imitetur, monendumque, ut in eo, quem probaverit, quae maxime excellant, persequatur*, cap. 21-22. *Quod enim singulae aetates singula prope genera dicendi extulerint, id accidere non potuisse, nisi singulis aetatibus oratores aliquem sibi proponerent ad imitandum. Esse tamen etiam multos, qui neminem imitentur, sed suapte natura, quod velint, assequantur*, cap. 23. *Porro praecipit Antonius, ut orator, quascunque sit causas acturus, eas diligenter penitusque cognoscat*, cap. 24; *deinde, ut causam ambigendi intelligat*, cap. 25-26. *Tum esse de probanda rerum, quae defendantur, veritate, de conciliandis et permovendis iudicum animis cogitandum. De probatione agitur* cap. 27-41; *de ratione auditorum animos sibi conciliandi*, cap. 42-43; *denique de permotionibus animorum conciendis*, cap. 44-53. *Et quum saepe ad movendos*

auditorum animos utilis sit iocus et facetiae, hunc locum omnem Caesari pertractandum committit; qui postquam duo esse genera facetiarum docuit, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, cap. 54; *deinde, interiectis Crassi laudibus, quod multas saepe orationes lepore et festivitate condierit*, cap. 55, *rogatus a ceteris*, cap. 56-57, *uberius de toto genere iocandi disserit. Ac primum quid sit risus, deinde unde sit, tum sitne oratoris risum movere, tum quatenus ridicula sint ei tractanda, breviter docet*, cap. 58. *Fusius autem genera facetiarum exponit. Primum ostendit, duo esse earum genera, quorum alterum re tractetur, alterum verbo*, cap. 59-60. *Tum vero postquam observavit, ex iisdem locis, unde ridicula ducantur, etiam graves sententias posse duci*, cap. 61, *et quaedam genera ridiculi non esse digna oratoris persona*, cap. 62, *primum agit de facetiis in verbo positis*, cap. 63-65, *deinde de iis, quae sint in rebus et sententiis*, cap. 66-71.

Iam disputatio redit ad Antonium, qui primum ostendit exemplo suo, magnum esse oratoris officium videre, quid quaeque causa boni, quid mali habeat, et multo magis elaborandum, ne quid obsit causae, quam ut prosit, cap. 72-75.

Sequitur locus de ordine et collocatione argumentorum, cap. 76; *de exordio*, cap. 78 sq.; *de narratione*, cap. 80; *de confirmatione et conclusione*, cap. 81.

Hactenus Antonius omnia praecepta ad genus potissimum iudiciale retulerat. Iam breviter addit ea, quae de genere deliberativo s. de suasionibus, cap. 82-83, *et de laudationibus s. genere demonstrativo tradenda erant*, cap. 84-85.

Sic absolutis praeceptis de inveniendis ac disponendis rebus, adiungit locum de memoria, cap. 86-88, *et cum gratiarum actione laudatus a Catulo humaniter Crassum invitat, ut locum de elocutione, qui unus restabat, ipse explicet, qui aliquantum tergiversatus tandem amicorum precibus cedit, et se post meridiem, quae vellent, expositurum pollicetur*, cap. 89-90.

1. Magna nobis pueris, Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione

potuisset; M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse: erantque multi, qui, quamquam non ita se rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio dicendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent, ut, si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consequuti, inanis omnis noster esse labor, et stultum in nobis erudiendis, patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. Quos tum, ut pueri, refutare domesticis testibus, patre, et C. Aculeone, propinquo nostro, et L. Cicerone, patruo, solebamus, quod de Crasso pater, et Aculeo (quocum erat nostra matertera), quem Crassus dilexit ex om-

Qui quamquam non ita se rem habere arbitrarentur) Negationem restituit Pearcius e MSS. et Ernesti ex edd. vett. et MS. Erl., quae necessario etiam sine libris erat inserenda. Camerar. *q. q. ita se rem non habere arbitrarentur*. Ernesti autem sese minus bene revocavit pro *se*. Nam in formula *res ita se habet* nunquam poni *sese* Heusingerus observavit.

Inanis omnis noster esse labor) Guelf. B omittit *esse*.

* *Patris nostri*) M. Tullius Ciceronis pater, stirpe Tullia antiquissima ortus, quum esset infirma valetudine, in Arpinati villa fere aetatem egit in literis (*Cicero lib. II de Legibus*). Eum ex regio Volscorum genere editum in Eusebii Chronico legitur. Contra fulloniam fecisse, et vitibus oleisque colendis dedisse operam, tradit Q. Calenus in oratione maledica apud Dionem lib. XLVI. Cum alibi scribit Cicero se novum hominem, sine ulla maiorum commendatione, tum oratione II contra Rullum: *Mihi quidem apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur; non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos disciplinisque institutos videtis, sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt*. PAVST.

Quocum erat nostra matertera) Ernesti haec verba retrahenda censuit, et post superiorem Aculeonis mentionem in verbis: *et C. Aculeone propinquo nostro* collocanda. Non assentior. Nam primum esset pleonasmus inutilis, *propinquo nostro, quocum erat nostra matertera*; per se enim intelligitur, materterae nostrae maritum esse propinquum nostrum. Vt autem antea se excipiunt *pater*, et C. Aculeo *propinquus*, et L. Cicero *patruus*, sic recte in repetitione deinceps ponuntur *pater*, et *C. Aculeo quocum erat nostra matertera*, et *patruus*.

* *Quocum erat nostra matertera*) Qui matris nostrae sororem habebat in matrimonio. PAVST.

nibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de eius studio doctrinaque saepe narravit: quumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, quae Crasso placerent, et ab his doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud saepe intelleximus (quum esset eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus), illum et graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percontando, eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur. De Antonio vero, quamquam saepe ex humanissimo homine, patruo nostro, acceperamus, quemadmodum ille vel Athenis, vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset: tamen ipse adolescentulus, quantum illius aetatis meae patiebatur pudor, multa ex eo saepe quaesivi. Non erit profecto tibi,

* *Decesserat*) Id est, itineri se commiserat; non autem, ut quidam interpretantur, mortuus fuerat. Cicero enim ille patruus, in patriam redux, narrabat, quemadmodum Antonius Athenis et Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset. IDEM.

Narravit) Ernesti vel *narrabat*, vel *narraverat* reponendum censet. Si quid mutandum sit, hoc praetulerim.

* *Consobrinis*) Consobrini sunt propria qui ex duabus sororibus nascuntur, quasi consororini (*Caius*). Qui vero e duobus fratribus geniti sunt, proprie patrueles vocantur. PA.

Quum esset eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus) Male Gulielmus legi volebat *quum essemus eius domi*. Nam Cicerones pueri non in Crassi domo educabantur. Vulgatam lectionem *quum essemus eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus*, totam delendam censuerat Lambinus, nimis ambitiose. Sed certissimum est: *quum esset eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus*, sicut in orat. pro leg. Manilia c. 2: *Genus belli est eiusmodi, quod maxime vestros animos excitare debeat*; nisi quod fortasse *possemus* legendum sit.

Dedisset) Guelf. B, C, *dedidisset*.

Quantum illius aetatis meae patiebatur pudor) Vulgo *illius ineuntis aetatis meae*. Sed quum praecedat *adolescentulus*, delendum censui *ineuntis*, quod male redundat, et glossam sapit.

Non erit pr. tibi, quod scribo, hoc novum) Malim: *non erit pr. tibi hoc, quod scribo, novum*. Lambino placebat: *non erit pr. tibi quod scribo novum, nam hoc iam* etc.

quod scribo, hoc novum (nam iam tum ex me audiebas), mihi illum ex multis, variisque sermonibus, nullius rei, quae quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare possem, rudem aut ignarum esse visum. Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre: Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur: atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur.

2. Quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus. Illud autem est huius institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia, florere unquam et praestare potuisse. Etenim ceterae fere artes se ipsae per se tuentur singulae: bene dicere autem, quod est scienter et partite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis septa teneatur. Omnia, quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiae nomen relinquendum est. Quare equidem et in nostra civi-

Probabiliorem hoc populo) Pearcius correxit *huic populo*, et plane sic est c. 36 huius libri: *semper ego existimavi iucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore*. Ferri tamen potest *hoc populo*, nempe ut significetur, quum populum hunc talem habeamus, id quod recte vidit Ernesti. Et sic Guelf. B, C.

Quod est scienter et partite et ornate dicere) Vulgo *scienter et perite e. o. d.* inficeta tautologia. Immo corrigendum fuit *partite*, quo verbo utitur Orat. c. 28. Similis est locutio I, 15: *prudenter et composite et ornate dicere*. Quod Wolfio in mentem venerat, *proprie*, id est ab hoc loco alienum.

Cuius terminis septa teneatur) Ex ratione grammatica deberet esse *septum*; quod Lambinus et Pearcius probaverunt. Sed enim Ernesti vulgatum *septa*, quod habent etiam Guelf. B, C, sic defendit, ut e superioribus repetatur *ars ea*.

tate, et in ipsa Graecia, quae semper haec summa duxit, multos et ingeniis et magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse, fateor: talem vero existere eloquentiam, qualis fuit in Crasso et Antonio, non cognitis rebus omnibus, quae ad tantam prudentiam pertinerent, tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuit, non potuisse confirmo. Quo etiam feci libentius, ut eum sermonem, quem illi quondam inter se de his rebus habuissent, mandarem literis: vel ut illa opinio, quae semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse; vel ut ea, quae existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem literis, si ullo modo assequi complectique potuissem; vel mehercule etiam ut laudem eorum, iam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum: sed quum alter non multum, quod quidem exstaret, et id ipsum adolescens, alter nihil

Multos et ingeniis, et magna laude dicendi — fuisse) Epitheto caret *ingeniis*, ut *illustribus* vel *eximiis*; nisi forte *magnis* intelligendum est ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ex eo quod sequitur *magna laude*.

Qualis fuit) Sic. MS. Erl. recte. Vulg. *qualis fuerit*, quod exhibent etiam Guelf. B, C.

Quae ad tantam prudentiam pertinerent) Guelf, B, C, ut edd. Iunt. Ald. aliae, *quae in tantam prudentiam pertinerent*, quod probare mihi visus est Heusingerus, propterea quod comparavit locum de Nat. Deor. II, c. 55, ubi dicuntur *venae in omnes partes corporis pertinere*. Sed h. l. alia ratio est; nam *cognitae res* non possunt *in prudentiam pertinere*, h. e. diffundi, sed res *pertinent ad prudentiam*, i. e. requiruntur.

Quanta in illis fuit) Ita Guelf. B, C. Vulg. *fuerit*. Sed indicativo opus est, ut paulo ante.

Vel mehercule etiam) Lambinus delet *etiam*; haud inepte.

* *Alter non multum*) Pauca exstabant Crassi scripta: aliquot partes orationis pro Licinia virgine; oratio de colonia Narbonensi deducenda; oratio pro lege Servilia; et pauca nonnulla. Pʀᴠsᴛ.

* *Alter nihil admodum*) Ait nihil

admodum scripti reliquisset: deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem. Quod hoc etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia non de Ser. Galbae, aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria iam refellente: sed edo haec iis cognoscenda, qui eos ipsos, de quibus loquor, saepe audierunt; ut duos summos viros iis, qui neutrum illorum viderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti sint, vivorum et praesentium memoria teste commendemus. Nec vero te, carissime frater atque optime, rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor ut erudiam: quid enim tua potest oratione aut subtilius, aut ornatius esse? sed quamquam, sive iudicio, ut soleo dicere, sive, ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse, pudore, a dicendo, et timiditate ingenua quadam refugisti; sive, ut ipse iocari soles, unum putasti satis

omnino oratoriom reliquisse Antonium, cuius tamen supererat libellos de ratiooe dicendi, de quo in Bruto c. 44. Idem.

De Servii Galba) De quo, et C. Carboue, dicetur in Bruto. Idem,

Nullius memoria iam refellente) Ita elegantius quam ut volgo: *iam me refellente*, quod habent MSS. Erl. Guelf. B, C, cum editionibus primis fere, et Pearcio, a qua discessit Ernesti.

Sed quamquam sive iudicio, ut soleo dicere) Ernesti: « duplicem, inquit, bic correctionem sine libris iuvexi, sed fidenter, ut nemo reprehendere possit; primum *quamquam* pro *quoniam*; tom quis hic non causa commemoratur, sed aliquid removetur; tum quia sequitur *tamen*; deinde *soleo* pro *soles*, ut iam aliis (nominatim Pearcio) visum; nam de Quinto est post *ut ipse iocari soles*. *Ipse* indicat superiora de aliis esse; qui sont primum Cicero, deinde Isocrates. Ceterum in MS. Erlang. *quoniam* abest, scriptumque *sed sive* etc. quod fortasse optimum. » Hactenus ille, et hic quidem suffragantibus, ut opinior, omoibus.

Sive ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse) Malim: *sive ut ille pater eloquentiae Isocrates de se scripsit ipso*, non solum ne bis in membris continuis recurrat *ipse*, sed etiam quod *ipso* hic aptius est. Isocrates enim in Panathenaico, cuius ad exordium h. l. respicitur, scribit;

esse non modo in una familia rhetorem, sed paene in tota civitate: non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod merito propter eorum, qui de dicendi ratione disputarunt, ieiunitatem bonarum artium possit illudi. Nihil enim mihi quidem videtur in Crassi et Antonii sermone esse praeteritum, quod quisquam summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur; quod tu facillime poteris iudicare, qui prudentiam rationemque dicendi per te ipsum, usum autem per nos percipere voluisti. Sed quo citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omissa nostra adhortatione, ad eorum, quos proposuimus, sermonem disputationemque veniamus.

3. Postero igitur die, quam illa erant acta, hora fere secunda, quum etiamdum in lecto Crassus esset, et apud eum Sulpicius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Iulio fratre venit. Quod ubi audivit,

βούλομαι οὖν προδιαλεχθῆναι περί τι ἐμαυτοῦ.

Arbitraretur) Io. Heor. Vossius teste Wolfio in versione huius libri germ. emendabat *orbitretur*; recte, si *procteritum* ad Ciceronem referatur; sin ad Crassum et Antonium, verum est *orbitraretur*.

Omissa nostra adhortatione) Quaesiverit forsan aliquis, quaenam sit illa adhortatio, quam se dicit omissurum. Cui respondeamus licet, Ciceroneio respicere ad illa, quae supra dixerat: *omnia bene esse ei dicenda, qui hoc se posse profiteatur.* Poterat igitur hoc loco ad similem adhortationem uti, qua libro I, c. 5 extr. usus erat, ut iuvenes admoneret de magnitudine eloquentiae, et studiorum ad eam consequendam necessariorum varietate.

* *Hora fere secunda*) Secunda scilicet post solis ortum. Apud Romanos enim prima hora diei erat ea, qua sol oriebatur; duodecima et ultima, qua occidebat. Pavst.

* *Q. Catulus cum C. Iulio fratre*) Quorum, ut et aliorum, quorum hic obiter fit mentio, characterem describit Cicero in Bruto. Idem.

* *Cum C. Iulio fratre*) Nempe uterino. Sic etiam de Offic. I 27, Catuli frater appellatur, ubi Io. Mich. Heusingerus, uterque, inquit, C. Iulius Caesar et Catulus Popilia matre natus erat, cui mulieri defunctae primum contigit in urbe publice laudari.

commotus Crassus surrexit, omnesque admirati maiorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati sunt. Qui quum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent, Quid vos tandem? Crassus, numquidnam, inquit, novi?

Nihil sane, inquit Catulus; etenim vides esse ludos; sed (vel tu nos ineptos licet, vel molestos putes) quum ad me in Tusculanum heri vesperi venisset Caesar de Tusculano suo, dixit mihi, a se Scaevolam hinc euntem esse conventum, ex quo mira quaedam se audisse: te, quem ego toties omni ratione tentans ad disputandum elicere non potuissem, permulta de eloquentia cum Antonio disseruisse, et tanquam in schola, prope ad Graecorum consuetudinem, disputasse. Ita me frater exoravit, ne ipsum quidem a studio audiendi nimis abhorrentem, sed mehercule verentem, ne molesti vobis interveniremus, ut huc secum venirem. Scaevolam enim ita dicere aiebat, bonam partem sermonis in hunc diem esse dilatam. Hoc si tu cupidius factum existimas, Caesari attribues: si familiarius, utrique nostrum. Nos quidem, nisi forte molesti intervenimus, venisse delectat.

4. Tum Crassus, Equidem, quaecunque causa vos huc attulisset, laetarer, quum apud me viderem homines mihi carissimos et amicissimos; sed tamen, vere

* *Commotus Crassus*) Veritus nimirum, ut causa gravior aliqua eos repente, ac prima luce venire compulisset: et vero tum in rep. vehementer turbabatur ob senatorum et equitum dissensionem, de qua meminit initio libri superioris c. 3. Pr.

Ita me frater exoravit, ne ipsum quidem a studio audiendi nimis abhorrentem) Huic lectioni favent codd. Guelf. B, C, et Pearcii auctoritas; nec est quod de eius veritate dubitemus. Olim edebatur: *Ita me frater exoravit me ipsum, non quidem a studio audiendi nimis abhorrentem;* vel ut Lambin. *itaque me frater exoravit, non ipsum quidem a st. a. n. abhorrentem;* vel, ut Gothofr. *ita frater exoravit me ipsum, non quidem a studio audiendi nimis abhorrentem.* Ernesti Pearcium sine causa deserens rescripsit: *Itaque frater exoravit me,*

dicam, quaevis mallem fuisset, quam ista, quam dicitis. Ego enim (ut, quemadmodum sentio, loquar) nunquam mihi minus, quam hesterno die, placui (magis adeo id facilitate, quam alia ulla culpa mea contigit); qui dum obsequor adolescentibus, me senem esse sum oblitus, fecique, quod ne adolescens quidem feceram, ut iis de rebus, quae doctrina aliqua continerentur, disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod transactis iam meis partibus, ad Antonium audiendum venistis.

Tum Caesar, Equidem, inquit, Crasse, ita sum cupidus te in illa longiore ac perpetua disputatione audiendi, ut, si id mihi minus contingat, vel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus. Itaque experiar equidem illud, ut ne Sulpicius, familiaris meus, aut Cotta, plus quam ego apud te valere videantur, et te exorabo profecto, ut mihi quoque et Catulo tuae suavitatis aliquid impertias. Sin tibi id minus libebit, non te urgebo, neque committam, ut, dum vereare, tu ne sis ineptus, me esse iudices.

Tum ille, Ego mehercule, inquit, Caesar, ex omnibus latinis verbis huius verbi vim vel maximam semper putavi. Quem enim nos *ineptum* vocamus, is mihi

ipsum quidem a studio audiendi non nimis abhorrentem.

Quam dicitis) Hanc lectionem cod. Guelf. B, probavit Heusingerus. Cf. quae ex eius filii praefatione ad Cic. Offic. supra ad I, 11 exscripsimus.

Vt, quemadmodum sentio, loquar) Particulam *ut* omittit Guelf. B. Et sane poterat eadem ratione abesse, qua c. 43 lib. I *dicam audacius παρρησιαστικῶς* ponitur. Sic et *vere dicam* paulo ante h. l.

Fecique) Vulgo *fecique id*. Guelf. B, C, *fecique hoc* Vtrumque autem *id* et *hoc* rectius omitti vidit Heusingerus.

Videantur) Recentiores *videatur*. Antiquam vero lectionem de sententia Heusingeri ad Cic. de Offic. I, 41, 10 revocavi. Nam ibi quoque post *aut* pluralis ponitur: *ut si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque fecerint.*

Tu ne sis ineptus) Guelf. B, C, it. Victor. *ne tu sis ineptus*. Sed vis oppositionis, pronomen ut praeponatur coniunctioni, postulat; atque sic in edd. vett. ut Omniboni aliisque.

videtur ab hoc nomen habere ductum, quod *non* sit *aptus:* idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui, aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet; aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is *ineptus* dicitur. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Graecorum natio. Itaque quod vim huius mali Graeci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Vt enim quaeras omnia, quomodo Graeci *ineptum* appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quae sunt innumerabiles, haud scio, an nulla sit maior, quam, ut illi solent, quocunque in loco, quoscunque inter homines visum est, de rebus aut difficillimis, aut non necessariis, argutissime disputare. Hoc nos ab istis adolescentibus facere inviti et recusantes heri coacti sumus.

5. Tum Catulus, Ne Graeci quidem, inquit, Crasse, qui in civitatibus suis clari et magni fuerunt, sicuti tu es, nosque omnes in nostra republica volumus esse, horum Graecorum, qui se inculcant auribus nostris, similes fuerunt; nec tamen in otio sermones huiusmodi, disputationesque fugiebant. Ac si tibi videntur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, sicut debent videri; num tandem aut locus hic

* *Non reperies*) Et vero frustra sunt qui totam huius verbi vim expressisse putant vocabulis ἀνάρμοστος, ἀπειρόκαλος, σκαιός, ἀπρεπής etc. minus aberrat ἀνεπιτήδειον, est enim ἀνεπιτήδειος *idoneus*, *commodus*, cui si iungatur α privativum, idem fere significabit quod apud latinos *ineptus*. PRVST.

Quam, ut illi solent) Sic recte Gruterus edidit e codd. Palatt. Cur id Ernesti manifeste vitiosum esse pronuntiaverit, equidem non assequor. Ed. a. l. et a. Med. Lips. habent, idque revocavit Ernesti, *quam illorum, qui solent.*

* *Horum Graecorum*) Graeci permulti Romae philosophiam, et bonas artes docebant: sed, quia plerique ex iis omnes erant ostentatores, argutuli, et inepti, fere contemnebantur. PRVST.

non idoneus videtur, in quo porticus haec ipsa, ubi inambulamus, et palaestra, et tot locis sessiones, gymnasiorum et graecarum disputationum memoriam quodammodo commovent? aut inopportunum tempus in tanto otio, quod et raro datur, et nunc peroptato nobis datum est? aut homines ab hoc genere disputationis alieni, qui omnes ii sumus, ut sine his studiis vitam nullam esse ducamus?

6. Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palaestram et sedes et porticus, etiam ipsos, Catule, Graecos, exercitationis et delectationis causa, non disputationis, invenisse arbitror. Nam et seculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrire coeperunt; et hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire, quam philoso-

Vbi inambulamus, Guelf. B, C, probante Heusingero. Et iam id ediderat Victor. Vulgo, *ubi ambulamus*.

* *Palaestra*) Locus est patens et apertus ad exercitationes corporis, cursum, luctationem, etc. idoneus. Interdum philosophi, maxime in Graecia, in eiusmodi locis adolescentes docebant, ac disputationes habebant. Palaestra idem fere significat quod gymnasium, ἀπὸ τῆς πάλης, a luctatione, dicitur palaestra. Consule notas in superiorem librum c. 16. PRVST.

Qui omnes ii sumus) Sic legendum; non, ut vulgo: *qui omnes hi sumus*. Itaque c. 6, ubi ad h. l. respicitur: *Nam quod addidisti tertium, vos eos esse*.

Vitam nullam esse ducamus) « Hunc ordinem (pro quo quidam, ut Guelf. B, habent *nullam vitam esse ducamus*) servant MSS. Harl. 1, Cant. Nov. Gonv. et tres vetustissimae editiones. Nec aliter Cicero solet loqui. De Amic. c. 23: *sine amicitia vitam esse nullam sentiunt*; de Offic. II, 4: *sine quibus vita omnino nulla esse potuisset*. Per verba, *ut sine his studiis vitam nullam esse dicamus*, intellige, ut arbitremur, nos non posse suaviter et iucunde vitam agere sine his studiis; ita enim seq. cap. Crassus vocem NVLLAM intelligit: *vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis*. Eodem modo loquutus est Plato lib. I de Rep. ubi querelas senum commemorat, quibus perierunt omnes adolescentiae voluptates: Τότε μὲν εὖ ζῶντες, νῦν δὲ οὐδὲ ζῶντες, quem Platonis locum Cicero de senect. c. 3, sic imitatus est: *quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam nullam putabant*. » Hactenus Pearcius.

* *Discum audire*) Discus est moles ferri, vel plumbi, vel etiam lapidis,

phum, malunt; qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt. Ita levissimam delectationem gravissimae, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt. Otium autem quod dicis esse, assentior. Verum otii fructus est non contentio animi, sed relaxatio. Saepe ex socero meo audivi, quum is diceret, socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, quum rus ex urbe, tanquam e vinculis, evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scaevola, conchas eos et umbilioos ad Caietam et ad Laurentum legere consuesse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. Sic enim se res habet: ut, quemadmodum

quam iuvenes certatim ultra metam aliquam, et finem constitutum, alius alio longius, proiicere conabantur. Quod ludi genus eleganter descripsit Homerus Odyss. lib. VIII. Discum, quam philosophum audire malle, non sine proverbii specie dicitur de eo, qui ad ineptas voluptates propensior est, quam ad utilia. PAVST.

* *Vnctionis causa*) Nempe qui in palaestra disco aut lucta se exercebant, oleo antea inungebantur. Quare I, c. 18 componuntur *palaestra et oleum.*

Quod dicas) Guelf. A, *quod dicitis.*

* *Conchas eos et umbilicos*) Valer. Max. VIII, 8: «Par verae amicitiae clarissimum Scipio et Laelius, cum amoris vinculo, tum etiam omnium virtutum inter se iuncti societate, ut actuosae vitae iter aequali gradu exsequebantur, ita animi quoque remissioni communiter acquiescebant. Constat namque eos Caietae et Laurenti vagos litoribus conchulas *et calculos* lectitasse.» ubi Pighius e codd. et Ciceronis loco *et umbilicos* edere maluit. *Vmbilici* autem, ut Salmasius ad Solinum p. 496 docuit, sunt parvi ac rotundi lapilli umbilici figura extuberantes. Similiter *ocellatos* dixere calculos in formam ocelli factos, vel oculi modo lucentes. Idem laudat Victoris locum de Caligula, ubi narrat, Caligulam milites conchas umbilicosque in ora maris Oceani legere iussisse.

Laurentum) Guelf. B, *Lavernum*; A, *Laurentium*. Ed. Camerar. *Lucrinum*, scil. lacum; quod sane non est aspernandum.

Sic enim se res habet) Guelf. A, B, *Sic enim res sese habet*. C, *Sic enim sese res habet.*

Vt, quemadmodum volucres videmus) «Ernestus post Lambinum ut inducendum esse putavit. Pearcius concinnitatem huic loco restitui duobus modis posse indicavit, vel delendo *ut* cum Lambino, vel legendo

volucres videmus procreationis atque utilitatis suae causa fingere et construere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, levandi laboris sui causa passim ac libere solutas opere volitare: sic nostri animi forensibus negotiis, atque urbano opere defessi, gestiant, ac volitare cupiant, vacui cura ac labore. Itaque illud, quod ego in causa Curiana Scaevolae dixi, non dixi secus, ac sentiebam. « Nam si, inquam, Scaevola, nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus. Quid igitur? inquam: quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? » Tum illud addidi: « Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit. » In qua permaneo, Catule, sententia, meque, quum huc veni, hoc ipsum nihil agere, et plane cessare delectat. Nam, quod addidisti tertium, vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis, id me non modo non hortatur ad

gestiant, et *cupiant*. Et nobis quidem posterior hic modus verior elegantiorque videtur. Nam in tali constructione *ut* habet vim non comparationis, sed causae seu consequentiae, et coniunctivum regit. Exempla ex ipso Cicerone attulit Pearcius. Quibus nos alia addere possumus. Nat. Deor. III, 37: *Sic enim se res habet, ut ad prosperam adversamve fortunam, qualis sis, aut quemadmodum vixeris, nihil intersit.* Fin. II, 32: *Sed res se tamen sic habet, ut nimis imperiosi philosophi sit vetare meminisse.* de Orat. II, 36: *Est ut dicis—ut plerique philosophi nulla tradant praecepta dicendi.* Ibid. III, 52 locus est huic, de quo agimus, geminus: «Tum denique nobis hic orator ita conformandus est et verbis et sententiis, ut, quemadmodum, qui utuntur armis aut palaestra, non solum sibi vitandi aut feriendi rationem esse habendam putent, sed etiam, ut cum venustate moveantur, sic verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis utatur.» Hic primum VT refertur ad coniunctivum *utatur*; *quemadmodum* vero et *sic* comparationi inserviunt. Conferatur etiam I, 50.» Hactenus Wittenbachius Bibl. Crit. Vol. I, P. I, p. 15, et is quidem, ut solet, verissime.

Fingere et construere) Guelf. A, *effingere et constituere.*

Vacui cura ac labore) Sic Guelf. A, B, C, ed. Omnib. recte, ut effu-

disputandum, sed etiam deterret. Nam ut C. Lucilius, homo doctus et perurbanus, dicere solebat, ea, quae scriberet, neque ab indoctissimis se, neque ab doctissimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse; quo etiam scripsit:

Persium non curo legere, — — —

hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus:

— — — Laelium Decimum volo,

quem cognovimus virum bonum, et non illiteratum,

giatur hexametri clausula in vulg. *vacui cura atque labore.*

C. Lucilius) Guelf. A, *C. Lucius*, mendose. Idem omittit *doctus* librarii quidem errore. Sed quoniam iam supra lib. I, c. 16 Lucilius appellatus erat *homo doctus et perurbanus*, non spernerem codices, si qui vel utrumque vel alterutrum epitheton h. l. omitterent. *Perurbanus* tamen hic aptius est, quia in illo ipso dicto Lucilii, quod commemoratur, urbanitas quaedam et festivitas inest.

Ea quae scriberet) Haec absunt a cod. Guelf. A, Erl. et aliis. Et sane si ab omnibus abessent, non desiderarentur. Nam *se legi velle* idem significaret; ut si dicam, ego *legi malo, quam laudari*, idem esset ac: *ego libros meos legi malo quam laudari.*

Alteri plus fortasse quam ipse) Pearcius: « Vulgatam lectionem, *quam ipse* DE SE, *quo etiam* corruptam esse, facile omnes agnoscent. Quid enim est *aliquid de se intelligere*? Quid sibi vult: *quo etiam scripsit*? Vnice vera lectio haeret in MSS. quatuor Oxoniensibus, in MSS. Cant. Wag. Mead. Harl. duobus Gonv. Pith. Mem. Pal. pr. Editionibusque primis: *alteri plus fortasse quam ipse, de quo etiam scripsit.* » In quo nemo Pearcio de particulis *de se* tollendis non assenserit. Sed particolam *quo* recte defendit Ernesti, verba *quo etiam scripsit* interpretatus, *in quam sententiam scripsit*, *eo pertinet quod scripsit*: forsan rectius: *qua de causa scripsit.* Ceterum *de quo* habent codd. Erl. Guelf. A.

* *Persium non curo legere*, *Laelium Decimum volo*) Versus est trochaicus septenarius hypercatal. Inter Laelium et Decimum multae edd. comma ponunt, quod merito reprehendit Pearcius. Idem recte observavit, Decimum esse Laelii praenomen h. l. ut saepius fit, postpositum. Ceterum comparandus est locus Plinii, praef. ad Hist. Nat.: « Praeterea est quaedam publica etiam eruditorum reiectio. Vtitur illa et M. Tullius, extra omnem ingenii aleam positus, et, quod miremur, per advocatum defenditur. *Nec doctissimis*: *Manium Persium haec legere nolo*, *Iunium Congum volo.* Quod si hoc Lucilius, qui primum condidit stili

sed nihil ad Persium: sic ego, si iam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos. Malo enim non intelligi orationem meam, quam reprehendi. Tum Caesar, Equidem, inquit, Catule, iam mihi videor navasse operam, quod huc venerim. Nam haec ipsa recusatio disputationis, disputatio quaedam fuit mihi quidem periucunda. Sed cur impedimus Antonium, cuius audio esse partes, ut de tota eloquentia disserat, quemque iamdudum Cotta et Sulpicius exspectant?

Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar, et ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro...

Quidnam? inquit Catulus. — Vt hic sitis hodie.

Tum, quum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat, Ego, inquit Iulius, pro utroque respondeo; sic faciemus; atque ista quidem conditione, vel ut verbum nullum faceres, me teneres.

Hic Catulus arrisit: et simul, Praecisa, inquit, mihi quidem dubitatio est, quoniam neque domi imperaram; et hic, apud quem erat futurus, sine mea sententia tam facile promisit.

nasum, dicendum sibi putavit, si Cicero mutuandum, praesertim quum de Republica scriberet, quanto nos causatius ab aliquo indice defeodimus.» Ex quo loco intelligitur, Ciceronem Lucilii auctoritate in hac causa etiam in libris de Republica usum fuisse et Lucilium eamdem sententiam bis, sed aliis nominibus expressisse. Harduinus enim recte eos reprehendit, qui nomen *Iunii Congi*, in quo apud Plinium codices consentiunt, deleverint, et ex hoc Ciceronis loco Laelium Decimum substituerint.

Quemque iamdudum Cotta et Sulpicius exspectant.) Guelf. A, q. i. et *Cotta et Sulpicius exspectat*. Singularem verbi ostendunt etiam MSS. Mag. et Ioan. probante Pearcio. Sic Cicero Epp. V, 7: *et mea natura et nostra amicitia postulat.*

Impetraro) Guelf. A, *impetrabo.*

Respondeo) Guelf. B, *respondebo.*

* *Vel ut verbum nullum faceres, me teneres*) h. e. ista quidem conditione, qua te neque Antonium verbum facere passurum, et ipsum mutum futurum dixisti, nisi hodie apud te maneamus, me teneres, etiamsi verbum nullum faceres aliud nos invitandi causa.

7. Tum omnes oculos in Antonium coniecerunt; et ille: Audite vero, audite! inquit. Hominem enim audietis de schola, atque a magistro et graecis literis eruditum. Et eo quidem loquor confidentius, quod Catulus auditor accessit; cui non solum nos latini sermonis, sed etiam Graeci solent suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere. Sed tamen, quoniam hoc totum, quidquid est, sive artificium, sive studium dicendi, nisi accessit os, nullum potest esse; docebo vos, discipuli, quod ipse non didici, quid de omni genere dicendi sentiam. Hic posteaquam arriserunt, Res mihi videtur esse, inquit, facultate praeclara, arte mediocris. Ars enim earum rerum est, quae sciuntur; oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia, continetur. Nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quae nescimus ipsi. Itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt et iudicant, et nos contrarias saepe causas dicimus, non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum; quum alterutri necesse sit falsum dicere; sed etiam ut uterque nostrum eadem de re alias aliud defendat, quum plus uno verum esse non possit. Vt igitur in eiusmodi re, quae mendacio nixa sit, quae ad scientiam non saepe perveniat, quae opiniones hominum,

* *De schola*) Ironice dictum, ut et quae consequuntur. Audietis hominem, qui magistris nunquam operam dedit. PRVST.

Sed etiam Graeci) Sic recte Guelf. A. Vulg. *sed etiam ipsi Graeci*, in quo pronomen male redundat.

Quoniam hoc totum) Guelf. A, *sed quia tamen hoc totum.*

* *Nisi accessit os*) Os in hoc loco confidentiam, audaciam et impudentiam quandam significat. Oportet, inquit, me paene esse impudentem, qui velim docere quod ipse nunquam didicerim: sed quoniam oratores audaciam hanc in laude ponunt, neque orator esse bonus quisquam potest, nisi sit idem ore duriori, et paulo confidentior, aggrediar sane ad dicendum, quid sentiam de eloquentia. PRVST.

Quod ipse non didici) Guelf. A, *id quod ipse non didici.*

et saepe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse, cur audiatis.

8. Nos vero, et valde quidem, Catulus inquit, putamus, atque eo magis, quod nulla mihi ostentatione videris esse usurus. Exorsus es enim non gloriose, magis, ut tu putas, a veritate, quam a nescio qua dignitate.

Vt igitur de ipso genere sum confessus, inquit Antonius, artem esse non maximam, sic illud affirmo, praecepta posse quaedam dari peracuta ad pertractandos animos hominum, et ad excipiendas eorum voluntates. Huius rei scientiam si quis volet, magnam quandam artem esse, dicere, non repugnabo. Etenim quum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam, callidius id faciant; non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit, quare alii melius quam alii dicant, id possit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit. Atque utinam, ut mihi illa videre videor in foro atque in causis, ita nunc, quemadmodum ea reperirentur, possem vobis exponere!

Magis, ut tu putas) Alii, ut Pearcius, habent *magisque*. Sed copula, ut iam Ernesti monuit, elegantius abest.

* *Magis, ut tu putas, a veritate*) Antonius professus erat initio minimum artis eloquentiam habere. Iuxta hanc tuam opinionem, quam veram existimat, utitur exordio simplici, et quod ab artis fuco alienum est. Pr.

Praecepta posse quaedam dari peracuta) Guelf. B, *praecepta posse dari peracuta oratori*.

Animos hominum) Guelf. A, *hominum animos*. In ed. Waldarf. legitur *ad pertractandum animos hominum*.

Ad excipiendas) Pearcius *excipiendas* recte praeferendum iudicavit lectioni, quam ex uno codice Lambinus enotavit, *captandas*; coll. Horat. I, 1, v. 78.

Magnam quandam artem esse, dicere) Guelf. B, *magnam quandam artem dicere*.

Ita nunc) Guelf. A, *item nunc*.

Reperirentur, possem) Victor. re-

9. Sed de me videro; nunc hoc propono, quod mihi persuasi, quamvis ars non sit, tamen nihil esse perfecto oratore praeclarius. Nam, ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata et libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius percipi possit. Qui enim cantus moderata orationis pronuntiatione dulcior invenire potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor in imitanda, quam orator in suscipienda veritate iucundior? Quid autem subtilius, quam acutae, crebraeque sententiae? quid admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? Quid plenius, quam omni rerum genere cumulata oratio? Neque enim ulla non propria oratoris est res, quae quidem ornate dici graviterque debeat. Huius est in dando consilio de maximis rebus cum di-

perirentur, possim, male. Forsan autem scripsit Cicero *utinam — quemadmodum ea reperiantur, possim.*

Nihil esse perfecto oratore praeclarius) Hanc lectionem, quam confirmant Guelf. A, C, recte tenuerunt Gruterus et Gronovius. Altera *profecto oratore*, quae est in Guelf. B, absurdam facit sententiam, quasi nihil sit oratore simpliciter praeclarius.

Moderata orationis pronuntiatione) Sic Guelf. A. Verissime. Nam in lectione *moderatae orationis pronuntiatione* hoc est vitii, quod pronuntiatio simpliciter, adeoque etiam mala et inepta cantus dulcedini aequiparetur. Quid autem sit moderata pronuntiatio, docet Quintilian. XI, 3, 30, nempe emendata, dilucida, ornata, apta.

* *Quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius*) h. e. qui versus, quae lyrici carminis stropha aptior esse, et suaviorem habere verborum iuncturam potest, quam periodus oratoria artificiose composita, et numerose cadens!

* *Omni rerum genere cumulata oratio*) h. e. copia sententiarum, exemplorum, aliorumque dicendi ornamentorum.

* *Huius est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia*) Nempe in senatu, ubi, ut verbis utar auct. dial. de causis corr. eloqu. cap. 36, saepe *parum esset breviter censere, nisi ingenio et eloquentia sententiam suam tuerentur* senatores. Quae sequuntur verba: *eiusdem — moderatio* ad conciones pertinent, illa vero: *eadem facultate — vocatur* ad genus iudiciale; denique postrema *quis cohortari* etc. ad genus demonstrativum.

gnitate explicata sententia: eiusdem et languentis populi incitatio, et effrenati moderatio. Eadem facultate et fraus hominum ad perniciem, et integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest? quis moerorem levare mitius consolando? Historia vero testis temporum, lux veritatis, via memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi ora-

* *Vituperare improbos asperius*) Nempe haec asperitas est in laudibus oratoris, atque in vi et vehementia vituperationis. Sic infra c. 85, ubi negatur, hominem improbum notari et vituperari sine vitiorum cognitione satis insignite atque *aspere* posse.

* *Quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest*) *Accusare* h. l. non de accusatione in iudiciis accipiendum, sed de graviore quadam obiurgatione et reprehensione extra iudicium. Sic Epist. ad Div. I, 1: «Pompeium et hortari et orare, et iam liberius *accusare* et monere, ut magnam infamiam fugiat, non desistimus.» Infra c. 12 componuntur *obiurgatio*, *cohortatio*, *consolatio*.

Historia — lux veritatis, via memoriae, magistra vitae) In MSS. et edd. omnibus est: *vita memoriae*, *magistra vitae*. In quo primum incommode ad sensum dicitur *vita memoriae*. Sive enim *memoriam* accipias reminiscendi facultatem, historia non potest dici huius facultatis vita, quasi memoria nostra vim suam tueri non posset absque historia; immo potius literis inventis et rerum gestarum monumentis a scriptoribus editis memoriae vis minus est a multis quam antea exculta: sive memoria significet ipsas res gestas memoriae mandandas, *vita memoriae* nihil aliud notare posset, quam quod iam epithetis *testis temporum* et *nuntia vetustatis* significatum esset. Deinde inepta esset compositio: *vita memoriae*, *magistra vitae*, ubi *vita* priore loco translate, posteriore autem loco proprie diceretur, quem verborum lusum Cicerone prorsus indignum iudico. Quare quum *via* et *vita* saepius a librariis permutata sint (ut e. c. in Rhetoricis Auct. ad Herennium IV, 15, pro *vitam* Cod. Erf. habet *viam*) fidenter rescripsi *via memoriae*. Sic historia recte poterat eodem modo appellari, quo eam Cicero Orat. c. 34, *memoriae veteris ordinem* nominavit. Nempe sine historia rerum gestarum memoria nostra multos quidem posset eventus complecti, non tamen eos suis temporibus recte alligare, verumque eorum ordinem ac seriem tenere. Itaque historia ut recte dicitur *lux veritatis*, ita non minus apte *via memoriae*, ut quae memoriam nostram in cognitione rerum gestarum errare, tempora confundere, personas miscere haud sinat, sed or-

toris, immortalitati commendatur? Nam si qua est ars alia, quae verborum, aut faciendorum, aut deligendorum scientiam profiteatur; aut si quisquam dicitur, nisi orator, formare orationem, eamque variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus; aut si via ulla, nisi ab hac una arte, traditur, aut argumentorum, aut sententiarum, aut denique descriptionis atque ordinis: fateamur aut hoc, quod haec ars profiteatur, alienum esse, aut cum aliqua arte esse commune. Sed si in hac una est ea ratio atque doctrina, non, si qui aliarum artium bene loquuti sunt, eo minus id est huius unius proprium; sed ut orator de iis rebus, quae ceterarum artium sunt, si modo eas cognovit (ut heri Crassus dicebat), optime potest dicere: sic ceterarum artium homines ornatius illa sua dicunt, si quid ab hac arte didicerunt. Neque enim si de rebus rusticis agricola quispiam, aut etiam, id quod multi, si medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diserte dixerit, aut scripserit, idcirco illius artis putanda sit eloquentia; in qua quia vis magna est in hominum ingeniis, eo multi etiam sine doctrina aliquid omnium generum atque artium consequuntur; sed, quid cuiusque sit proprium, etsi ex eo iudicari potest, quum videris quid quaeque doceant, tamen hoc certius, nihil esse potest, quam quod omnes artes aliae sine eloquentia suum munus praestare possunt, orator sine ea nomen suum obtinere non potest: ut ceteri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant, hic

dinem verum ac perpetuam seriem eventorum servare cogat.

Aut si quisquam) Particulam *aut* a multis omissam auctoritate Victor. Lambin. et MSS. Ioan. Bod. Mag. Harl. recte defendit Pearcius.

Aut cum aliqua arte) Vulgo *aut cum aliqua alia arte.* Sed *alia* iam latet in *aliqua*, quo Cicero saepius utitur pro *alia quadam.*

Cognovit) Hoc auctore Heusingero recepi e codd. Guelf. A, B, C. Vulgo *cognorit.*

nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit.

10. Tum Catulus, Etsi, inquit, Antoni, minime impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuae, patiere tamen, mihique ignosces. *Non enim possum, quin exclamem*, ut ait ille in Trinumo; ita mihi vim oratoris tum exprimere subtiliter visus es, tum laudare copiosissime: quod quidem eloquentem vel optime facere oportet, ut eloquentiam laudet. Debet enim ad eam laudandam ipsam illam adhibere, quam laudat. Sed perge porro; tibi enim assentior, vestrum esse hoc totum, diserte dicere, idque si quis in alia arte faciat, eum assumto aliunde uti bono, non proprio, nec suo.

Et Crassus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit, hominemque reddidit. Nam hesterno sermone, unius cuiusdam operis, ut ait Caecilius, remigem aliquem, aut baiulum, nobis oratorem descripseras, inopem quidem humanitatis atque inurbanum.

Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut, si te refellissem, hos abs te discipulos ab-

In Trinumo) Plauti III, 2, 79.

Vim oratoris) Ed. sine l. et a. *ius oratoris*, quod sibi arridere profitetur Ernesti. Et sane quoniam ante de *proprio* oratoris *munere* disserebatur, haud ioeptus esset *ius*; modo verba *exprimere* et *laudare*, quae sequuntur, huic vocabulo aptiora esseot. Quare *vim* servandum est. Etenim non magis antea de iure et munere oratoris quam de eius vi loqoutus est Antonios.

* *Caecilius*) Natione Iosober Gallus, professione comicus poëta. Quod servus fuisset, servile nomen habuit *Statius*, ut notat Gellius lib. IV cap. 20. Vixit Romae, et comoediae princeps habitus est aetate sua. Eum licet dicat Cicero malum Latinitatis auctorem, tamen ei primas inter comicos tribuit Volcatius Sedigitus, quod refert Gellius lib. XV cap. 15. Ipse Tullius lib. de opt. gen. Orat. cap. 1 videtur ipsi primum inter comicos locum dare. Sane apud Nonium in verbo *poscere* Varro principatum in argumentis Caecilio dedit. *In argumentis Caecilius poscit palmam, in* ἤθεσι *Terentius, in sermonibus Plautus.* Claruit Caecilius anno V. C. DLXXVII, ante Christum CLXXV. Prvst. De illo plura Vossius. Oliv.

ducerem: nunc, Catulo audiente et Caesare, videor debere non tam pugnare tecum, quam, quid ipse sentiam, dicere.

11. Sequitur igitur, quoniam nobis est hic, de quo loquimur, in foro, atque in oculis civium constituendus, ut videamus, quid ei negotii demus, cuique eum muneri velimus esse praepositum. Nam Crassus heri, quum vos, Catule, et Caesar, non adessetis, posuit breviter in artis distributione idem, quod Graeci plerique posuerunt: neque sane quid ipse sentiret, sed quid ab illis diceretur, ostendit: duo prima genera quaestionum esse, in quibus eloquentia versaretur, unum infinitum, alterum certum. *Infinitum* mihi videbatur id dicere, in quo aliquid generatim quaereretur, hoc modo: expetendane esset eloquentia? Expetendine honores? *Certum* autem, in quo quid in personis, et in constituta re, et definita quaereretur; cuiusmodi sunt, quae in foro, atque in civium causis disceptationibusque versantur. Ea mihi videntur aut in lite oranda,

Inopem quidem humanitatis) Vulg. *inopem quendam*, quo pronomine statim post praecedens *aliquem* posito se offendi scripsit mihi amicissimus Iacobsius. Neque vero iniuria. Itaque *quidem* rescripsi, quam lectionem in margine MS. Guelf. a manu recentiore notatam Heusingerus invenit. Eadem Ernestio placebat. Sed Iacobsio maior etiam auspicio oborta est, totam illam clausulam *inopem quidem humanitatis atque inurbanum* a glossatore adiectam esse. Et parum abest quin illam suspicionem veram ac firmam putem. Quum enim Crassus his verbis: *nam hesterno sermone unius cuiusdam operis — remigem aut baiulum nobis descripseras*, respexisset ad verba Antonii lib. I, c. 61: *orator autem concludetur in ea, quae sunt in usu civitatum vulgari ac forensi, remotisque ceteris studiis, quamvis ea sint ampla atque praeclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur*; poterat quidem dicere, Antonium oratorem descripsisse inopem humanitatis, i. e. artium, quarum cognitio hominem politum deceret. Sed cur adderet *atque inurbanum*, quum ipse Antonius c. 49 oratorem *lepore* quodam instructum esse vellet? Si scripsisset *atque ineruditum*, non esset, quod aliud quereremus.

* *Ea mihi videntur*) Antonius quaestiones, sive materiam oratori propositam revocat ad deliberationes, et ad iudicia, quia haec plerumque ab eo tractantur: et si quando versetur in

aut in consilio dando esse posita. Nam illud tertium, quod et a Crasso tactum est, et, ut audio, ille ipse Aristoteles, qui haec maxime illustravit, adiunxit, etiamsi opus est, tamen minus est necessarium.

Quidnam? inquit Catulus, an laudationes? id enim video poni genus tertium.

Ita, inquit Antonius, et in eo quidem genere scio et me et omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, quum abs te est Popilia mater vestra laudata; cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto; sed non omnia, quaecunque loquimur, mihi videntur ad artem et ad praecepta esse revocanda. Ex his enim fontibus, unde ad omnia ornamenta dicendi praecepta sumuntur, licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa desiderare; quae ut nemo tradat, quis est, qui nesciat, quae sint in homine laudanda? Positis enim iis rebus, quas Crassus in illius orationis suae, quam contra collegam censor habuit,

exornativo genere, vel ad defensionem, vel ad suasionem laudatio, vituperatio ad accusationem aut dissuasionem referri facile potest: v. g. in oratione pro Lege Manilia in laudes Pompeii Tullius excurrit, ut suadeat eum deligendum imperatorem contra Mitridatem: secunda Philippica invehitur in Antonium, ut tanquam hostis reip. condemnetur, quod spectat genus iudiciale. OLIVET.

In hac oranda) Restitui lectionem Gulielmi utpote unice veram. Ex *oranda*, quidam librarii fecerunt *ornanda*, quod est in Guelf. A, inde fluxit id quod vulgo editur, *ordinanda*.

Unde ad omnia ornamenta dicendi praecepta sumuntur) Sic Guelf. A. V. *unde omnia ornate dicendi praecepta sumuntur*. Illa lectio propius ad veritatem videtur accedere, nam omnino veram esse vix ausim praestare. Quid enim si Cic. scripsit: *Ex his enim fontibus, unde omnia ornamenta dicendi sumuntur, licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa desiderare.* Omnino enim Antonius praecepta rhetorica communia et pervagata videtur contemnere, nec *fontes* intelligere rhetorum de arte libellos, sed philosophiam potius eiusque locos potissimum, qui sunt de officiis et moribus hominum, deque animorum naturis. Sic. c. 12 dicit multa alia esse, quae summa *dicendi ornamenta* desiderent, sed ex *artificio* res istas *praecepta* non quaerere.

* *Contra collegam*) Cn. Domitium Ahenobarbum, Neronis im-

principio dixit: « Quae natura, aut fortuna darentur hominibus, in iis rebus se vinci posse animo aequo pati; quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se vinci pati non posse »; qui laudabit quempiam, intelliget, exponenda sibi esse fortunae bona. Ea sunt, generis, pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formae, virium, ingenii, ceterarumque rerum, quae sunt aut corporis, aut extraneae; si habuerit, bene his usum; si non habuerit, sapienter caruisse; si amiserit, moderate tulisse. Deinde, quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit, aut tulerit. Haec, et quae sunt eius generis, facile videbit, qui volet laudare quempiam, et qui vituperare contraria.

12. Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus, quoniam inest in ratione rerum? Non enim, si est facilius, eo de numero quoque est excerpendum.

Quia nolo, inquit, omnia, quae cadunt aliquando in oratorem, quamvis exigua sint, ea sic tractare, quasi

peratoris alavum, de quo dicebatur non esse mirandum, quod barbam haberet aheneam, cui os ferreum, et cor plumbeum esset. Censor fuit anno V. C. 662. Cum L. Crasso graves exercuit inimicitias. Vide Plinium lib. XVII, cap. 1, et Valerium Maximum lib. IX, cap. 1. Prvst.

Si vinci pati non posse) Sic Guelf. B, C, probante Heusingero. Nam in vulgata lectione *se pati vinci non posse*, ordo verborum intricatior est, quam ut placere possit.

Exponenda sibi esse fortunae bona) Forlasse Cicero scripsit: *primum exponenda sibi esse fortunae bona*. Sequitur enim *deinde* locus de laudandi loco ex virtutibus. Quod autem Lambinus legi volebat, *naturae et fortunae bona*, id merito improbavit Pearcius, quia fortunae nomine etiam naturae bona comprehenduntur; coll. lib. II, c. 84.

Et quae sunt eius generis) Sic Guelf. B, C, bene; etiam Heusingero probante. Hic enim definita sententia requiritur. Vulgo *et quae sint eius generis*.

nihil possit dici sine praeceptis suis. Nam etiam testimonium saepe dicendum est, ac nonnunquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sextum Titium, seditiosum civem et turbulentum; explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno plebis pro republica restitissem, quaeque ab eo contra rempublicam facta arbitrarer, exposui. Diu retentus sum, multa audivi, multa respondi. Num igitur placet, quum de eloquentia praecipias, aliquid etiam de testimoniis dicendis, quasi in arte tradere?

Nihil sane, inquit Catulus, necesse est. Quid si (quod saepe summis viris accidit) mandata sint exponenda, aut in senatu ab imperatore, aut ad imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem a senatu? Num quia genere orationis in huiusmodi causis accuratiore est utendum, idcirco pars etiam haec causarum numeranda videtur, aut propriis praeceptis instruenda?

Minime vero, inquit Catulus. Non enim deerit homini diserto in eiusmodi rebus facultas, ex ceteris rebus et causis comparata.

Ergo item, inquit, illa, quae saepe diserte agenda sunt, et quae ego paulo ante, quum eloquentiam laudarem*, dixi oratoris esse, neque habent suum locum ullum in divisione partium, neque certum praeceptorum genus, et agenda sunt non minus diserte, quam

Nam etiam testimonium) Vulg. *nam et testimonium* Sed ut *etiam* reciperemus, persuasit nobis Heusingerus; quia *et* facile inducit lectorem, ut alterum *et* exspectet, quod ei respondeat. Praeterea Ciceronem particula *et* pro *etiam* uti non solere Iac. Frid. Heusing. observavit ad Cic. Offic. I, 20, 2; I, 37, 5; I, 38, 3. Paulo post ante *accuratius* commode omitti possit *etiam.*

* *Sex. Titium*) Hic tribunus plebis fuit anno V.C.655. Quum agraria lege lata plebem sibi vellet demereri, consulem Antonium, qui hic loquitur, acrem habuit adversarium (*Iulius Obsequens*). Prvst.

quae in lite dicuntur, obiurgatio, cohortatio, consolatio; quorum nihil est, quod non summa dicendi ornamenta desideret; sed ex artificio res istae praecepta non quaerunt.

Plane, inquit Catulus, assentior.

13. Age vero, inquit Antonius, qualis oratoris, et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere?

Si ut Graeci scripserunt, summi, inquit Catulus: si ut nostri, nihil opus est oratore; satis est non esse mendacem.

Atqui, ne nostros contemnas, inquit Antonius, Graeci quoque sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio; cuius rei, memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes

Graeci quoque) Guelf. B, *Graeci ipsi*, non male. Guelf. C, *Graeci quoque ipsi.*

* *Vt Pictor*) Fabii, clarissima gens, teste Plinio lib. XXXV, cap. 4. Pictorum nomen ex eo traxerunt, quod princeps eius cognominis ipse aedem Salutis pinxit anno V. C. 450, ante Christum 304. Ex Fabiis Pictoribus alius aedem Salutis pinxit, alius consulatum gessit cum Ogulnio, alius iurisconsultus, alius, de quo iam agimus, historicus fuit, si Livio credimus, *scriptorum antiquissimus*, cui praenomen erat Quintus, ut ex Appiano recte colligit Vossius. In Romanos plus aequo propensus, in describendo bello Punico Carthaginensium gloriam saepe deterit. In quo reprehenditur a Polybio. Floruit anno V. C. 530, ante Christum 234. PAVST.

* *Piso*) L. Piso *vir tanta virtute atque integritate fuit*, teste Tullio, *ut etiam illis optimis temporibus, quum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen frugi nominaretur.* Consul fuit anno 621, ante Christum 133. Orationes reliquit, et annales, ut quidem refert Cicero, sane exiliter scriptos, quos tamen simplicissima fuisse suavitate Gellius tradit lib. XI, c. 14. IDEM.

* *Annalium confectio*) Sempronius Asellio apud Gellium lib. V, cap. 18, hoc statuit annales inter et historiam discrimen, quod annales tantummodo quid factum, quoque anno gestum sit aliquid exponant; historia vero non modo quid factum sit demonstret, verum etiam et rerum causas, et hominum consilia explicet. IDEM.

* *P. Mucium*) Non eum, quo praeceptore usus est in iure civili Cicero,

singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi sequuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas, fuit, aliique permulti; talis noster Cato, et Pictor, et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio (modo enim huc ista sunt importata), et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. Paululum se erexit, et addidit historiae

nam is est Q. Mucius, et ipse pontifex maximus, sed huius patrem P. Mucium, qui consul fuit anno V. C. 621, ante Christum 133. Idem.

Referebatque in album) Iam Lambinus correxit vulg. *efferebat in album*, probantibus Pearcio Ernestioque. Sane solemnis est formula *referre in album*, nec exputari potest, quomodo id *efferre* dicatur.

* *Pherecydes*) Atheniensis historicus, alius a Pherecyde Syro antiquiore, physico, et theologo, historiam primus oratione numeris soluta scripsit, Darii, Hystaspis filii, temporibus, adeoque floruit circa Olympiad. 68. Eusebium et Suidam, qui duos agnoscunt Pherecydas historicos, graviter errare observavit Scaliger, et recte probat Vossius lib. IV de historicis Graecis, c. 4. Pavst.

* *Hellanicus*) Hellanici duo sunt. Alter Mytilenaeus, sive Lesbius, scripsit de antiquissimis gentium principibus, et alia quam plurima. Herodotum annis duodecim praecessit, ut ex Pamphila refert Gellius lib. XV, cap. 23, adeoque natus est anno I Olympiadis 71, nec nisi octoginta quinque post annis obiit, ut testatur Lucianus in Macrobiis. Alter Milesius fuit. De utroque suo more Vossius erudite disserit. Idem.

* *Acusilas*) Argivus historicus: quae vincta numeris oratione Hesiodus, eadem soluta scripsit; aut potius huius carmina pedestrem in sermonem transtulit, et tanquam sua edidit, ut ducet Clemens Alexandrinus lib. VI Stromatum. Paulo ante Persarum in Graecos expeditionem, hoc est Olympiade circiter 72, vixisse tradit Iosephus lib. I contra Appionem. Idem.

Addidit historiae maiorem sonum) Volgo addebatur *vocis*, quod glossatori debetur. Sic noster c. 14 huius libri de Xenophonte *leniore quodam sono est usus*. Postquam ego illud *vocis* meopte sensu ac iudicio damnaveram, idem vidi placuisse Io. Theoph. Ernestio in lexico lat. Rhetor. v. *Sonus*. Ceterum comparandus est de Coelio Antipatro locus de Legg.

maiorem sonum vir optimus, Crassi familiaris, Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

Est, inquit Catulus, ut dicis. Sed iste ipse Caelius neque distinxit historiam varietate colorum, neque verborum collocatione, et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus; sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit; vicit tamen, ut dicis, superiores.

Minime mirum, inquit Antonius, si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat; apud Graecos autem eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus, cum ad ceteras res illustres, tum ad scribendam historiam maxime se applicaverunt. Namque et Herodotum

I, 2: «Faunii autem aetate coniunctus Antipater paulo inflavit vehementius, babuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra —»

* *Antipater*) L. Caelius Antipater belli Punici historiam edidit, ut ait Tullius in Oratore, et L. Crassi, qui in his dialogis primas tenet, magister fuit, ut idem refert in Bruto, quem consule ad c. 22 et 26. PRVST.

Neque distinxit historiam varietate colorum) Vulg. in edd. et MSS. omnibus *locorum*. Quam lectionem equidem dudum haboeram suspectam. Nam sive de *locis communibus* accipias, id obscure dictum esset simpliciter *locorum*, nec aptum est his id quod adiicitur *varietate*; sive regiones intelligas, ut Pearcius, male dictum esset, *varietate locorum distinguere*, pro *variis regionum descriptionibus distinguere*. Sed mihi de sananda huius loci corruptela nondum cogitanti, Iacobsius, cuius ingenio, doctrina et εὐστοχίᾳ valde delector, lectionem a se coniectura repertam obtulit, quam simulac primum cognovi, statim probavi. Etenim *historiam distinxit varietate colorum* aptissime dicitur et plane eadem forma loquendi, qua usus est A. ad Herenn. IV, 11: *distincta coloribus oratio*. Ernesti, quem ipsum vulgata lectio offenderat, interdum suspicabatur *varietate rerum*: quod nemo Iacobsii emendationi praetulerit.

* *Homo neque doctus*) Non dicitur Antipater omnium literarum expers fuisse, utpote qui Brut. c. 26 iuris valde peritus fuisse perhibeatur: sed illud *neque doctus* refertur ad dicendum, significaturque Antipatrum, ut ab natura parum aptum, sic arte et doctrina non satis paratum ad dicendum fuisse.

* *Herodotum*) Herodotus patria Halicarnasseus, ut ipse testatur, Thu-

illum, qui princeps genus hoc ornavit, in causis nihil omnino versatum esse accepimus; atqui tanta est eloquentia, ut me quidem, quantum ego graece scripta intelligere possum, magnopere delectet; et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit; qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quamquam est in republica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt; et hos libros tum scripsisse dicitur, quum a republica remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exsilium pulsus esset. Hunc consequutus est Syracusius Philistus, qui, quum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumsit in historia scribenda, maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus. Postea vero

rius deinde appellatus, quod, ut ait Strabo, socium se deducendae in Thurios coloniae praebuisset, Historiae pater, floruit Olympiade 84, annis ante Christum 444. Pavst.

* *Thucydides*) Is fuit Olori filius, qui ad bellum Peloponnesiacum scribendum excitatus est, quum Herodotum libros suos recitantem audisset. Claruit Olympiade 87, annis ante Christum 430. *Densus*, inquit Quintilianus lib. X, cap. 1, *et brevis*, *et semper instans sibi Thucydides: dulcis*, *et candidus*, *et fusus Herodotus: ille concitatis*, *hic remissis affectibus melior: ille concionibus*, *hic sermonibus: ille vi*, *hic voluptate.* Eum tamen interdum tam obscurum esse, ut vix intelligatur, Cicero fatetur in Bruto. Idem.

* *Philistus*) Patria Syracusius, *paene pusillus Thucydides* a Cicerone lib. II, epist. 12 ad Q. fratrem appellatus: quia, ut notat Fabius lib. X, cap. 1, erat *imitator Thucydidis*, *et ut multo infirmior*, *ita aliquatenus lucidior*. Obiit Olympiade 106, annis ante Christum 356. Quum pro Dionysio iuniore in proelio navali pugnaret, victus violentas sibi manus attulit, ut narrat Diodorus Siculus. Id.

Postea vero) Hic vulgo addebantur verba: *quasi ex clarissima rethoris officina*, quae Ruhnkenius Hist. crit. or. gr. p. 87, a sciolo quodam ex Brut. c. 8, et Orat. 13, hic inculcata recte iudicavit. Ineptissime enim diceretur *a magistro Isocrate impulsi quasi ex clarissima rethoris officina se ad historiam contulerunt.*

duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi, se ad historiam contulerunt; causas omnino nunquam attigerunt. Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam. Et hic quidem rhetorico paene more; ille autem superior, leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat; vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior. Minimus natu horum omnium Timaeus, quantum autem iudicare possum,

* *Theopompus*) Chius, clarissimus, Dionysio Halicarnasseo teste, omnium Isocratis discipulorum. Auctor est Suidas eum historiarum Herodoti epitomen scripsisse. Refert Iosephus, Theopompum quum vellet ex sacris codicibus quaedam in suas historias transferre, mente turbatum fuisse; quumque in somno didicisset id accidisse, quod evulgare divina tentasset, ab incoepto destitisse, pristinaeque sanitati esse restitutum. Vixit annis ante Christum circiter 360. Prust.

* *Ephorus*) Patria Cumaeus, quem dicit Seneca saepe decipi, saepe decipere. Memoriae prodidit Diodorus Siculus, cum res a Graecis, et Barbaris ab Heraclidarum reditu paene per 750 annos gestas, et in triginta volumina distributas scripsisse. Discipulus Isocratis fuit, ac floruit Olympiade 109, annis ante Christum 344. Idem.

* *Xenophon*) Atheniensis, Socratis primum auditor, tum dux in bello, praeclare factis ita summi imperatoris famam adeptus est, ut privatis subinde studiis eloquentiae palmam multis praeripuerit. Refert Suidas datum ei nomen Atticae Musae, vel apis Atticae, quod, ut ait Tullius, eius oratio sit melle dulcior. Maxime floruit, teste Laërtio, Olympiadis 94 anno IV, nempe ante Christum 401. Nonagenario maior apud Corinthum obiit, anno 1 Olympiadis 105, ante Christum 350. Idem.

* *Callisthenes*) Olynthius, Aristotelis non modo discipulus, verum etiam consobrinus, ut narrat Laërtius, tantae fuit arrogantiae, ut scripta sua factis Alexandri Magni superiora esse praedicaret. Odiosus Alexandro, quod divinos ipsi decerni honores dissuasisset, minimeque aulae et assentantium accommodatus ingenio, initae in caput regis coniurationis falso suspectus, ante tortus interiit Olympiade 113 (*Curtius* lib. VIII). Idem.

* *Vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen — dulcior*) Sic Demetrius Phalereus de Off. I, 1 dicitur *orator parum vehemens, dulcis tamen.*

* *Timaeus*) Tauromenii in Sicilia natus, trecentis circiter ante Christum annis floruit, regnante Agatocle: cui ob indictum exsilium, ulciscendi studio fuit praeter modum infensus,

longe eruditissimus, et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus, et ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.

14. Haec quum ille dixisset, Quid est, inquit, Catule, Caesar? ubi sunt, qui Antonium graece negant scire? quot historicos nominavit? quam scienter? quam proprie de unoquoque dixit?

Id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud iam mirari desino, quod multo magis ante mirabar, hunc, quum haec nesciret, in dicendo posse tantum.

Atqui, Catule, inquit Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, horum libros, et nonnullos alios, sed delectationis causa, quum est otium, legere soleo. Quid ergo est? fatebor: aliquid tamen; ut, quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer; sic, quum istos libros ad Misenum (nam Romae vix licet) studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu

adeo ut in huius principia rebus nullam, auctore Suida, fidem mereatur. Varia fuit de ipso veterum sententia: hic eximie laudatur a Cicerone. Eum alii censent nullo delectu quidlibet in suas historias infarsisse, Hesychiusque et Suidas eum γραοσυλλέκτριαν, *anum collectricem*, appellatum fuisse referunt. Longinus libro περὶ ὕψους Timaeum dicit saepe frigidum, et ad puerilia delabi. Ait Diodorus Siculus propter intempestivas reprehensiones nuncupatum esse ἐπιτίμαιον id est reprehensorem. Annos 96 vixit, teste Luciano in Macrobiis. PAVST.

Quid ergo est? fatebor; aliquid tamen;) Quia Antonius g... orum historicorum libros magis delectationis causa, quam ut utilitatem aliquam ad dicendum aucuparetur, se legere solitum dixerat, nunc quasi se ipse corrigit, et, quid ergo est, inquit, quod putuerim ex illorum libris ad dicendum proficere? Fatebor: aliquid tamen proficio.

* *Misenum*) Misenus, mons Campaniae, oppidum vocant Iosephus et Orosius: a Miseno qui Aeneam in Italiam sequutus erat, nomen accepit. (Virgilius Aeneid. lib. VI) PAVST.

* *Illorum tactu quasi colorari*) Olim in omnibus edebatur *cantu quasi colorari* et sic est in Guelf. B, C (nam in A locus deest). Sed *tactu* legendum primus vidit Ernestinae disciplinae alumnus *de Roder*; postea vero eius coniectura codicis Er-

quasi colorari. Sed ne latius hoc vobis patere videatur, haec dumtaxat in Graecis intelligo, quae ipsi, qui scripserunt, voluerunt a vulgo intelligi; in philosophos vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus, de virtute, de iustitia, de honestate, de voluptate, verbum prorsus nullum intelligo; ita sunt angustis et concisis disputationibus illigati! Poëtas omnino, quasi alia quadam lingua loquutos, non conor attingere, cum his me (ut dixi) oblecto, qui res gestas, aut qui orationes scripserunt suas, aut qui ita loquuntur, ut videantur voluisse nobis, qui non sumus eruditissimi, esse familiares.

15. Sed illuc redeo. Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? Haud scio, an flumine orationis, et varietate maximum. Neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum praeceptis. Sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiae sit

laogensis auctoritate confirmata est, in quo perspicue legitur *tactu*.

Quod sunt fere inscripti) Guelf. B, *quod fere sunt scripti*. A, *qui sunt fere scripti*.

Eruditissimi) Guelf. A, *prudentissimi*.

Voluisse nobis — esse familiares) Hunc ordinem verborum Ernesti ascivit ex ed. s. l. et a. it. Lips. Vulgo *voluisse esse nobis*

Munus sit) Guelf. B, C, *sit munus*.

Neque tamen) Guelf. B, C omittunt *tamen*.

Rhetorum) omissum Guelf. B.

* *Primam esse historiae legem*) Perstringit hic historiae leges, quarum prima est veritas, quae vel visu vel ex multorum simili relatione exploratur. Adversus hanc legem graviter peccarunt Herodotus, Theopompus, et alii praecipue Graeci, quorum in historiis plerumque reperitur similis poeticae licentia. Vt nemo miretur Iuvenalem scripsisse Satyra I: .... *Et quidquid Graecia mendax Audet in historia*, PAVST.

Ne quid veri non audeat) Hoc Pearcius e MSS. et edd. vett. restituit. Vulg. *ne quid vere*. Guelf. B, *ne quid vere tacere audeat*. Ed. Lips. ne *quid veri tacere audeat*.

* *Ne quid veri non audeat*) Veritati dicendi libertatem adiungat historicus: al , mi affectu liber, nec inimicorum virtutes, nec amicorum vi-

in scribendo? ne qua simultatis? Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus, et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo; et quum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis; hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, cuiusque vita, atque natura. Verborum autem ratio, et genus orationis, fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabiliter profluens, sine hac iudiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. Harum tot tantarumque rerum videtisne nulla esse praecepta, quae in artibus

lia supprimat; quod in Thucydide, ac Polybio probatur. Id eleganter in libello de scribenda historia exponit Lucianus: *Talis igitur mihi sit historicus; metus expers, muneribus incorruptus, liber, in dicendo libertatis et veritatis amicus: et, ut comicus ille ait, ficus ficus, ligonem ligonem appellet: non odio, neque amicitiae quidquam tribuens, non parcens, aut miserescens, aut erubescens, aut exorabilis: aequus iudex, benevolus omnibus, eo usque, ut ne alteri tribuat plus quam par est: hospes in libris ac peregrinus, sui iuris, nullius imperio subditus, non quid huic vel illi placiturum sit cogitans, sed quid actum sit exponens.* Pryst.

**In rebus magnis*) Vix quidquam in historico vitiosius est quam si rebus maximis leviter tactis minuta quaeque persequatur, non aliter, inquit Lucianus, ac si quis Iovis Olympici maiestatem nec videat, nec laudet, neque ignaris explicet: sed subsellii rectitudinem, et crepidae concinnitatem admiretur, et studiosius exponat. Id.

Cuiusque vita atque natura) Vulgo *de cuiusque vita atque natura*. Praepositionem *de* eiiciendam esse recte iudicavit Pearcius.

Forensium) Guelf. A, *forensibus*; quod non asperner, si legas (omisso *sententiarum*), *et sine forensibus aculeis*. Sic Orat. cap. 19, Philosophorum oratio *neque nervos, neque aculeos oratorios ac forenses habet*.

Videtisne nulla) Male Ernesti ex edd. pr. reduxit *videtisne ulla*. Multis enim locis *videtisne* apud Ciceronem est idem ac *nonne videtis*.

rhetorum reperiantur? In eodem silentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes, consolationes, praecepta, admonita: quae tractanda sunt omnia disertissime; sed locum suum in illis artibus, quae traditae sunt, habent nullum.

16. Atque in hoc genere illa quoque est infinita silva, quod oratori plerique (ut etiam Crassus ostendit) duo genera ad dicendum dederunt: unum de certa definitaque causa, quales sunt, quae in litibus, quae in deliberationibus versantur; addat, si quis volet, etiam laudationes: alterum, quod appellant omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore, et sine persona, quaestionem. Hoc quid, et quantum sit, quum dicunt, intelligere mihi non videntur. Si enim est oratoris, quaecunque res infinite posita sit, de ea posse dicere; dicendum erit ei, quanta sit solis magnitudo, quae forma terrae; de mathematicis, de musicis rebus non poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, recusare. Denique ei, qui profitetur esse suum, non solum de iis controversiis, quae temporibus et personis notatae sunt, hoc est, de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quaestionibus dicere, nullum potest esse genus orationis, quod sit exceptum. Sed si illam quoque partem quaestionum

Quod oratori plerique) Guelf. A, B, C, *quod oratores plerique*.

Laudationes) Sic necessario cum Pearcio MSS. auctoritate scribendum. Antea *laudationis*.

* *Si enim est oratoris* etc.) In infinita causa versari non posse oratorem, probat inductione plurimarum artium, quae infinitas continent quaestiones ab usu oratorio remotissimas. Astrologia solis magnitudinem, geometria terrae figuram investigat, aliud aliae artes inquirunt; quorum pleraque oratorie, hoc est, fuse et ornate tractari non possunt. Prust.

Dicendum erit ei, quanta sit solis magnitudo) Guelf. A: *dicendum erit et quanta solis plenitudo.*

Notatae) Guelferbytani tres *notae*, ut vulgo. Sed *notatae* verum esse primus vidit Lambinus; idque Pearcius firmavit duobus locis in Partitionibus oratoriis, c. 18 et 30.

oratori volumus adiungere vagam et liberam, et late patentem, ut de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honestis aut turpibus, utilibus aut inutilibus, de virtute, de iustitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de ceteris virtutibus, contrariisque vitiis, dicendum oratori putemus; itemque de republica, de imperio, de re militari, de disciplina civitatis, de hominum moribus: assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus. Equidem omnia, quae pertinent ad usum civium, morem hominum, quae versantur in consuetudine vitae, in ratione reipublicae, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto; si minus, ut separatim de his rebus philosophorum more respondeat, at certe, ut in causa prudenter possit intexere; hisce autem ipsis de rebus ut ita loquatur, ut ii, qui iura, qui leges, qui civitates constituerunt, loquuti sunt, simpliciter et splendide, sine ulla serie disputationum, et sine ieiuna concertatione verborum. Hoc loco, ne qua sit admiratio, si tot tantarumque rerum nulla a me praecepta ponentur, sic statuo: Vt in ceteris artibus, quum tradita sunt cuiusque artis

Vt in ceteris artibus etc.) Totum hunc locum de Lambini et Heusingeri sententia ita conformavi, ut infinitivi *posse* *esse*, in verba recta mutarentur. Victorius edidit: *Vt in ceteris artibus, quum tradita sunt cuiusque artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sint, tradi non necesse* ESSE; *ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit*, POSSE *eum cuiusvis vel formae, vel aetatis, etiamsi non didicerit, pingere: neque* ESSE *periculum, qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit, neque* EST *omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte effici possunt, a doctore tradantur; sed qui primorum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua persequuntur; similiter arbitror* etc. Editiones Victoriana antiquiores eandem fere lectionem exhibent, hic ibi tamen corruptiorem. Velut Omniboni

difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sunt, tradi non necesse est; ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicit, potest eum cuiusvis vel formae vel aetatis, etiamsi non didicerit, pingere; neque est periculum, qui leonem, aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit; neque est omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte effici possunt, a doctore tradantur; sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua per se non incommode persequuntur: similiter arbitror, in hac sive ratione, sive exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut

editio sic: Vt in ceteris artibus quum tradita sint cuiusque artis difficillima, reliqua quia aut faciliora ut similia sunt cuiusque artis tradi non necesse esse: ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cuiusvis vel formae vel actoris (sic) etiam si non didicerit pingere, neque esse periculum, qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit; neque est omnino ars illa, in qua omnia, quae illa arte effici possint, a doctore tradantur. Sed velut qui primarum et ceterarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua persequuntur: Similia arbitror. — Pearcius infinitivos — *necesse* ESSE — POSSE eum — neque ESSE periculum — praetulit, quia in hac lectione conveniant edd. Mediol. Ven. Asc. Steph. Manut. Streb. item MSS. Cant. Mead. Wag. Harl. duo Gonv. Norf. Nov. Bal. Bod. et Ioan. scripsitque postea ex coniectura Lambini *neque enim est — reliqua non incommode persequuntur*, ita ut haec verba parentheseos signis includeret. Eandem rationem tenuit Ernesti, nisi quod in verbis *neque est omnino ars ulla*, particulam ENIM suppressit. Mihi autem infinitivis opus tantum esse videtur in apodosi similitudinis, et verba *sic statuo* repetantur in *similiter arbitror* ita, ut priora illa: *ut in ceteris artibus, — ut in pictura — neque est omnino ars ulla* Cicero pro certis et indubitatis habeat, reliqua *se statuere* et *arbitrari* dicat. Itaque ut in his recte infinitivus ponitur, *non plus quaesiturum esse;* in illis oratio recta ac definita scriptoris consilio aptius respondet. Ceterum quod Pearcius similem putavit constructionem in illo loco c. 14: *ut quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob caussam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer, sic — sentio orationem meam — colorari;* id secus est; hic enim utraque pars similitudinis necessario pendet a verbo *sentio*. Quod reliquum est, Guelferbytani B, C, (nam in A est lacuna ab initio capitis usque ad verba *similiter arbitror*) has lectiones ostendunt. In utroque est *quum tradita sunt — non necesse esse — neque enim est omnino.*

de republica, aut de ipsius rebus, aut de iis, contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant, ad suum arbitrium movere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quaesiturum esse, quid dicat, quam Polycletum illum, quum Herculem fingebat, quemadmodum pellem, aut hydram fingeret, etiamsi haec nunquam separatim facere didicisset.

17. Tum Catulus: Praeclare mihi videris, Antoni, posuisse ante oculos, quid discere oportet eum, qui orator esset futurus, quid, etiam si non didicisset, ex eo, quod didicisset, assumeret. Deduxisti enim hominem in duo solum genera causarum, cetera innumerabilia exercitationi, et similitudini reliquisti. Sed vide, ne in istis duobus generibus hydra tibi sit, et pellis, Hercules autem, et alia opera maiora, ne in illis rebus, quas praetermittis, relinquantur. Non enim mihi minus operis videtur de universis generibus rerum, quam de singulorum causis, ac multo etiam maius de natura deorum, quam de hominum litibus dicere.

Non est ita, inquit Antonius. Dicam enim tibi, Catule, non tam doctus, quam, id quod est maius, expertus. Omnium ceterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti, neque inexercitato, neque

Hunc in toto illo genere reliquarum orationum non plus quaesiturum esse quid dicat) Sic rescripsi pro vulg. *hunc de toto illo genere;* inepta enim est haec lectio, quia orator non quaerit, quid *de genere orationum* dicat, sed in aliquo genere orationum potest quaerere quid dicat.

Deduxisti enim hominem) Vulgo, *deduxisti enim totum hominem;* in quo ineptum illud *totum* resecui. Qui enim deducitur aliquo, non potest dimidius deduci. Lectio nonnullarum editionum *diduxisti* non placet.

Sed vide) Sic Guelf. B, C; bene. Vulg. *videto.*

Ceterarum rerum oratio) Guelf. B, *ceterarum rerum ratio.* C, *ceterarum ratio.*

Neque inexercitato neque communium literarum) Guelf. B, *n. i. nec omnium literarum.* Guelf. A, *neque in exercitatione communium literarum.*

communium literarum et politioris humanitatis experti; in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum; in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria iudicatur; ubi adest armatus adversarius, qui sit et feriendus et repellendus; ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus, aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est; quum aut docendus is est, aút dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam oratione moderandus; in quo saepe benevolentia ad

In causarum contentionibus — — — est utendum) Hunc locum ita malim constituere: « in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum; *in* quibus vis oratoris plerumque ab imperitis exit*u* et victoria indicatur; ubi adest armatus adversarius, qui sit et feriendus et repellendus; ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est; *in quo saepe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam deducendum est; qui quum* docendus est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus: omni ratione ad tempus, *a*d causam *est ratio moderanda;* quum *autem* tanquam machinatione aliqua tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus: *omni* sententiarum gravitate, *omnibus* verborum ponderibus est utendum. » Hoc modo verba: *ubi saepe — tibi est; in quo — deducendum est*, pertinent ad exordium; *qui quum docendus — est moderanda*, ad narrationem et confirmationem: denique illa, *quum autem — est utendum*, ad perorationem; atque ita tribus illis membris tria oratoris officia, indicem conciliandi, docendi, permovendi continentur. Praeterea concinnitas huius verborum comprehensionis longius excurrentis multo quam antea maior exsistit, sic enim duo ultima membra protasin et apodosin habent similiter conformatas.

* *Qui rei dominus futurus est*) Designantur iudices; singulari pro plurali posito.

Aut etiam amicus) Guelf. B, C, *aut et amicus*.

Is est, aut dedocendus) Haec Guelf. A in margine habet, B plane omittit.

Aut omni ratione ad tempus, ad causam oratione moderandus) Vehementer dubito, an recte dicatur *iudex ad causam oratione moderari*. Quare legendum arbitror, ut supra dixi: *omni ratione aut tempus, ad causam est oratio moderanda*, ita ut haec verba apodosin faciant protaseos: *qui quum aut docendus est — incitandus*. De oratione apte ad causam et ad tempus moderanda diligentissime praecipit Quintilian. Inst. orat. XI, 1, 46 sqq.

In quo saepe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam dedu-

odium, odium autem ad benevolentiam deducendum est; qui quum tanquam machinatione aliqua tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus; omni sententiarum gravitate, omnibus verborum ponderibus est utendum; accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tan-

cendum est. — Iam Ernesti senserat, haec verba hic loco non suo poni, putabatque post *contorquendus* ponenda. Ego vero post *inimicus tibi est* collocanda puto; quod vel init[illegible] membrorum *ubi saepe*, — *in quo saepe*, produnt; magis autem intimus orationis nexus confirmat; in utroque enim membro agitur de benevolentia iudicis per exordium conciliända.

Qui quum tanquam) Guelf. A, *qui ut tanquam.* — Hinc Heusingerus legendum opinabatur: *Quum autem docendus — aut tanquam machinatione — contorquendus: omnium* etc. Multo concinnius autem fit membrum sic enuntiatum: *quum autem tanquam machinatione aliqua — ponderibus est utendum.* Sic *pondera* in apodosi aptissime referuntur ad *machinationem* in protasi. Pro *omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus*, rescripsi *omni s. g. omnibus v. p.* nam non est omnibus sententiis, aut omnibus verbis in oratione locus.

* *Machinatione*) Vt tormentis machinisque bellicis quatiu[illegible] muri, capiuntur arces: sic affectibus commotis animi expugnantur. Pʀᴠsᴛ.

* *Actio — plena animi — plena veritatis*) *Actio* est *pronuntiatio et gestus*; hanc ait esse debere *plenam animi* h. e. non lenem, neque lentam, sed animatam et incitatam; *plenam spiritus*, qui sustinere possit vocis in eadem continuatione verborum plures contentiones ac remissiones; *plenam doloris*, h. e. quae animum oratoris tristitia, indignatione, misericordia commotum prodat; *plenam veritatis*, quae ostendat, hos animi motus in oratore veros, non fictos aut simulatos esse. Vltimum hoc Pearcius illustrat Quintiliani loco VI, 2 de Institut. Orat. ubi histrionum affectus falsos vocat, oratorum veros, additque, *nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus illum dolorem*, comparari praeterea iubet Cic. de Orat. c. 45, 46, 47 huius libri. Itaque minime admittenda est lectio ed. Omn. *plena severitatis.*

In his operibus) Glossam sapit, ni fallor, *operibus.* Aptius enim *in his* refertur ad *causarum contentionibus*, in quibus modo demonstratum erat magnum quoddam opus esse, et de humanis operibus longe maximum.

* *Si quis* etc.) Huius loci sententia est: Quemadmodum artifex, si quod est praecipuum ac difficillimum possit efficere, et statuam veluti ponere, de statuae ornamentis, ac levioribus operibus non laborabit: ita orator, si, quod in arte sua maximum est, assequutus fuerit, reliqua facile comprehendet. Pʀᴠsᴛ.

quam Phidias, Minervae signum efficere possit; non sane quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit.

18. Tum Catulus: Quo ista maiora ac mirabiliora fecisti, eo me maior exspectatio tenet, quibusnam rationibus, quibusve praeceptis ea tanta vis comparetur: non quo mea quidem iam intersit (neque enim aetas id mea desiderat, et aliud quoddam genus dicendi nos sequuti sumus, qui nunquam sententias de manibus iudicum vi quadam orationis extorsimus, ac potius placatis eorum animis, tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus); sed tamen ista tua, nullum ad usum meum, tantum cognoscendi studio adductus requiro. Nec mihi opus est graeco aliquo doctore, qui mihi pervulgata praecepta decantet, quum ipse nunquam forum, nunquam ullum iudicium adspexerit. Vt peripateticus ille dicitur Phormio; quum Hannibal Carthagine

**Phidias*) Celebris ebore sculpendo statuarius, praeter Iovem Olympium, quem nemo aemulatur, inquit Plinius lib. XXXIV, c. 8, fecit et ex ebore Minervam. Floruit Olympiade 83, ante Christum annis 648. Id.

Nan sane, quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora — laborabit) Vulgo: *non sane, quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit.* Optime Wyttenbachius (Bibl. Crit. vol. I, P. 1, p. 19): «Vitium, inquit, quod haud obscurum est, ut tolleret, operam dedit Pearcius inutilem: Ernestus correctionem proposuit, quae nobis quoque in mentem venerat, istam: — *non sane, quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit.* Phidias Minervae signum, grande atque magnificum opus, singulari arte perfecerat; quare quum hanc artem teneret, non ei erat laborandum atque sudandum, quomodo minora illa signa, quae in clypeo insculpenda erant, absolveret. Itaque verba *ut in clypeo idem ille artifex* referenda sunt ad *facere*, non ad *discat* nec ad *laborabit*; et tota sententia ita est accipienda: *non laborabit, quemadmodum minora illa opera facere discat, ut nec Phidias laboravit, quemadmodum minora illa signa in clypeo Minervae efficeret.* Sic de Polycleto supra c. 16.

Vt peripateticus ille dicitur Phormio) Mihi non videtur delendum esse *dicitur*, quod Ernestio placebat, sed subintelligendum ex consequentibus: *loquutus esse*, quibus verbis post interiectam longiorem protasin, *quum Annibal — non nolle dixisset*, recte

expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut eum, quem dixi, si vellet, audiret, quumque se non nolle dixisset; loquutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari. Tum, quum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret. Hic Poenus non optime graece, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule iniuria. Quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo romano omnium gentium victore certasset, graecum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi praecipiunt, videntur. Quod enim ipsi experti non sunt, id docent ceteros. Sed hoc minus fortasse errant, quod non te, ut ille Hannibalem, sed pueros, aut adolescentulos docere conantur.

19. Erras, Catule, inquit Antonius. Nam egomet

adiecit scriptor repetitum *dicitur*. Ceterum apud Stobaeum Serm. LII, Stoicus dicitur philosophus fuisse, quem Hannibal riserit, quia solum sapientem imperatorem esse (ὅτι ὁ σοφὸς μόνος στρατηγός ἦν) contenderit.

* *Antiochum*) Syriae regem, qui motus ab Annibale, Romanis bellum intulit anno V. C. 562, ante Christum 192, ac triennio post a L. Cornelio Scipione consule, eiusque fratre legato P. Cornelio Scipione Africano ingenti strage profligatus, pacem iniquis conditionibus redemit. (*Livius* etc.) Id.

Loquutus esse dicitur) Guelf. A abest *dicitur*.

Vt ille Hannibalem) Sic Pearcius e MS. Nov. Recte vulg. *ut Hannibalem*. Quod etsi Ernesti ad Antonium refert, q. d. *te tanquam aliquem Hannibalem in arte oratoria*, illud tamen aptius et simplicius est.

in multos iam Phormiones incidi. Quis enim est istorum Graecorum, qui quemquam nostrum quidquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita molesti sunt; facile omnes perpetior et perfero. Nam aut aliquid afferunt, quod mihi non displiceat: aut efficiunt, ut me non didicisse minus poeniteat. Dimitto autem eos non tam contumeliose, quam philosophum illum Hannibal, et eo fortasse plus habeo etiam negotii; sed tamen est eorum doctrina, quantum ego iudicare possum, perridicula. Dividunt enim totam rem in duas partes, in causae controversiam, et in quaestionis. *Causam* appellant, rem positam in disceptatione reorum et controversia: *quaestionem* autem, rem positam in infinita dubitatione. De causa praecepta dant: de al-

In causae controversiam et in quaestionis) Pearcius opinabatur legendum esse *in causae controversiam et in quaestionem*, ut est in MSS. Mead. et Harl. 2. (In Guelf. A, B, C est *quaestiones*). Errabat autem, quum putabat *controversiam* de *quaestione infinita* non dici. Nempe hoc vocabulum *controversiae* modo latius, modo angustius usurpatur. Quum latiore sensu ponitur, tam de *causa* proprie sic dicta, quam de *infinita quaestione* adhibetur; ut Cic. Rhetor. sive de Inv. I, 6. Sed fortasse h. l. spurium est vocabulum *controversiam*, quia statim in definitione alterius partis recurrit. Poterat Cicero scribere: *in duas partes, in causae et in quaestionis*, sc. partem.

Rem positam in disceptatione reorum et controversia) Vulg. *rem positam in disceptatione rerum et controversia.* Quod quum parum commode dictum sit, erat quum suspicarer legendum esse: *rem positam in disceptatione* CERTARUM *rerum et controversia.* Sic Cicero supra. c. 16, hoc genus ita descripserat: *unum de certa definitaque causa, quales sunt, quae in litibus, quae in deliberationibus versantur.* Idem genus appellatur lib. III, c. 18, *definita controversia* CERTIS *temporibus ac reis.* Rursus idem genus, quod causa appellatur Topic. c. 21 dicitur CERTIS personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cerni. Postea mihi placuit pro *rerum* legere *reorum;* rei enim sunt litigantes seu ii, quorum causa est. Idque Ernesti in MS. Erl. reperit. Neque vero id abhorret a Ciceronis consuetudine. Infra enim c. 43 disertis verbis ait: *reos autem appello, non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur.* Heusingero videbatur emendandum: *rem positam in disceptatione personarum et temporum controversia.* Lambinus autem legendum censuerat: *in disceptatione finita rerum controversarum.*

De altera parte dicendi) Lambi-

tera parte dicendi mirum silentium est. Denique quinque faciunt quasi membra eloquentiae, invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere ac pronuntiare; rem sane non reconditam. Quis enim hoc non sua sponte viderit, neminem posse dicere, nisi et quid diceret, et quo ordine, et quibus verbis diceret, haberet, et ea meminisset? Atque haec ego non reprehendo; sed ante oculos posita esse dico, ut eas item quatuor, quinque, sexve partes, vel etiam septem (quoniam aliter ab aliis digeruntur), in quas est ab his omnis oratio distributa. Iubent enim exordiri ita, ut eum qui audiat, benevolum nobis faciamus, et docilem et attentum; deinde rem narrare, ita ut verisimilis narratio sit, ut aperta, ut brevis; post autem dividere

nus delevit *dicendi*. Pearcio placebat *divisionis*, quod vocabulum hinc aberrasse putabat in locum alienum inter *in infinita* et *dubitatione*. Ernesti *dicendi* vel delendum, vel ad *praecepta daret* transponendum, censebat. Equidem hanc lectionem non ausim damnare. Quidni enim recte dicatur *partes dicendi*, ut *genera dicendi*, vel *opus dicendi*?

Mirum silentium est) Guelf. A, B omittitur *est*.

Denique quinque) Guelf. A, B, *deinde quinque*, quod εὐφωνίας causa placet.

Viderit) Olim in edd. pr. *videret*. Sed *viderit* est in Erl. Guelff.

Neminem posse dicere) Sic edd. Ven. Mediol. al. et multi Pearcii codd. Recte. Guelf. B, *neminem posse aperte dicere*. Guelf. C, *neminem posse apte dicere*.

Nisi et quid diceret, et quo ordine et quibus verbis diceret) Admisi transpositionem, quam Purgoldus suasit. Vulgo *et quibus verbis et quo ordine diceret*.

Vt eas item quatuor, quinque, sexve partes, vel etiam septem) Ernesti illud *quatuor* hic alienum esse putabat. Nam statim Cicero sex partes enumerat, ut de Inv. I, exordium, narrationem, divisionem, confirmationem, refutationem, perorationem. Alii, qui septem partes faciebant, addebant degressionem, antequam peroraretur. Eorum, qui quinque partes fecerint, rationem Cicero non magis hic exemplum posuit quam eorum, qui quatuor. Itaque Ernestiana observatio non eo valet, ut *quatuor* eiiciamos; eadem enim ratione posset omitti *quinque*. Ceterum in quatuor partes orationem dividit Cicero Partitt. oratorr. c. 8, exordium scil. narrationem, confirmationem, perorationem.

Post autem dividere) Gelf. A, *post aut dividere*.

causam, aut proponere; nostra confirmare argumentis, ac rationibus; deinde contraria refutare. Tum autem alii conclusionem orationis, et quasi perorationem collocant; alii iubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa, degredi, deinde concludere, ac perorare. Ne haec quidem reprehendo. Sunt enim concinne distributa; sed tamen, id quod necesse fuit hominibus expertibus veritatis, non perite. Quae enim praecepta principiorum et narrationum esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda. Nam ego mihi benevolum indicem facilius facere possum in cursu orationis, quam quum omnia sunt inaudita; docilem autem, non quum polliceor me demonstraturum, sed tum, quum doceo et explano; attentum vero, crebro tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denuntiatione efficere possumus. Iam vero narrationem quod iubent verisimilem esse et apertam et brevem, recte nos admonent. Quod haec narrationis magis putant esse propria, quam totius orationis, valde mihi videntur errare. Omninoque in hoc omnis est error, quod existimant, artificium esse hoc quoddam non dissimile ceterorum, cuiusmodi de ipso iure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat; ut

* *Expertibus veritatis*) Expertes veritatis dicuntur ii, qui veras causas forenses haud egerint, sed tantum in opere declamatorio iactati sunt.

* *Nam et ego mihi* etc.) Aberrat hic Antonius: etsi enim iudicis benevolentiam tota oratione debet orator aucupari, praecipue eam sibi conciliet in exordiis necesse est, quum vel auditor praeiudicatis in gratiam adversariorum opinionibus laborat, vel nondum bene erga nos videtur animatus. Pavst.

* *Attentum vero*) Immo tradunt nonnulli malae causae multum prodesse, si parum intelligatur: adeoque satius tum esse auditorem reddere non attentum, quam attentum. Falluntur: ineptit enim orator, qui ab oratione sua auditorem avertit: sapit autem, qui ab accurata rationum infirmarum consideratione avocat. Id.

* *Mihi videtur errare*) Tota haec Antonii ratiocinatio egregie refellitur a Caesare huius libri c. 80 etc. Id.

genera rerum primum exponerentur, in quo vitium est, si genus ullum praetermittatur; deinde singulorum generum partes, in quo, et deesse aliquam partem, et superare, mendosum est; tum verborum omnium definitiones, in quibus neque abesse quidquam decet, neque redundare. Sed hoc si in iure civili, si etiam in parvis aut mediocribus rebus doctiores assequi possunt; non idem sentio tanta hac in re, tamque immensa posse fieri. Sin autem qui arbitrantur, deducendi sunt ad eos, qui haec docent; omnia iam explicata et perpolita assequentur: sunt enim innumerabiles de his rebus libri, neque abditi, neque obscuri. Sed videant, quid velint: ad ludendumne, an ad pugnandum arma sint sumturi. Aliud enim pugna et acies, aliud ludus campusque noster desiderat. Attamen ars ipsa ludicra armorum et gladiatori et militi prodest aliquid; sed animus acer et praesens et acutus idem atque versutus invictos viros efficit, non difficilius arte coniuncta.

20. Quare ego tibi oratorem sic iam instituam, si potero, ut quid efficere possit, ante perspiciam. Sit

Decet) Manut. *debet*.

Omnia iam explicata et perpolita assequentur) Malim *nanciscentur*, vel, quod Schaefero in mentem venit, *apiscentur*. Nam *assequentur* hic non satis aptum est; et paulo ante praecessit alio sensu. In Guelf. A est *sequentur*.

* *Sed videant, quid velint*) Minime ex ed. Waldarf. recipiendum est *qui velint*; etsi Ernesti se repugnatorum negat. Is potius vulgatam eamque unice veram recte explicavit: « constituant secum, quo consilio ista discant, quid se consequuturos sperent. »

* *Ad ludendumne, an ad pugnandum*) Hoc est, an declamando tantum exerceri velint, an veras causas in foro agere.

* *Campusque noster*) Scil. campus Martius, ubi solebant cursu, lucta, pila aliisque id genus certaminibus se exercere.

Attamen) Guelf. B, C, *Ac tamen*.

Prodest aliquid) Guelf. B, C, *prodest* sine *aliquid*.

* *Non difficilius arte coniuncta*) H. e. non difficilius, quam si ars coniuncta fuerit; seu non difficilius per se, quam arte coniuncta. Itaque non opus est cum Ernestio correctionem circumspicere.

enim mihi tinctus literis; audierit aliquid, legerit, ista ipsa praecepta acceperit: tentabo quid deceat, quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua efficere possit. Si intelligam posse ad summos pervenire, non solum hortabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque mihi bonus videbitur, obsecrabo. Tantum ego in excellente oratore, et eodem viro bono, puto esse ornamenti universae civitati. Sin videbitur, quum omnia summa fecerit, tamen ad mediocres oratores esse venturus, permittam ipsi, quid velit; molestus magnopere non ero. Sin plane abhorrebit, et erit absurdus, ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo. Nam neque is, qui optime potest, deserendus ullo modo est a cohortatione nostra, neque is, qui aliquid potest, deterrendus; quod alterum, divinitatis mihi cuiusdam videtur; alterum, vel non facere, quod non optime possis, vel facere, quod non pessime facias, humanitatis; tertium vero illud, clamare contra quam deceat, et quam possit, hominis est, ut tu, Catule, de quodam declamatore dixisti, stultitiae suae quam plurimos testes

Non solum hortabor, ut elaboret) Guelf. A, *hortabor non solum, ut iam elaboret.*

Si vir quoque mihi bonus videbitur) Guelf. A, *si vir quoque bonus mihi videbitur* esse, haud scio an melius.

Et eodem viro bono, pono) Guelf. A, et *eodem bono viro, pono;* ad aurium sensum suavius, ne *bono, pono* deinceps collocentur. Ed. Omnib. autem habet *puto esse ornamenti*, quod fortasse melius. — Hanc lectionem revocavi, utpote veriorem, ut mihi videtur. Ed. Tayr.

* *Permittam ipsi*) Scilicet tolerabilis est in arte oratoria mediocritas: ut ait Horatius in Arte: — *Consultus iuris et Actor Causarum mediocris, abest virtute diserti Messalae, nec scit quantum Casselius Aulus: Sed tamen in pretio est.* Prvst.

Cum omnia summa fecerit) *Summe*, i. e. sedulo, obnixe, dedit Pearcius ex aliquot MSS. quibuscum consentit noster (et Guelf. A), placebatque etiam Gronovio. Vulgatum elegantius est, et mihi magis placet. Vid. Clav. in *Summus*. Ern.

Et quam possit) Ernesti correxerat *possis*, e contextu: sed lectio vulgata confirmatur a Guelf. A, B, C, testante Schützio. Ed. Tayr.

Declamatore) Guelf. A, *clamatore*. Sic Victor.

* *Stultitiae suae*) Sensus est: Ora-

domestico praeconio colligentis. De hoc igitur, qui erit talis, ut cohortandus adiuvandusque sit, ita loquamur, ut ei tradamus ea dumtaxat, quae nos usus docuit, ut nobis ducibus veniat eo, quo sine duce ipsi pervenimus, quoniam meliora docere non possumus.

21. Atque, ut a familiari nostro exordiar, hunc ego, Catule, Sulpicium primum in causa parvula adolescentulum audivi, voce et forma et motu corporis, et reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quaerimus, oratione autem celeri et concitata (quod erat ingenii), et verbis effervescentibus, et paulo nimium redundantibus (quod erat aetatis), non sum aspernatus. Volo enim se efferat in adolescente foecunditas. Nam sicut facilius in vitibus revocantur ea, quae sese nimium

tor absurdus, et ab eloquentia penitus abhorrens, quasi privatus praeco, sua voce, tanquam tuba, multos testes suae stultitiae convocat. Pryst.

Domestico praeconio) Guelf. B, C, *praeconio domestico.*

Hunc ego — Sulpicium primum) Lambinus et Pearcius corrigebant, *quum primum*, quia sic melius oratio cohaereat cum verbis ultimis, *non sum aspernatus.* Ernesti, si quid mutandum esset, malebat ut *primum.* Idem tamen vulgatam defendit sic, ut verba *primum in causa parvulo adolescentulum audivi* in parenthesi dicta acciperet. Sed istam parenthesin nil moror. Narratio potius directa est: *primum audivi — aptum — —; non sum aspernatus.*

**Volo enim* etc.) Quam in sententiam egregie Fabius lib. II, cap. 4: *Audeat*, inquit, *haec aetas plura, et inveniat, et inventis gaudeat; sint licet ista non satis interim sicca et severa. Facile remedium est ubertatis: sterilia nullo labore vincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum spei dabit, in qua ingenium iudicio praesumitur. Materiam esse primum volo vel abundantiorem, atque ultra quam oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deteretur, sit modo unde excidi possit, et quod exsculpi. Erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, et quam caelatura altior rumpat.* Pr.

Nam sicut facilius in vitibus) Optimam hanc scripturam tuetur Guelf. A. Vulg. *nam facilius, sicut in vitibus* — in quo Ernesti commata post *facilius* et *vitibus* sustulit.

Revocantur) Lambin. conj. *resecantur.* Quod cur Gruterus, qui saepe adversus Lambinum iniquior est, ridiculum dicat, non video. Non tamen opus est a vulgata discedere; nam etiam Palladius Febr. XII, 4, *vitem revocari* dixit, et hoc verbum bene opponitur τῷ *nimium se profundere.*

Quae sese nimium profuderunt)

profuderunt, quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitantur; ita volo esse in adolescente, unde aliquid amputem. Non enim potest in eo succus esse diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assequutum. Vidi statim indolem, neque dimisi tempus, et eum sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret esse ad dicendum; magistrum autem, quem vellet, eligeret; me quidem si audiret, L. Crassum. Quod iste arripuit, et ita sese facturum confirmavit, atque etiam addidit, gratiae scilicet causa, me quoque sibi magistrum futurum. Vix annus intercesserat ab hoc

Guelf. B, C, *quae se nimium profuderunt*, forsan melius.

Ita volo) Guelf. A, *idem volo.*

Succus esse diuturnus) Elegantior hic verborum ordo, quem Lambinus ascivit, et Pearceius ex MSS. compluribus, quam qui in edd. pr. *esse succus diuturnus.*

Vt forum sibi ludum putaret esse ad dicendum) Ad h. l. Ernesti: « Vulgo *discendum*, inquit, male. *Discere* intelligitur in ludo; quod odiicitur ludo, debet definire genus discendi. Et verbum hoc commune est *magistro*, qui statim sequitur. Intelligendus autem est magister *dicendi*, non *discendi*. Hac ratiocinatione repereram olim, rescribendum esse *dicendum*. Postquam edd. W. et s. l. et a. accepi, in utraque reperi, item in MS. Erl., et ed. Lips. » Hactenus ille. At Heusingerus postquam notavit, lectionem *dicendi* etiam in tribus Guelferbytanis reperiri, id tamen ait sibi ne sic quidem placere. « In forum veniebant, inquit, ad *dicendum*, in ludum ad *discendum*. Hortabatur igitur Antonius Sulpicium, ut forum sibi putaret ludum discendi. Sic Brut. c. 90: *non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt.* » Vtriusque sententiae momenta ita mihi videntur esse paria, ut vix habeam, cur alteram alteri praeferam. Fortasse neutrum scripsit Cicero. Nam satis, quid vellet, poterat intelligi, si scripsisset: *ut forum sibi ludum putaret esse, magistrum autem, quem vellet, eligeret.* Quod autem Heusingerus pro sententia sua hunc quoque locum advocavit ad Q. fratrem III, 4: *Haec scripsi a d. IX Kal. Nov. quo die ludi committebantur, in Tusculanum proficiscens, ducensque mecum Ciceronem meum in ludum discendi, non lusionis*, id frustra fecit. Hic enim necessario addendum erat *discendi* ad explicandam in vocabulo *ludi* ἀμφιβολίαν. Ceterum totum Antonii consilium de ludo et magistro in foro eligendo eo spectabat, ut Crassum frequenter audiret Sulpicius et se totum ad eius imitationem componeret. Omnino autem hunc morem, artem oratoriam in foro tanquam in ludo discendi, egregie collaudavit auctor de causis corr. eloq. c. 34.

sermone cohortationis meae, quum iste accusavit C. Norbanum, defendente me. Non est credibile, quid interesse mihi sit visum inter eum, qui tum erat, et qui anno ante fuerat. Omnino in illud genus eum Crassi magnificum atque praeclarum natura ipsa ducebat; sed ea non satis proficere potuisset, nisi eodem studio atque imitatione intendisset, atque ita dicere consuesset, ut tota mente Crassum, atque omni animo intueretur.

22. Ergo hoc sit primum in praeceptis meis, ut demonstremus, quem imitetur, atque ita, ut, quae

* *C. Norbanum*) Anno V. C. 660, ante Christum 94, C. Norbanus, quod tribunus plebis Q. Servilium Caepionem a Cimbris victum seditiosis concionibus ultra modum vexasset, reus maiestatis a P. Sulpicio Rufo iuvene peractus est. Hominis nocentissimi causam suscepit M. Antonius eius olim quaestor, et tum eloquentia sua, tum etiam equitum favore obtinuit. De hoc iudicio pluribus infra c. 48 disserit Antonius Sulpicium alloquens. PAVST.

Sed ea non satis proficere potuisset) « Libri quidam scripti et edd. *perficere;* male. *Proficere* est proprie *progredi*, quod h. l. optime convenit et tropo, quo coepit dicere. Quintil. I, 1, 36 : *prosequitur memoria ad senectutem et usque ad mores proficit.* » Hactenus Ernesti, et vere quidem ille.

Intendisset) Guelf. A, B, C, ed. Wald. Ald. Victor. al. *incidisset.* Ed. s. l. et a. *incepisset.* Lamb. conj. *incubuisset.* Recte autem Ernesti monuit, *intendere aliquo* esse usitatissimum hoc sensu, et optime convenire verbo *ducebat.*

Ut tota mente Crassum, atque omni animo intueretur) Guelf. A omittitur *omni.* Perperam. Quia enim mens est pars animi, plus facit, qui omni animo intuetur, quam qui mente sola. Itaque Sulpicius non solum mente Crassi eloquentiam observabat, sed etiam oculos, aures, imaginandi vim in eius actionem intendebat.

Ut demonstremus, quem imitetur) Suspectum est mihi *demonstremus.* Nam Antonius nusquam demonstrat, quem imitetur artis oratoriae studiosus. Sensus postulat, vel *ut deliberet, quem imitetur*, vel *ut diligenter videat, quem imitetur.* Sic in fine huius capitis, ubi ipsa illa duo, quae hic proponit, repetuntur: *qui autem ita faciet*, inquit, *ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo, deinde, quem probavit, in eo, quae maxime excellent, ea diligentissime persequatur.*

* *Quem imitetur*) *Necesse est*, inquit Fabius lib. X, c. 11, *aut similes aut dissimiles bonis simus: similem raro natura praestat, frequenter imitatio.* Prudenter idem paulo post monet, in hoc imitationis onere suscipiendo suas cuique vires esse consulendas: *Nam quaedam sunt inimita-*

maxime excellent in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur. Tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat, non ut multos imitatores saepe cognovi, qui aut ea, quae facilia sunt, aut etiam illa, quae insignia ac paene vitiosa, consectantur imitando. Nihil est facilius, quam amictum imitari alicuius, aut statum, aut motum. Si vero etiam insigne aliquid est,

bilia, quibus aut infirmitus naturae non sufficiat, aut diversitas repugnet. Nec cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat, et elegantiam, quam cupit, non assequatur. PRVST.

Excellent) Sic Guelf. A; recte. Vulg. *excellant.* At in eadem constructione *excellent* recurrit hoc ipso capite extr. Sed valde vereor, ne tota haec particula: *atque ita, ut, quae maxime excellent in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur,* hic interpolata sit. Nam hoc praeceptum de recta ratione imitandi continetur demum his verbis: *Tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat*, et quae sequuntur. Itaque si legas: *Ergo hoc sit primum in praeceptis meis, ut diligenter videat, quem imitetur. Tum accedat exercitatio* etc. nihil plane ad absolutionem totius sententiae desideres. Et hanc quidem rationem nostram optime tuetur similis Quintiliani locus X, 2, 14: *Quapropter exactissimo iudicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia. Primum, quos imitemur. Nam sunt plurimi, qui similitudinem pessimi cuiusque et corruptissimi concupierint. Deinde in iis ipsis, quos elegerimus, quid sit, ad quod efficiendum nos comparemus. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam reprehensa.*

In eo, quem imitabitur) Guelf. A, *in eo genere, quod imitabitur.*

Quem ante delegerit) Guelf. A, B, C omittunt *ante*, non male. —

Atque ita exprimat) Guelf. A, *atque exprimat*, omisso *ita.* Guelf. B, C, *atque exprimat; ita ut multos.* — In Guelf. A, item in MS. Erl. omittitur totus hic locus: *non ut multos — imitari etiam vitia voluit.*

Non ut multos imitatores saepe cognovi — qui — consectantur imitando) «Edd. W. et s. l. et a. *consectentur.* Sic et edidit Melanchthon. Fuit fortasse *consectarentur*, ut esse debet, sicut ante *essent* pro *sunt*, si ista pendent e *cognovi*, intelligendumque est de imitatoribus iis, quos ipse se dicit cognovisse. Si ad genus universum imitatorum refertur, quasi esset, *non ut imitatores, quos multos saepe cognovi*, stare vulgatum potest.» ERN. *Consectentur imitando* habent etiam Guelf. B, C. Indicativum autem recte defendit Heusingerus ad Cic. de off. I, 30, 15.

Si vero etiam insigne aliquid est, id sumere, et in eo vitiosum esse, non magnum est) Vulgo: *si vero etiam vitiose aliquid est, id sumere et in eo*

id sumere, et in eo vitiosum esse, non magnum est; ut ille, qui nunc etiam, amissa voce, furit in republica Fufius, nervos in dicendo C. Fimbriae, quos tamen habuit ille, non assequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur. Sed tamen ille nec deligere scivit, cuius potissimum similis esset, et in eo ipso, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit. Qui autem ita faciet, ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo; deinde, quem probavit, in eo, quae maxime excellent, ea diligentissime persequatur.

23. Quid enim causae censetis esse, cur aetates extulerint singulae singula prope genera dicendi? quod non tam facile in nostris oratoribus possumus iudicare, quia scripta, ex quibus iudicium fieri posset, non multa sane reliquerunt, quam in Graecis; ex quorum scriptis, cuiusque aetatis quae dicendi ratio voluntasque fuerit, intelligi potest. Antiquissimi fere sunt, quorum

vitiosum esse non magnum est. In hac lectione *vitiosa* manifeste corruptum est. Saltem scribendum esset cum Strebaeo, Manutio, Lambino, *vitiosi.* Tum autem inepte diceretur, *in vitioso vitiosum esse.* Itaque quum antea dictum esset, imitatores aut *facilia*, aut *insignia ac paene vitiosa* imitari, quid aptius quam h. l. ut fecimus, rescribere: *Si vero etiam insigne aliquid est, id sumere et in eo vitiosum esse, non magnum est.* Hoc nimirum est illud quod Quintilianus in huiusmodi imitatoribus observavit, quum loco supra laudato subiungit: atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam *mala peius* dicunt; hi scilicet sunt in insignibus vitiosi. Fortasse tamen sic scripsit Cicero: *Si vero etiam vitiosi aliquid est, id sumere et in eo insignem esse, non magnum est.* Et hoc est quod Quintilianus dixit *in peius notabile* Inst. or. I, 3, 1.

Furit in republica Fufius) Vulgo, *f. in rep. Fusius.* Ernesti fidenter *Furius* reposuit, scilicet quia illum lusus in nomine *Furius furit* delectabat, qui nobis quidem nimium frigidus videtur. Sed recte arbitratus est Pearcius h. l. *Fufius* legendum esse; cui assentitur etiam Heusingerus, ac procul dubio intelligitur ille L. Fufius, qui inter aequales Sulpicii et Cottae nominatur in Bruto c. 49, et qui M. Aquillium accusaverat repetundarum, defendente M. Antonio.

C. Fimbriae) Intelligitur is, qui in Bruto c. 34 perhibetur fuisse accusator truculentus, asper, maledicus, genere toto paulo fervidior atque commotior.

quidem scripta constent, Pericles atque Alcibiades, et eadem aetate Thucydides, subtiles, acuti, breves, sententiis magis, quam verbis abundantes. Non potuisset accidere, ut unum esset omnium genus, nisi aliquem sibi proponerent ad imitandum. Consequuti sunt hos Critias, Theramenes, Lysias. Multa Lysiae scripta sunt, nonnulla Critiae; de Theramene audimus. Omnes etiam tum retinebant illum Pericli succum; sed erant paulo uberiore filo. Ecce tibi exortus est Isocrates, cuius e ludo, tanquam ex equo Troiano, meri principes exierunt; sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt. Itaque et illi, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratae multique alii naturis differunt; voluntate autem similes

* *Pericles atque Alcibiades*) De Oratoribus tum graecis, tum latinis, qui passim hic laudantur, consulendus est Brutus, quo in libro Tullius oratores omnes, quorum exstat memoria, recenset. Pavst.

De Theramene audimus) Sic Guelf. A, probante Heusingero; cf. eius notam ad Cic. de offic. I, 6, 5. Vulgo *de Theramene audivimus.*

Omnes etiam tum retinebant illum Pericli succum; sed erant paulo uberiore filo) Ernesti monuit hos tropos non bene consentire. Recte quidem, si *uberiore filo* a textura, *succum* autem a corpore humano sumtum esse dicas. Sed haud scio an *succum* h. l. de colore, quo inficitur lana, liceat accipere. Purpurae colorem Plinius nobilem succum appellat. Quod si placeat, habebis metaphoram recte continuatam.

Ecce tibi exortus est Isocrates) Ineptum ac futile glossema (quamvis satis antiquum, habet enim Nonius voc. *merum*), *magister istorum omnium*, quod hic in MSS. et edd. sequebatur, delevi; idque iam Lambino et Ernestio visum est spurium.

Meri principes) Hanc lectionem e Nonio (voc. *merum*) iam Victorius restituit. Nam *innumeri principes*, quod est in edd. pr. abhorret a veritate et sententia scriptoris. Vt enim ex equo Troiano non innumeri heroes prodiere, sed viri delecti, iique Graecorum fortissimi, adeoque meri principes; sic ex schola Isocratis meri principes oratores exierunt. *Innumeri* habent etiam codd. Guelf. A, B, C.

Sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt) *In pompa* est in genere scribendi historico et ἐπιδεικτικῷ, *in acie* vero in causis forensibus.

Voluntate autem similes sunt et inter sese, et magistri) Sic Pearcius ex edd. pr. et codd. compluribus. Vulgatam *et inter sese magistri* Gruterus frustra defendit. *Voluntate* non solum ad scribendi genus referen-

sunt et inter sese, et magistri; et ii, qui se ad causas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus, aliique complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis genere versati, quorum quandiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit; posteaquam, exstinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem aiunt sororis filium fuisse Demostheni; tum Phalereus ille Demetrius, omnium istorum, mea sententia, politissimus, aliique eorum similes exstiterunt. Quae si volemus usque ad hoc tempus persequi, intelligemus, ut hodie Alabandensem illum Meneclem, et eius fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitetur Asia; sic semper fuisse aliquem, cuius se similes plerique esse vellent.

Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis, tum

dum, sed omnino ad istam similitudinem, quae inter illos, Theopompum, Ephorum, Philistum, Naucratem, et horum magistrum Isocratem intercedebat, quod omnes a causis forensibus abstinerent, atque, ut Cicero ait, in pompa, non in acie illustres esse vellent.

Tamen sunt omnes in eodem veritatis genere versati) Pearcius ex uno cod. MS. edidit: *tamen sunt omnes in eodem virtutis imitandae genere versati*; quum in ceteris MSS. et edd. esset *in eodem veritatis imitandae genere*. Sed bene Ernesti defendit *veritatis*; idem tamen nimis patienter toleravit *imitandae*. Veritas enim h. l. de veris causis forensibus accipienda; non, ut Ernesti putabat, de *vera et una probanda ratione dicendi*. Hanc veritatem suscipit orator, non imitatur. *Imitandae* ex librarii errore, qui in sequens *imitatio* oculis incidisset, aut ex scholio Grammatici nexum verborum haud capientis ortum. Itaque ne opus quidem est cum Ruhnkenio *tutandae veritatis* reponere. Cf. Wyttenbach. in bibl. crit. vol. I, part. 1, pag. 24.

Demostheni) Ita Gronov. e cod. Ox. Vulg. *Demosthenis*.

* *Meneclem, et — Hieroclem*) Illustrissimos Asiae oratores, quos quum audierit Antonius, ipseque Tullius puer, ut tradit in Bruto cap. 8, floruisse oportet circa annum V. C. 660, ante Christum 104. PRYSZ.

scribendo maxime persequatur. Quod si hic noster Sulpicius faceret, multo eius oratio esset pressior; in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est.

Hic Sulpicius, Me quidem, inquit, recte mones, idque mihi gratum est; sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror.

Tum ille, Quasi vero, inquit, non ea praecipiam aliis, quae mihi ipsi desint; sed tamen ne tabulas qui-

In qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est) Verbum *dicere* hic a mala manu accessisse putat Hensingerus, quem vide ad Cic. de Offic. III, 17, 2. Mihi tamen servandum videtur, sic ut legatur: *in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere* DE *summa ubertate, inest luxuries quaedam.* Nempe *luxuriosa frumenta*, *luxuriantes herbas* rustici appellabant, quae se nimium profunderent. Infra lib. III, c. 38: *Nam gemmare vites, luxuriem esse in herbis, laetas segetes etiam rustici dicunt*; item Orat. c. 24, rusticorum ait esse Cicero *gemmare vites*, *sitire agros*, *laetas esse segetes*, *luxuriosa frumenta.* Stilo autem depascere luxuriem orationis est ambitiosa ornamenta litura coërcere.

Inest luxuries) At Cicero lib. de claris oratoribus ait, huius Sulpicii stilum esse pressum ac concisum. Nempe orationem adolescentis redundantem ac dissipatam subinde coërcuerat aetas maturior. PRVST.

quae mihi ipsi desint) Sic Guelf. A, Erl. Vulgo *desunt*; quod habent Guelf. B, C. Heusingerus, qui saepe indicativum in huiusmodi constructionibus recte adversus Ernestium defendit, hic quoque eum probasse videtur, quia in schedis ascripsit locum e Bruto c. 66: *ut ea, quae deerant, non desiderarentur.* Sed hic tamen *desint* praetulerim; non ex Ernestii ratione, quia pendeat a *praecipiam*, sed quia *desint* h. l. idem est ac *quae mihi forte desint*, aut *quae mihi ipsi deesse possint.*

Sed tamen ne tabulas quidem conficere existimor) Ernesti hoc sic accepit, q. d. Antonius, ex re sua familiari bene constituta intelligi posse, non malo consilio se tabulas non conficere. Immo potius Antonius hoc significat, falso existimari se tabulas acceptorum et expensorum non conficere. Contrarium enim ex re sua familiari iudicari posse.

* *Sed tamen* etc.) Haec est Antonii sententia. Non tamen sum in scribendo tam negligens, quam dicis. Quemadmodum enim existimor non conficere tabulas, quas tamen a me confici satis probat res mea familiaris recte administrata: sic scribendi exercitationem penitus a me non omitti, satis declarat haec mea, quantulacumque est, dicendi facultas et copia,

dem conficere existimor. Verum et in hoc, ex re familiari mea, et in illo, ex eo, quod dico, quantulum id cunque est, quid faciam iudicari potest. Atque esse tamen multos videmus, qui neminem imitentur, et suapte natura, quod velint, sine cuiusquam similitudine recte consequantur; quod et in vobis animadverti potest, Caesar, et Cotta; quorum alter inusitatum quidem nostris oratoribus leporem quendam et salem, alter acutissimum et subtilissimum dicendi genus est consequutus. Neque vero vester aequalis Curio, patre, mea sententia, vel eloquentissimo temporibus illis, quemquam mihi magnopere videtur imitari; qui tamen verborum gravitate et elegantia et copia, suam quandam expressit quasi formam figuramque dicendi: quod ego maxime potui iudicare in ea causa, quam ille contra me apud centumviros pro fratribus Cossis dixit; in qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet.

24. Verum, ut aliquando ad causas deducamus illum, quem instituimus, et eas quidem, in quibus plusculum negotii est, iudiciorum, atque litium (riserit aliquis fortasse hoc praeceptum; est enim non tam acutum, quam necessarium, magisque monitoris non fatui, quam eruditi magistri); hoc ei primum praecipiemus, quascunque causas erit acturus, ut eas diligenter, penitusque cognoscat. Hoc in ludo non praecipitur. Faciles enim causae ad pueros deferuntur. Lex peregrinum vetat in murum ascendere; ascendit;

quam videlicet nunquam, nisi crebro multumque scribendo, assequutus essem. PRVSTEVS.

* *Ne tabulas quidem conficere*) Veteres Romani tabulas rei familiaris suae conficere solebant: qui eas non conficerent, suarum rerum negligentiores putabantur. De tabulis domesticis Romanorum vide Testim. Asconii in lex. Hoffmanni tom. IV. PEARCIVS.

Quem instituimus) Hoc recte Ernesti dedit, pro vulg. *constituimus*, quod etiam in tribus Guelf. legitur,

hostes repulit; accusatur. Nihil est negotii huiusmodi causam cognoscere. Recte igitur nihil de causa discenda praecipiunt. Haec est enim in ludo causarum fere formula. At vero in foro tabulae, testimonia, pacta, conventa, stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in causa versantur, tota cognoscenda est; quarum rerum negligentia plerasque causas, et maxime privatas (sunt enim multo saepe obscuriores), videmus amitti. Ita nonnulli, dum operam suam multam existimari volunt, ut toto foro volitare, et a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. In quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiae, susceptis rebus, vel perfidiae, receptis; sed etiam illa maior opinione, quod nemo potest de ea re, quam non novit, non turpissime dicere. Ita dum inertiae vituperationem, quae

* *Ita nonnulli — assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt tarditatis*) Huius loci sensum nec Strebaeus, nec Pearcius, nec Ernestius satis explanasse videntur. Id autem ambiguitati vocabulorum *inertiae* et *tarditatis* tribuendum. Nos Antonii sententiam sic intelligimus: Sunt nonnulli, qui operam suam multam existimari volunt, ut toto foro volitare et a causa ad causam ire videantur, atque ut laudem alacritatis cuiusdam strenuae adipiscantur, tarditatis autem in rebus agendis vituperium effugiant. Hac festinatione et πολυπραγμοσύνῃ efficitur, ut ipsis necesse sit causas incognitas dicere. Ex quo consequitur, ut illas causas turpissime dicant; ac non solum inertiam prodant, sed etiam in suspicionem *tarditatis* incurrant. Itaque ut ma... an illam offensionem, vel negligentiae susceptis, vel perfidiae receptis rebus, praeteream, hoc certe istis oratoribus molestissimum esse debet, quod, dum inertiae vituperationem, quae maior est, contemnunt (causas scil. incognitas dicendo), assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis; ii enim quorum causas, quia eas non satis cognitas et perspectas habebant, turpiter dixere, hoc patronorum tarditati et pigritiae tribuunt, quippe qui noluerint diligentiae et industriae satis in causis recte cognoscendis ponere. Quod autem inertiae vituperationem maiorem dicit illa tarditatis, ex eo est, quod tarditas cum sollertia coniuncta bene res suas agere potest; inertia vero, sive celerius, sive tardius agat, nihil efficere potest, quod placeat.

* *Inertia*) a Verburgio interpretatur; artis ignorantia, quae in oratore sane est vitium maximum. Verb.

maior est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis. Equidem soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, et, ut ne quis aliud adsit, quo liberius loquatur, et agere adversarii causam, ut ille agat suam, et, quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque quum ille discessit, tres personas unus sustineo summa animi aequitate, meam, adversarii, iudicis. Qui locus est talis, ut plus habeat adiumenti, quam incommodi, hunc iudico esse dicendum: ubi plus mali, quam boni reperio, id totum abiudico atque eiicio. Ita assequor, ut alio tempore cogitem, quid dicam, et alio dicam; quae duo plerique, ingenio freti, simul faciunt. Sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent.

25. Quum rem penitus causamque cognovi, statim occurrit animo, quae sit causa ambigendi. Nihil est enim, quod inter homines ambigatur: sive ex crimine causa constet, ut facinoris; sive ex controversia, ut hereditatis; sive ex deliberatione, ut belli; sive ex disputatione, ut de ratione vivendi; in quo non aut

Quae sit causa ambigendi) Optimam hanc lectionem praebent codd. Guelf. B, C. Vulgo, *quae sit causa ambigui*. Atqui de *ambiguo* s. ἀμφιβολία hic non agitur, sed de causa controversiae *ambigere*, est *disceptare*; ut paulo post et c. 26, it. III, 29.

Sive ex deliberatione ut belli) Hic vulgo adduntur verba *sive ex persona ut laudis*. Haec quamquam omittuntur in cod. Guelf. A, tamen id me non moveret, ut omittenda esse putarem, nisi essent eiusmodi, ut hic locum habere cum ratione non possent. Nam in ceteris omnibus, quae hic afferuntur, dicendi generibus ambigitur aliquid; in causa criminis, factumne sit ab aliquo, quod arguitur, an secus; in controversia civili, hereditasne iure ad aliquem perveniat, an non; in deliberatione, bellumne aliquod gerendum sit, an omittendum; denique in disputatione, quaenam ratio vivendi melior sit, ea quae ad honestatem dirigatur, an quae ad voluptatem? Quid autem potest ambigi in laudatione? Praeterea non memini dici *causam ex persona constare*.

quid factum sit, aut fiat, futurumve sit, quaeratur, aut quale sit, aut quid vocetur. Ac nostrae fere causae, quae quidem sunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. Nam et de pecuniis repetundis, quae maximae sunt, neganda fere sunt omnia; et de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione seiungere. De sicariis, de veneficiis, de peculatu, infitiari necesse est. Id est igitur genus primum causarum in iudiciis, ex controversia facti. In deliberationibus plerumque ex futuri, raro ex instantis, aut facti. Saepe autem res non, sit, necne, sed *qualis* sit, quaeritur: ut quum L. Opimii causam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat; sed id iure, pro salute patriae, factum esse dicebat; ut eidem Carboni tribuno plebis, alia tum mente rempublicam capessenti, P. Africanus de Ti. Graccho interroganti, responderat, iure caesum videri. Iure autem omnia defenduntur, quae sunt eius generis, ut aut oportuerit, aut licuerit, aut necesse fuerit, aut imprudentia, aut casu facta esse videantur. Iam *quid vocetur*, quaeritur, quum, quo verbo quid appellandum sit,

* *De ambitu*) Difficile est, inquit Antonius, in causa de ambitu, quo quis ad magistratus obtinendos suffragia civium malis artibus quaerit, ita reum defendere, ut fatearis largitionem quidem ab illo factam esse, verum non ad emenda suffragia populi, sed liberalitatis tantum ac benignitatis ergo. *Quare praestat inficiatione uti, ac negare penitus ullam largitionem esse factam. Pavst.

Ac benignitatem) omittitur Guelf. A.

Atque largitione) Guelf. B, C, *atque a largitione*.

Raro) Vulg. add. *etiam*. Id ut superfluum delevi auctoritate cod. Guelf. *A*.

* *L. Opimii causam*) Anno V. C. 633, L. Opimius consul C. Gracchum in tertii tribunatus plebis petitione repulsum, ac vim parantem oppressit. Consulatu perfunctus, a P. Decio tribuno plebis accusatus est maiestatis, quod cives indemnatos occidisset: verum a C. Carbone defensus, frequentibus suffragiis est absolutus. (*Livii epitome*). Pavst.

* *Norbani causa*) De Norbano dictum ad cap. 21.

contenditur: ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa summa contentio. Pleraque enim de iis, quae ab isto obiiciebantur, quum confiterer, tamen ab illo maiestatem minutam negabam; ex quo verbo, lege Apuleia, tota illa causa pendebat. Atque in hoc genere causarum nonnulli praecipiunt, ut verbum illud, quod causam facit, lucide breviterque definiatur. Quod mihi quidem perquam puerile videri solet. Alia est enim, quum inter doctos homines de iis ipsis rebus,

Maiestatem minutam) Recte Pearcius e MSS. quatuor hoc revocavit. Vulg. *maiestatem imminutam* non est consuetudinis Ciceronianae.

* *Lege Apuleia*) Anno V. C. 652, ante Christum 102, L. Apuleius Saturninus tribunus plebis legem de maiestate tulit, ut coniicit Pighius, occasione motuum, qui Romae concitati sunt, quum Cimbri superatis Alpibus ad Athesim fluvium Q. Catuli proconsulis exercitum invaderent, et equites romani, praesidiis suis pulsi, Vrbem pavidi repeterent. Ex tam turpi fuga, et ipsa civium trepidatione, maxima videbatur imminuta pop. Rom. maiestas. PRVST.

Quod causam facit, lucide breviterque definiatur) Guelf. A, *quod causam facit breviterque de rebus definiat.* Guelf. B, *quod causam facit absolute breviter uterque definiat.* Guelf. C, *quod causam facit breviter uterque definiat.* Edd. pr. *quod causam facit breviter uterque definiat. Vterque* videtur ortum ex clausula verbi *breviterque.* Itaque illud cum Ernestio omittendum duxi, et pro *definiat* rescribendum *definiatur.* Sed praeterea ex cod. Guelf. B praeoptaverim lectionem *absolute breviterque definiatur*: nisi melius fuerit tria ista coniungere, *lucide, absolute, breviterque definiantur.* Est enim secundum Quintilian. Inst. or. VII, definitio: *rei propositae propria et dilucida et breviter comprehensa verbis enuntiatio.* Quod ille *proprium* in definitione dicit, id Ciceroni esset *absolute* definire. Et quod Antonius paulo post ait in definitione vim eius rei, quam definias, sic exprimi, ut neque *absit* quidquam, nec *supersit*, id h. l. describeretur verbis absolute, breviterque definire. In absoluta definitione nihil abest, in brevi nihil superest.

* *Alia est enim* etc.) Quum de aliqua re inter se disceptant eruditi, adeo accuratam adhibent definitionem, ut neque desit quidquam, neque supersit, v. gr. artem definient, ut Cicero lib. I de Orat. cap. 20: *Quae cognitis penitusque perspectis, et in unum exitum spectantibus, et nunquam fallentibus rebus continetur.* Legem dicent esse regulam morum, stabilem, ex superioris auctoritate consociationi hominum atque communitati ad ipsius bonum impositam: civitates appellabunt coetus hominum iure sociatos. Verum in foro ad multitudinis captum fusius explicantur definitiones. Eiusmodi est Tullii lib. II de Legibus, legis definitio: *Lex est iustorum iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem*

quae versantur in artibus, disputatur, verborum definitio: ut, quum quaeritur, quid sit ars, quid sit lex, quid sit civitas. In quibus hoc praecipit ratio atque doctrina, ut vis eius rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam, neque supersit. Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus sum. Nam, quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset maiestatem minuere. Etenim definitio primum reprehenso verbo uno, aut addito, aut demto, saepe extorquetur e manibus: deinde genere ipso doctrinam redolet exercitationemque paene puerilem; tum in sensum, et in mentem iudicis intrare non potest. Ante enim praeterlabitur, quam percepta est.

26. Sed in eo genere, in quo, quale sit quid, ambigitur, exsistit etiam *ex scripti interpretatione* saepe contentio, in quo nulla potest esse, nisi ex ambiguo, controversia. Nam illud ipsum, quum scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui; quod tum explicatur, quum ea verba, quae desunt, suggesta sunt; quibus additis defenditur, sententiam scripti perspicuam fuisse; et ex contrariis scriptis si quid ambigitur, non novum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur. Idque aut nunquam diiudi-

expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt et tuentur bonos. PAVST.

Etenim definitio — e manibus) Quintil. Inst. or. VII, 3, 16: « Rarissima apud eos (oratores) reperietur illa ex consuetudine philosophorum ducta servitus (est enim certe servitus) ad certa verba se adstringendi. Idque faciendum in libris Ciceronis *de oratore* vetat M. Antonius. Nam est etiam periculosum, quum, si in uno verbo sit erratum, tota causa cecidisse videamur. »

Tum in sensum) Ernesti dedit *tum et in sensum* ex edd. pr. et MS. Erl. Sic etiam MS. Guelf. A. Mihi id h. l. superfluum videtur.

Idque aut nunquam) Sic recte Pearcius et Ernesti e MSS; accedunt tres Guelff. Olim *itaque aut nunquam*.

cari poterit, aut ita diiudicabitur, ut referendis praeteritis verbis, id scriptum, quodcumque defendimus, suppleatur. Ita fit, ut unum genus in iis causis, quae propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambigue. Ambiguorum autem quum plura genera sunt, quae mihi videntur ii melius nosse, qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeant; tum illud est frequentissimum in omni consuetudine vel sermonis, vel scripti, quum ideirco aliquid ambigitur, quod aut verbum, aut verba sint praetermissa. Iterum autem peccant, quum genus hoc causarum, quod in scripti interpretatione versatur, ab illis causis, in quibus, qualis quaeque res sit, disceptatur, seiungunt. Nusquam enim tam quaeritur, quale sit genus ipsum rei, quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est. Ita tria sunt omnino genera, quae in disceptationem et controversiam cadere possunt: Quid fiat, factum, futurumve sit; aut: Quale sit; aut: Quomodo nominetur. Nam illud quidem, quod quidam Graeci adiungunt, Rectene factum sit, totum in eo est, quo, Quale sit, quaerimus. Sed iam ad institutum revertar meum.

Vt referendis praeteritis verbis) Guelff. A, C, *ut de referendis p. v.* Guelf. B, *aut de referendis p. v.*

Quodcumque defendimus) Guelf. A, *quodcumque proferimus, vel defendimus*, Guelf. B, *quodcumque proferamus vel defendamus*. In quibus *proferimus* vel *proferamus* interpolatori debetur. Futurum autem tempus in *defendemus* placet; quia praecessit *diiudicabitur*.

Quum plura genera) Sic Pearcius e MSS. Vulg. *complura genera*. Illi lectioni favent Guelff. B, C.

Debeant) Sic etiam Guelf. A, B, C. Ernesti conj. *debebant*.

Iterum autem peccant) Guelf. A omittitur *autem*.

Nam illud quidem) Sic recte Guelf. B, C omisso *et* ante *illud*. Iidem codd. omittunt *quidem*, ne hic quidem male.

Quo, quale sit, quaerimus) Sic rescripsi sensu postulante pro vulg *quod quale sit quaerimus*.

* *Ad institutum*) Redeo, inquit Antonius, ad id quod dicendum mihi proposui, nempe ut doceam vos, quid maxime in agendis causis spectare soleam. Prvst.

27. Quum igitur, accepto causae genere et cognito, rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam, quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quae sit propria quaestionis et iudicii. Deinde illa duo diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram, aut eorum, quos defendimus; alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos. Ita omnis ratio dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut probemus vera esse ea, quae defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; ut animos eorum, ad quemcunque causa postulabit motum, vocemus.

Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies: una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, sed in re positae, ratione tractantur; ut tabulae, testimonia, pacta, conventa, quaestiones, leges, senatusconsulta, res iudicatae, decreta, responsa, et reliqua, si quae sunt, quae non reperiuntur ab ora-

Quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quae sit propria quaestionis et iudicii) Malim: *quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis oratio, proprium quaestionis et iudicii.* In Guelf. A est, *quam quod mihi sit referenda verbis illa oratio.*

Deinde illa duo) Cur h. l. suspectum habuerit Ernesti pronomen *illa*, quia sequatur *quorum alterum*, non assequor.

Vera esse ea) Guelf. B, C abest *ea*.

Vna rerum earum, quae — in re positae) Guelf. B, *in re posita*, quod placuit Heusingero, quemadmodum in Cic. Off. II, 4, 3, e Guelferbytanis duobus codd. edidit *ex rebus iis, quae sunt inanima*, ubi etiam Sallustii locum ad partes vocavit Iugurth. 41, 1: *abundantia earum rerum, quae prima mortales putant.* Quod autem Pearcio videbatur legendum *proposita*, id ab h. l. alienum est. Neque vero *in re positae* aliud est, quam *inhaerentes in rei natura* c. 39; tantum abest, ut haec duo cum Pearcio contraria putemus.

* *Vt tabula testimonia* etc.), Locos rhetorum extrinsecos quinque numerat Aristoteles, leges, testes, pacta, quaestiones, et iuramenta. Frustra hic augentur ab Antonio, quum tabulae, senatusconsulta, res iudicatae, et decreta ad leges, responsa autem ad testimonia referri possint. Verum de locis disserendi proprius erit in Topicis locus. PRVST.

Reperiuntur) Sic Guelf. A, B. At

tore, sed ad oratorem a causa, atque a reis deferuntur; altera est, quae tota in disputatione, et argumentatione oratoris collocata est. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum est. Atque ista quidem qui docent, quum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. Quod etiamsi ad instituendos adolescentulos magis aptum est, ut, simulac posita sit causa, habeant, quo se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere: tamen et tardi ingenii est, rivulos consectari, fontes rerum non videre; et iam aetatis est ususque nostri, a capite, quod velimus, arcessere, et, unde omnia manent, videre.

28. Et primum genus illud earum rerum, quae ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem usum similium rerum esse debebit. Nam pro tabulis et contra tabulas, pro testibus et contra testes, pro quaestionibus et contra quaestiones, et item de ceteris rebus eiusdem generis, vel separatim dicere solemus de genere universo, vel definite de singulis temporibus, hominibus, causis: quos quidem locos (vobis hoc, Cotta, et Sulpici, dico) multa commen-

C, habet *pariuntur.* Quia infra in eadem re occurrit *pariuntur*, h. l. *reperiuntur* servandum duxi.

A causa atque a reis deferuntur) Ernesti lectionem edd. vett. *atque a re deferuntur* revocavit, quia non rei soli deferant, sed etiam petitores. In quo mirum est, eum recordatum non esse, *reos* a Cicerone dici *omnes*, quorum res, et causa est, ut non solum hoc vocabulo eos unde petatur, aut qui accusentur, sed etiam petitores et accusatores comprehendat. Guelf. A habet *atque a re*; B, *atque a rebus*; C, *atque reis.*

Atque isti quidem, qui docent) Vere, ut opinor, Ernesti sic indicavit emendandum esse. Vulg. *atque ista quidem, qui docent.*

Manent) Recte hoc Ernesti e MSS. Erl. et edit. Lips. restituit. Sic Guelf. tres. Vulg. *manant.*

* *Separatim*) h. e. *communiter, indefinite*; s. barbaro scholasticorum vocabulo *in abstracto.*

Multa commentatione, atque medi-

tatione atque meditatione paratos, atque expeditos habere debetis. Longum est enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare, aut infirmare testes, tabulas, quaestiones oporteat. Haec sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximae: artem quidem, et praecepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. Itemque illa, quae sunt alterius generis, quae tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illustrem perpolitamque desiderant. Itaque quum haec duo nobis quaerenda sint in causis, primum, quid; deinde, quomodo dicamus: alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametsi artem requirit, tamen prudentiae est paene mediocris, quid dicendum sit, videre; alterum est, in quo oratoris vis illa divina, virtusque cernitur, ea quae dicenda sunt, ornate, copiose, varieque dicere. Quare illam partem superiorem, quoniam semel ita vobis placuit, non recusabo, quo minus perpoliam atque conficiam (quantum consequar, vos indicabitis); quibus ex locis ad eas tres res, quae ad fidem faciendam solae valent, ducatur oratio, ut et concilientur animi, et doceantur, et moveantur. Ea vero quemadmodum illustrentur, praesto est, qui omnes docere possit, qui hoc primus in nostros mores induxit, qui maxime auxit, qui solus effecit. Namque ego, Catule (dicam enim non reverens assentandi suspicionem), neminem esse oratorem paulo

tatione paratos, atque expeditos) Guelf. A, *multa commentatione praeparatos, atque expeditos.* Sane h. l. *atque meditatione* glossatori deberi videtur.

Oporteat) Sic MSS. complures apud Lamb. Pearcium; it. Erl.

Vobis placuit) Guelf. A, C, *nobis placuit.* Guelf. B, *placuit*, omisso *vobis.*

Et moveantur) Ineptissimum scholiastae alicuius additamentum *haec sunt enim tria numero* iam ab Ernestio damnatum et uncis inclusum resecui.

Qui hoc primus) Guelf. A, *qui hoc solum primum.*

illustriorem arbitror, neque graecum, neque latinum, quem aetas nostra tulerit, quem non et saepe et diligenter audierim. Itaque, si quid est in me (quod iam sperare videor, quoniam quidem vos, his ingeniis homines, tantum operae mihi ad audiendum datis), ex eo est, quod nihil quisquam unquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit. Atque ego is, qui sum, quantuscunque sum ad iudicandum, omnibus auditis oratoribus, sine ulla dubitatione sic statuo et iudico, neminem omnium tot, et tanta, quanta sunt in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. Quamobrem si vos quoque hoc idem existimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, si, quum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crasso et vestiendum, et ornandum.

29. Tum Crassus: Tu vero, inquit, Antoni, perge, ut instituisti. Neque enim est boni, neque liberalis parentis, quem procrearit, et eduxerit, eum non et vestire, et ornare; praesertim quum te locupletem esse negare non possis. Quod enim ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem, et eius diloricare tunicam, et iudicibus cicatrices ad-

His ingeniis homines) Guelf. A, *eius ingenii homines.*

In memoria mea) Guelf. B, C, *in mea memoria.*

Atque ego) Guelf. A, *itaque ego.*

Si vos quoque hoc idem) Guelf. A, *si vos hoc idem.*

Quem procrearit, et eduxerit) Guelf. A, *procrearis et eduxeris;* vere, ut opinor.

* *Reum consularem*) M. Aquilium, qui post servile bellum in Sicilia confectum de repetundis pecuniis causam dixit. Quum iudicum misericordiam implorare nollet, M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam ab eius pectore discidit, ut honestas cicatrices bello acceptas ostenderet. Quibus conspectis reus absolutus est. Pryst.

* *Cicatrices adversas*) Quae in pectore, vel alia parte anteriori, accipiebantur, vulnera dicebantur *adversa*, erantque gloriosa: ut contra *aversa*

versas senis imperatoris, ostendere? qui idem, hoc accusante Sulpicio, quum hominem seditiosum, furiosumque defenderet, non dubitavit seditiones ipsas ornare, ac demonstrare gravissimis verbis, multos saepe impetus populi non iniustos esse, quos praestare nemo possit; multas etiam e republica seditiones saepe esse factas, ut quum reges essent exacti, ut quum tribunitia potestas esset constituta; illam Norbani seditionem, ex luctu civium, et ex Caepionis odio, qui exercitum amiserat, neque reprimi potuisse, et iure esse conflatam? Potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam novus, sine quadam incredibili vi ac facultate tractari? Quid ego de Cn. Manlii, quid de Q. Regis commiseratione dicam? quid de aliis innumerabilibus? in quibus non hoc maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare, sed haec ipsa, quae nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et praestantia fuerunt.

Tum Catulus: Ego vero, inquit, in vobis hoc maxime admirari soleo, quod, quum inter vos in dicendo dissimillimi sitis, ita tamen uterque vestrum dicat, ut ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum esse videatur. Quare, Crasse, neque tu

inhonesta, utpote in fuga, et tergo accepta. IDEM.

Qui idem) Guelf. B, *qui quidem*.

Vt quum tribunitia potestas) Guelf. B, C, abest *ut*; haud incommode.

Sine incredibili vi ac facultate) Vulg. additur *dicendi*, quod abest Guelf. B, probante Heusingero. Ac sane *vis ac facultas* h. l. non ad *dictionem*, sed ad artem animos commovendi refertur.

Cn. Manlii) A Cimbris Cn. Manlius et Q. Servilius Caepio proconsules victi proelio, castrisque binis exuti sunt: octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. (Livii epitome lib. LXVII). Ea clades incidit in annum V. C. 649. PAVST.

In quibus non hoc maxime enituit) Guelf. A, *in quibus hoc maxime non enituit*. Guelf. B, C, *in q. non maxime h. e.*

Ea semper) De hoc pleonasmo pronominis *ea* vide Heusingeri praefat. ad Cic. Offic. p. 44.

tua suavitate nos privabis, ut, si quid ab Antonio aut praetermissum, aut relictum sit, non explices: neque te; Antoni, si quid non dixeris, existimabimus non potuisse potius, quam a Crasso dici maluisse.

Hic Crassus, Quin tu, inquit, Antoni, omittis ista, quae proposuisti, quae nemo horum desiderat: quibus ex locis ea, quae dicenda sint in causis, reperiantur: quae quamquam abs te novo quodam modo, praeclareque dicuntur, sunt tamen et re faciliora, et praeceptis pervagata: illa deprome nobis, unde afferas, quae saepissime tractas, semperque divinitus.

30. Depromam equidem, inquit Antonius, et quo facilius id a te exigam, quod peto, nihil tibi a me postulanti recusabo. Meae totius orationis, et istius ipsius in dicendo facultatis, quam modo Crassus in caelum verbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi; una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars, in qua rerum ipsarum explicatio ac defensio posita est, videtur omnem huius generis quasi doctrinam

Ea quae dicenda sint) Guelf. A, B, C, *ea quae dicenda sunt.*

Dicuntur) Guelf. A, *dicentur*, non male.

Quod peto) Guelf. A, C, *quod petam.*

Meae totius orationis, et istius ipsius in dicendo facultatis) Guelf. A, *meae totius in dicendo rationis, et istius ipsius facultatis.* Guelf. B, C, *meae totius in dicendo orationis, et istius ipsius facultatis;* ex qua lectionis varietate colligere possis, verba *in dicendo* e glossa fluxisse.

In caelum verbis extulit) In Guelf. B abest *in caelum*, in C omittitur *verbis.*

Adiudicaturus sit) Guelf. B, C, *adiudicaturus est.*

Aut animi permotione cogatur) Verbum *cogatur* non bene servat tenorem metaphorae in verbis *propen-*

continere, de ea primum loquemur, et pauca dicemus. Pauca enim sunt, quae usu iam tractata, et animo quasi habere notata videamur. Ac tibi sapienter monenti, L. Crasse, libenter assentiemur, ut singularum causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus; aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem et causam et orationem disputatio ducitur. Neque enim, quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties eius verbi literae sunt cogitatione anquirendae; nec quoties causa dicenda est, toties ad eius causae seposita argumenta revolvi nos oportet; sed habere certos locos, qui, ut literae ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam statim occurrant. Sed hi loci ei demum oratori prodesse possunt, qui est versatus in rebus, vel usu, quem aetas denique affert, vel auditione et cogitatione, quae studio et diligentia praecurrit aetatem. Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem et acutum in cogitando, quamvis ad pronuntiandum expeditum, si erit idem in consuetudine civitatis, in exemplis, in institutis, in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subacto mihi ingenio opus est,

deat in nos, et *adducatur* inchoatae. Fortasse verius est *concitetur*.

Et animo quasi habere notata videamur) Pearcius, ut Lambinus coniecerat, edidit *et animo quasi notata habere videamur*. Sane hic ordo verborum concinnior est, eumque firmant codd. Cant. Harl. 1, Wag. Norf. Mag. Ioan.

Anquirendae) Vulg. *conquirendae*. Guelf. B, *perquirendae*. At A, *acquirendae*, unde Heusingerus legendum esse vidit anquirendae.

* *Nec — toties ad eius causae seposita argumenta revolvi nos oportet*) *Seposita* in libris de arte oratoria scriptis, ubi singularum causarum argumenta explicantur.

* *Vel auditione, et cogitatione, quae studio et diligentia percurrit aetatem*) Nempe usum aetas affert et longi temporis exercitatio. Adolescens autem studio et diligentia audiendi et cogitandi id supplere potest, quod maioribus natu longior usus praestat.

ut agro non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores foetus possit et grandiores edere. Subactio autem est usus, auditio, lectio, literae.

31. Ac primum naturam causae videat, quae nunquam latet, factumne sit, quaeratur, an, quale sit, an, quod nomen habeat; quo perspecto, statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit; deinde, quid veniat in iudicium, quod isti sic iubent quaerere: « Interfecit Opimius Gracchum. Quid facit causam? Quod reipublicae causa, quum ex senatusconsulto ad arma vocasset; hoc tolle, causa non erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius. Veniet igitur in iudicium: Licueritne ex senatusconsulto, servandae reipublicae causa. » Perspicua sunt haec quidem, et in vulgari prudentia sita; sed illa quaerenda, quae ab accusatore et defensore argumenta, ad id, quod in iudicium venit, spectantia, debeant afferri.

32. Atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque

* *Subacto*) Translatio ducta ab agricultura. Vt ager non semel aratus, sed iterum ac tertio proscissus potest meliores et grandiores fructus afferre: ita perdomitum et excultum ingenium et plura et meliora producit. PRVST.

* *Literae*) i. e. usus et exercitatio scribendi.

Subductionibus) Guelf. A, *subactionibus*.

* *Opimius*) Anno V. C. 633, *C. Gracchus seditioso tribunatu acto, quum Aventinum armata quoque multitudine occupavisset, a L. Opimio consule, ex senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus, interemptus est.* Anno consequente, *L. Opimius accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem coniecisset, liberatus est* (Epitome Livii lib. LXI). PRVST.

Et defensore) Guelf. B, C, *et a defensore*. Recte.

impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum. Vnum appellant, in quo sine personis atque temporibus, de universo genere quaeratur; alterum, quod personis certis et temporibus definiatur; ignari, omnes controversias ad universi generis vim et naturam referri. Nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimii persona, nihil Decii. De ipso enim universo genere infinita quaestio est, num poena videatur esse afficiendus, qui civem ex senatusconsulto patriae conservandae causa interemerit, quum id per leges non liceret. Nulla denique est causa, in qua id, quod in iudicium venit, ex reorum personis, non generum ipsorum universa dubitatione quaeratur. Quin etiam in iis ipsis, ubi de facto ambigitur, ceperitne contra leges pecunias P. Decius, argumenta et criminum et defensionis revocentur oportet ad genus, et ad naturam universam: quod sumtuosus, de luxuriae; quod alieni appetens, de avaritia; quod seditiosus, de turbulentis et malis civibus; quod a multis arguatur, de genere testium; contraque, quae pro reo dicentur, omnia necessario a tempore at-

* *Nulla denique est causa*) Nulla est causa, inquit Antonius, in qua id quod in iudicium et controversiam vocatur, quaeri debeat ac peti ex ipsis reorum personis, sed omnia referri debent ad universum genus. Sic in hac ipsa, quae modo proposita est causa, ad oratoris locos nec Opimii nec Decii persona pertinet; non ex ipsis deducenda sunt argumenta, sed ex ipso facto, quod generatim spectatur. PRVST.

Ex reorum personis, non generum) Guelf. A, B, *reorum personis ac non generum.*

Dubitatione) Hoc recepi e cod. Guelf. A. Vulg. *disputatione.*

Ceperitne contra leges pecunias) Guelf. A, B, C, *ceperitne pecunias contra leges*, ordine concinniore.

* *Quod sumptuosus*) Accusatur v. g. Decius, quod sumptus nimios fecerit? argumenta defensionis et accusationis petenda erunt e communi genere et loco, de luxuria: quod alienas opes appetiverit? de avaritia, etc. PRVST.

Luxurie) Sic A. Vulgo *luxuria.* Heusingerus observat, illam terminationem Ciceronis aequalibus familiariorem fuisse, quam medii aevi librariis.

qua homine ad communes rerum et generum summas revolventur. Atque haec forsitan homini, non omnia, quae sunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, permulta videantur, quae veniant in iudicium tum, quum de facto quaeratur: sed tamen criminum est multitudo, non defensionum aut locorum, infinita. Quae vero, quum de facto non ambigitur, quaeruntur, qualia sint, ea si ex reis numeres, et innumerabilia sunt, et obscura; si ex rebus, valde et modica, et illustria. Nam si Mancini causam in uno Mancino ponimus, quotiescunque is, quem paterpatratus dediderit, receptus non erit, toties causa nova nascetur. Sin illa controversia causam facit: Videaturne ei, quem paterpatratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis Mancini nomen pertinet. Ac si quid affert praeterea hominis aut dignitas, aut indignitas, extra quaestionem est, et ea tamen ipsa oratio ad universi generis disputationem referatur necesse est.

Sed tamen criminum est multitudo, non defensionum aut locorum, infinita) Valde blanditur Lambini emendatio: *sed tamen hominum est multitudo, non criminum aut defensionum aut locorum infinita*; nisi quod brevius etiam scribere praestet: *sed tamen est hominum multitudo, non criminum aut defensionis locorum infinita.* Sicut paulo ante dixerat: *argumenta et criminum et defensionis revocari oportere ad genus et ad naturam universam.* Nam criminum multitudinem infinitam esse Antonius, si sibi ipse constare vellet, dicere haud poterat, quippe qui paulo post dicturus erat, multitudinem causarum esse infinitam, si in personis ponatur, sin autem ad generum universas quaestiones referantur, modicas et paucas esse.

* *Mancini causam*) Quam explicuimus lib. I de Orat. c. 40. Eodem loco exponitur, quid sit paterpatratus. Prvst.

Sin illa controversia) Sic MSS. et edd. etiam codd. Guelf. A, B, C. Nempe ea, cuius exemplum sequitur; Cicero enim pronomen *ille* saepius ad sequentia, quam ad antecedentia referl. Recte autem Heusingerus *controversiam* h. l. dici *quaestionem controversam* annotavit. Nihil igitur opus est cum Ernestio reponere: *Sin in illa controversia causam facit.*

Et ea tamen ipsa oratio) Sic etiam Guelf. B, C, at in A est *oratione*, quod Pearcius praetulit. Recte au-

Haec ego non eo consilio disputo, ut homines eruditos redarguam; quamquam reprehendendi sunt, qui in genere definiendo istas causas describunt in personis et in temporibus positas esse. Nam etsi incurrunt tempora et personae, tamen intelligendum est, non ex iis, sed ex genere quaestionis pendere causas. Sed hoc nihil ad me. Nullum enim nobis certamen cum istis esse debet tantum: satis est intelligi, ne hoc quidem eos consequutos, quod in tanto otio, etiam sine hac forensi exercitatione, efficere potuerunt, ut genera rerum discernerent, eaque paulo subtilius explicarent. Verum hoc, ut dixi, nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad vos, Cotta noster, et Sulpici. Quomodo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum; est enim infinita, si in personis ponitur; quot homines, tot causae; sin ad generum universas

tem Ernesti monuit, vocabulum *oratio* h. l. pro *parte orationis* dici.

Nullum enim nobis certamen cum istis esse debet tantum: satis est intelligi) Hanc interpunctionem praeivit Ernesti. Vulgata autem haec erat: *Nullum — esse debet. Tantum satis est intelligi.* Et sic quoque tres Guelferbytani codices. Ernesti putabat perinepte coniungi: *Tantum satis;* recte, si *tantum* esset adverbium, pro *modo*, aut *nihil amplius.* Sed si *tantum* sit adverbium quantitatis, eodem modo potest dici *Tantum satis est*, quomodo *Tantum sat habes* apud Ter. Heaut. IV, 3, 40.

* *Ne hoc quidem*) Causas, ut par est, agere non potuerunt sine exercitatione forensi: at certe recte dividere ac definire illas ipsas causas in otio suo potuerunt et debuerunt: in quo tamen ipsi peccarunt. Pavst.

Illud ad me) Nempe id, quod sequitur in verbis: *Quomodo nunc se* etc. Quare Pearcius cum aliis post *Sulpici* coli signo distinxit; quod tamen non est necessarium, si modo pronomen *illud* recte de eo, quod sequitur, intelligas.

Est enim infinita, si in personis ponitur) Ernesti: «Sic, inquit, ista sunt coniungenda. *Ponitur*, int. *causa*, nisi corrigas *ponuntur*, quia etiam in altero membro pluralis est, *referuntur.* Tum his eleganter subiicitur, *quot homines, tot causae*, sc. erunt. Vulgata distinctio perinepta est: *Multitudo causarum pertimescenda est; est enim infinita.* At hoc quaerebatur, et erat demonstrandum.» Hactenus ille. Nos vero etsi Ernestii interpunctionem, ut concinniorem, amplectimur, iidem tamen vulgatam perineptam esse haud concedimus. *Quomodo nunc se istorum rhetorum artes habent*, inquit Antonius, *per-*

quaestiones referuntur, ita modicae et paucae sunt, ut eas omnes diligentes, et memores, et sobrii oratores, percursas animo, et, prope dicam, decantatas habere debeant; nisi forte existimatis, a M. Curio causam didicisse L. Crassum, et ea re multa attulisse; quamobrem, postumo non nato, Curium tamen heredem Coponii esse oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, neque ad causae vim ac naturam nomen Coponii aut Curii pertinuit. In genere erat universo rei negotiique, non in tempore ac nominibus, omnis quaestio: Quum scriptum ita sit: SI MIHI FILIVS GENITVR, ISQVE PRIVS MORITVR, et cetera, TVM VT MIHI ILLE SIT HERES; si natus filius non sit, videaturne is, qui filio mortuo insti-

timescenda est multitudo causarum. Est enim (scil. ex eorum ratione) *infinita. Nam si in personis ponitur* (ut illi faciunt), *quot homines, tot causae erunt.* Itaque ex vulgata verborum coniunctione idem sensus efficitur, quem Ernesti requirebat; tantum abest, ut ea perinepta sit. Verumtamen altera ratio concinnitatem habet elegantiorem. *Ponuntur* autem multo hic aptius est, quam vulgatum *ponitur.*

Eas omnes) Hunc ordinem verborum praeeunt complures Pearcii codd. item ed. Lamb. Steph. Vulgo *omnes eas.*

Et, prope dicam) Vulg. *et prope.* Illud bene restituit Ernesti e MSS. Gron. et Erl. Accedit Guelf. A.

Nisi forte existimatis, a M. Curio causam didicisse L. Crassum, et ea re multa attulisse — Lambinus ingeniose corrigendum censuit: *nisi forte existimetis, a M. Curii nomine causam duxisse L. Crassum, et ea re multa attulisse.* Hoc enim optime convenit sequentibus: *nihil ad copiam argumentorum neque ad causae vim ac naturam* NOMEN *Coponii aut Curii pertinuit.* Vulgatam vix aliter defendere possis, nisi saltem pro *et ea re m. a.* legas: *et ex ore eius multa attulisse;* hoc sensu: nisi forte existimatis, quemadmodum in quibusdam causis a reis deferuntur tabulae, testimonia, sic Crassum causam illam a M. Curio didicisse, et ex eius ore multa attulisse, quae scil. ad eius nomen et personam pertinerent. *Ex re* pro *ea re* scriptum invenit Pearcius in cod. Bod. unde ille suspicabatur eliciendum *ex reo.*

Multa attulisse) Guelf. B, C, *multum attulisse.*

Genitur) Sic Guelf. B, C; A, *genitor.* Gronov. *genitus.*

Tum ut mihi ille sit heres) Pronomen *ille* hic inservit incertae personae designationi (ut italico dicimus, *il tale o la tale*); praestatque vicem nominum fictorum, quibus in eiusmodi formulis ICti utuntur; ut Seii, Titii.

tutus heres sit, heres esse. Perpetui iuris, et universi generis quaestio non hominum nomina, sed rationem dicendi, et argumentorum fontes desiderat. In quo etiam isti nos iurisconsulti impediunt, a discendoque deterrent. Video enim in Catonis et in Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de iure viro aut mulieri responderint; credo, ut putaremus, in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse; ut, quod homines essent innumerabiles, debilitati a iure cognoscendo voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abiiceremus.

Argumentorum fontes) Guelf. B omittit *fontes*; quod ne quis forte credat abesse posse, tenendum est hoc significari: in universi generis et perpetui generis quaestione, ut h. l. de legitima successione agnatorum, non quaeri de hominum nominibus et personis, nihilque interesse, utrum Seius an Titius hereditatem petat, sed desiderari argumentorum fontes, quibus orator uti possit, et rationem dicendi, qua illa argumenta ex fontibus hausta exornet et illustret.

* *Catonis et Bruti*) M. Catonem, principem Porciae familiae, celebrem fuisse iurisconsultum, eiusque libros aetate sua exstitisse tradit Pomponius ff. lib. I, tit. 2 de Origine iuris. Ibidem fit Bruti mentio. *Post hos fuerunt P. Mucius, et Brutus, et Manilius, qui fundaverunt ius civile. Ex his P. Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus septem, et exstant volumina scripta, Manilii monumenta: illi duo consulares fuerunt, Brutus praetorius, P. autem Mucius et pontifex maximus.* PRYST.

Aut dubitationis) Guelf. C, ac dubitationis.

Debilitati a iure cognoscendo) Pearcius ad h. l. «Vox *debilitatus*, inquit, quum sine ablativo casu ponitur, significat nihil aliud, quam *fractus*, *imminutus*, sed huic loco parum convenit ista significatio. Antonius paulo supra dixerat: *nos Iurisconsulti impediunt, a discendoque deterrent*, idemque dicere etiam hoc loco voluit, loquendi tamen formula variata. Legendum igitur censeo: *debilitati METU a iure cognoscendo*. Sic lib. I, c. 26: *simulac me fractum ac debilitatum metu viderit.* Immo MSS. Cant. et Wag. exhibent reliquias huius lectionis: *debilitati A ME a iure cognoscendo.*» Verum etsi dubitari non poteat, quin *debilitari metu* recte dicatur, ambigendum tamen est de formula constructionis *debilitari metu a iure cognoscendo*, quo esset idem ac *propter debilitatem ex metu deterreri a iure cognoscendo*. Id quidem Ernesti ait exquisite dictum; neque tamen in Clave, ad quam lectores remittit, attulit aliquid, quo insolentiam huius constructionis defenderet. Simpliciter enim *debilitari* dici facile concedimus: h. l. autem quaeritur, an recte dicatur *debilitari*

33. Sed haec Crassus aliquando nobis expediet, et exponet descripta generatim. Est enim, ne forte nescias, heri nobis ille hoc, Catule, pollicitus, se ius civile, quod nunc diffusum et dissipatum est, in certa genera coacturum, et ad artem facilem redacturum.

Et quidem, inquit Catulus, haudquaquam id est difficile Crasso, qui et, quod disci potuit de iure, didicit; et, quod iis, qui eum docuerunt, defuit, ipse afferet; ut, quae sint in iure, vel apte describere, vel ornate illustrare possit.

Ergo ista, inquit Antonius, tum a Crasso discemus, quum se de turba et a subselliis in otium, ut cogitat, soliumque contulerit.

Iam id quidem saepe, inquit Catulus, ex eo audivi, quum diceret, sibi certum esse, a iudiciis causisque discedere; sed, ut ipsi soleo dicere, non licebit. Neque enim ipse auxilium suum saepe a viris bonis frustra

a iure cognoscendo pro *deterreri a iure cognoscendo.* Lenissimum igitur fuerit legere: *debilitari in iure cognoscendo;* nisi malis *debilitari modo iuris cognoscendi.*

* *Exponet descripta generatim*) i. e. sic exponet, ut totum ius civile in genera sua et partes distribuat ac digerat. Cf. I, 42 extr.

Et ad artem facilem redacturum) Hanc lectionem praebet MS. Guelf. C; eamque veram esse perspicitur e c. 42 lib. I, ubi Crassus dixerat: *Si enim aut mihi facere licuerit, — — aut alius quispiam — effecerit, ut — omne ius civile in genera digerat, — perfectam artem iuris habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficilem atque obscuram.* — Vides ibi Crassum artem iuris civilis facilem futuram dixisse, non autem facile negotium esse, ius ad artem redigendi. Quod autem Catulus addit: *et quidem haudquaquam id est difficile Crasso*, ea est, ut Ernesti bene monuit, Catuli laus, bene de Crasso sperantis.

Vt, quae sint in iure) Guelf. B, *ut, quae sunt in iure.*

* *Apte describere*) i. e. ratione ac via in genera et partes digerere.

Quum se de turba) Guelf. B, C, *quum se a turba.*

Soliumque contulerit) Falso Guelf. *solitudinemque contulerit.* Nam primum significantius est *solium*, in quo solebant ICti Romani sedere, quum de iure respondebant, cf. III, 33. Deinde Crassus lib. I, c. 45, dixerat, se iuris scientiam sibi ad decus atque ornamentum senectutis comparasse, ut, quum se vires deficere coepissent, ab solitudine domum suam vindicaret.

implorari patietur, neque id aequo animo feret civitas; quae, si voce L. Crassi carebit, ornamento quodam sese ~~oliatam putabit.

Na~ hercle, inquit Antonius, si haec vere a Catulo dicta sun~ tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum et istam oscitantem et dormitantem sapientiam Sc~ volarum et ceterorum beatorum otio concedamus.

Ar~isit hic Crassus leniter, et, Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es. Me tamen ista oscitans sapientia, simulatque ad eam confugero, in libertatem vindicabit.

34. Huius quidem loci, quem modo sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius: quoniam intelligitur, non in hominum innumerabilibus personis, neque in infinita temporum varietate, sed in generum causis atque naturis omnia sita esse, quae in dubium vocarentur; genera autem esse definita, non solum numero, sed etiam paucitate: ut eam materiem orationis, quae

Sese spoliatam) Guelf. A, *sa expoliatum.*

* *Pistrino*) Hic ingentis ac molesti laboris plenum opus significat, ducta translatione ab exercitatione durissima, cui servi addicebantur. Prust.

Vivendum) Malim *pervivendum* aut *porro vivendum*; nam iam antea vixerant Crassus et Antonius in illo, quod dicitur, pistrino; hic tantum quaerebatur de futura laboris perpetuitate.

* *Scaevolarum*) Sic vocat iurisconsultos, inter quos celeberrimus erat Scaevola. Prust.

Oscitantem et dormitantem sapientiam) In marg. edit. Verburg. notatur, in quibusdam MSS. omitti *et dormitantem*, ac sane nimis durum videtur sapientiam Iurisconsultorum *dormitantem* appellare. *Oscitantem* bene se habet; id est enim otiosam, et quietam. Respondebant enim de iure domi in solio sedentes. *Dormitantem* autem dicere poterat vix sapientiam ICtorum, qui de nocte vigilabant, ut consultoribus responderent. Cic. pro Mur. c. 9.

Quoniam intelligitur) Guelf. A, *quoniam intelligerent*, quod non spreverim; quia referri possit ad sequens: *studiosi qui essent dicendi.*

Vt eam materiem orationis — omnibus locis descriptam — comprehenderent) Malim *eam materiem orationis — omnem locis descriptam comprehenderent.* Sic postea: *sed tamen*

cuiusque esset generis, studiosi qui essent dicendi, omnibus locis descriptam, instructam, ornatamque comprehenderent, rebus dico et sententiis. Eae vi sua verba rapient, quae semper satis ornata mihi quidem videri solent, si eiusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur. Ac, si verum quaeritis, quod mihi quidem videatur (nihil enim aliud affirmare possum, nisi sententiam et opinionem meam), hoc instrumentum causarum et generum universorum in forum deferre debemus, neque, ut quaeque res delata ad nos erit, tum denique scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus; quae quidem omnibus, qui ea mediocriter modo considerarint, studio adhibito et usu, pertractata esse possunt; sed tamen animus referendus est ad ea capita, et ad illos, quos saepe iam appellavi, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inventa ducuntur. Atque hoc totum est sive artis, sive animadversionis, sive consuetudinis, nosse regiones, intra quas venere, et pervestiges quod quaeras. Vbi eum locum omnem cogitatione sepseris, si modo usu rerum percallueris, ni-

animus referendus est ad ea capita et ad illos, quos saepe iam appellavi, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inventa ducuntur. Vt hic omnia inventa ex locis duci dicuntur, sic ibi *omnis materies* orationis locis descripta comprehendi.

Eae vi sua) Guelf. A, B, C, *Ea vi sua*, quod bene se haberet, si abessent illa: *rebus dico et sententiis.* Tum enim ad *materiem orationis* referretur *ea*, sed simul legendum esset *rapiet.* Nam *ea* — *rapient*, quod placuisse videtur Heusingero, ut absolute ponatur *ea* et sine respectu ad genus verborum *res et sententiae*, mihi minus arridet, quam vulgatum *eae*; etsi haec formula loquendi alibi occurrit; ut Cortius docuit ad Sallust. Catil. V, 7, ubi, postquam praecessit: *ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum*, sequitur: *quae utraque his artibus auxerat.*

Vi sua verba rapient) Hanc lectionem, quae vulgata *parient* est exquisitior et ornatior, Heusingerus eruit e Guelf. B, C, ubi legitur *rapiant*; appositeque laudavit Ciceronis locum de Finibus III, 5: *veruntamen quum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt.*

Si modo usu rerum percallueris) Sic Guelf. B, C, procul dubio melius quam vulgatum *usum rerum.* Vsum enim rerum subimus aut habemus, non callemus; usu vero fit, ut ali-

hil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet.

35. Et sic, quum ad inveniendum in dicendo tria sint, acumen, deinde ratio, quam licet, si volumus, appellemus artem, tertium diligentia: non possum equidem non ingenio primas concedere; sed tamen ipsum ingenium diligentia, etiam ex tarditate, incitat; diligentia, inquam, quae quum omnibus in rebus, tum in causis defendendis plurimum valet. Haec praecipue colenda est nobis; haec semper adhibenda; haec nihil est, quod non assequatur. Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est; ut adversarium attente audiamus, atque ut eius non solum sententias, sed etiam verba omnia excipiamus, vultus denique perspiciamus omnes, qui sensus animi plerumque indicant, diligentia est; id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere videatur, prudentia est; deinde ut in iis locis, quos proponam paulo post, pervolvatur animus, ut se penitus insinuet in causam, ut sit cura et cogitatione intentus, diligentia est; ut his rebus adhibeat, tanquam lumen aliquod, memoriam, ut vocem, ut vires; — haec magna sunt. Inter

quid bene sciamus aut percalleamus.

In dicendo) Abest Guelf. A.

Id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere videatur, prudentia est) Totum hoc membrum ab interpolatoris manu hic inculcatum esse, quovis pignore contenderim. Nam primum ab eo male turbatur figurae conversionis seu ἐπιστροφῆς, qua Cicero hic utitur, perpetuitas, qua omnia membra in idem verbum *diligentia est* coniiciuntur. Deinde ne sensus quidem his verbis inest, nisi perineptus. Quomodo enim, si adversarium attente audiamus, si eius sententias et verba excipiamus, si vultus perspiciamus omnes, opus sit id dissimulanter facere, quod ita fit, ut id fieri nullo modo adversarius sentire possit? Denique inepte exprimitur sententia: *ne sibi ille aliquid proficere videatur;* quasi non id potius agatur, *quid proficiat adversarius*, quam quid *ille sibi proficere videatur.*

Pervolvatur) Guelf. A. *revolvatur.*

Ut se penitus insinuet) Guelf. A, B, C, *ut penitus insinuet.* Sic etiam omnes MSS. Oxon. Mead. Harl. teste Pearcio.

Haec magna sunt) Haec verba omittuntur cod. Erl. et Guelf. A, nec mihi

ingenium quidem, et diligentiam perpaululum loci reliquum est arti. Ars demonstrat tantum, ubi quaeras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire; reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; complectar uno verbo, quo saepe iam usi sumus, diligentia; qua una virtute omnes virtutes reliquae continentur. Nam orationis quidem copia videmus ut abundent philosophi, qui, ut opinor (sed tu haec, Catule, melius), nulla dant praecepta dicendi, nec idcirco minus, quaecumque res proposita est, suscipiunt, de qua copiose et abundanter loquantur.

36. Tum Catulus, Est, inquit, ut dicis, Antoni, ut plerique philosophi nulla tradant praecepta dicendi, et habeant paratum tamen, quid de quaque re dicant.

dubium est, quin ab interpolatore adiecta sint. Contra male omissa sunt verba *diligentia est*, quibus figura conversionis sive ἐπιστροφῆς hic utique claudenda erat. Legat igitur nobis aliquis hanc periodum suppressis malis emblematibus, et iudicet, an non omnia elegantius decurrant hoc modo: *Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est; ut adversarium attente audiamus, atque ut eius non solum sententias, sed etiam verba omnia excipiamus, vultus denique perspiciamus omnes, qui sensus animi plerumque indicant, diligentia est; deinde ut in iis locis, quos proponam paulo post, pervolvatur animus, ut se penitus insinuet in causam, ut sit cura et cogitatione intentus, diligentia est; ut his rebus adhibeat, tanquam lumen aliquod, memoriam, ut vocem, ut vires, diligentia est. Inter ingenium quidem et diligentiam perpaululum loci reliquum est arti.* — Ceterum horum trium, *memoriae*, *vocis*, *virium*, in dicendo usum recte ad *diligentiam* referri, patet ex libr. I, cap. 34: *Iam vocis et spiritus et totius corporis et ipsius linguae motus et exercitationes non tam artis indigent quam laboris.* Et paulo post: *Exercenda est etiam memoria; ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis.* Agnoscis in utroque diligentiae officia.

Perpaululum loci reliquum est arti) Guelf. A, *paulum loci reliquum est arti.* B, *perpaulum loci relictum est arti.*

* *Vbi quaeras — ubi sit illud*) *Vbi quaeras* pertinet ad regionem universam, intra quam orator pervestiget, quod quaerat; *ubi sit illud, quod studeas invenire*, refertur ad locum definitum.

Reliqua sunt) Guelf. B, C, *reliqua vero sunt.*

Quo saepe iam usi sumus) Guelf. A, B, *quo saepe iam sum usus.*

Quid de quaque re dicant) Guelf. A, *quid de qua re dicant.*

Sed Aristoteles is, quem maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via, non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur; a quo quidem homine iamdudum, Antoni, non aberrat oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti atque didicisti; quod quidem magis verisimile videtur. Plus enim te operae Graecis dedisse rebus video, quam putaramus.

Tum ille, Verum, inquit, ex me audies, Catule. Semper ego existimavi, iucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quam minimam artificii alicuius, deinde nullam graecarum rerum significationem daret. Atque idem ego existimavi, pecudis esse, non hominis, quum tantas res Graeci susciperent, profiterentur, agerent, seseque et videndi res obscurissimas, et bene vivendi et copiose dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admovere aurem, et, si palam audire eos non auderes, ne minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, subauscultando tamen excipere voces eorum, et procul, quid narrarent, attendere. Itaque feci, Catule, et istorum omnium summatim causas et genera ipsa gustavi.

37. Valde hercule, inquit Catulus, timide, tanquam

Quem maxime ego admiror) Guelf. B, C, *quem ego maxime admiror.*

Aristoteles — proposuit quosdam locos) Nempe in Topicis, de quibus cf. Cic. Top. cap. 1.

Argumenti via) Sic Gruterus e Pall. Pith. et Memm. Guelf. A, *argumenti ratio*; B, C, *argumentatio.* Et sic ed. Paris. Lambin. *argumentandi ratio.*

Non aberrat) Ed. Omnib. *non abhorret, nec aberrat.*

Putaramus) Guelf. B, *putaram.* Ed. Omnib. *putaremus.*

Atque idem ego) Sic Guelf. B. Vulgo *A. ego idem.* At illud melius, ex Schützii sententia. Ed. Taur.

Seseque) Guelf. A, *seque.*

Hominibus daturos) Guelf. A, *daturos hominibus.*

* *Tanquam ad aliquem libidinis scopulum*) Respicere videtur narra-

ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad philosophiam appulisti, quam haec civitas aspernata nunquam est. Nam et referta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum, quum erat in hac gente magna illa Graecia; ex quo etiam quidam Numam Pompilium, regem nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt; qui annis permultis ante fuit, quam ipse Pythagoras; quo etiam maior vir habendus est, quum illam sapientiam constituendae civitatis duobus prope seculis ante cognovit, quam eam Graeci natam esse senserunt. Et certe non tulit ullos haec civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores, P. Africano, C. Laelio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt. Atque ego ex istis saepe audivi, quum dicerent, pergratum Athenienses et sibi fecisse, et multis principibus civitatis, quod, quum ad senatum legatos de suis

lionem Homericam de Vlysse Sirenas vitante; ideoque valde placet Strebaei coniectura, qua legendum censebat: *tanquam navem ad aliquem libidinis scopulum.*

* *Magna illa Graecia*) Ad orientalem Italiae plagam Brutios inter et Salentinos pertinet ea regio, quam olim magnam Graeciam dixere: nunc pars est regni Neapolitani. PAVST.

* *Qui annis permultis*) Numa Pompilius, secundus Romanorum rex, de quo diximus libro superiore in notis ad cap. 9, regnum, quod tenuit annos quadraginta tres, auspicatus est a. V. C. 40, Olymp. 16, 3, ante Christum 714. Tarquinio superbo rege, qui regnare coepit, ut refert Dionysius, anno 4 Olymp. 61, V. C. 221, Pythagoras in Italiam venit, et quidem, si credimus Iamblico, circa Olymp. 70, annis circiter ab V. C. 222. Ex quibus colligitur, quod hic tradit Catulus, Numam duobus prope saeculis prius vixisse quam Pythagoram, annis scilicet omnino centum octoginta duobus. ID.

* *L. Furio*) De quo videndus Ciceronis Brutus. ID.

* *Eruditissimos homines*) ut Panaetium, quo familiariter usus est Africanus et Laelius. Conf. van Lynden diss. de Panaetio pag. 45.

* *Quum ad senatum legatos de suis rebus maximis mitterent*) Historiam illustrat locus Gellii Noct. Att. VII, 14: *Animadversa eadem tripartita varietas est in tribus philosophis, quos Athenienses Romam ad senatum populumque rom. legaverant impetratum, uti multam remitterent, quam fecerant iis propter Oropi vastationem. Ea multa fuerat talentum fere quingentum. Erant isti philosophi Car-*

maximis rebus mitterent, tres illius aetatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem, et Critolaum, et Diogenem. Itaque eos, dum Romae essent, et a se, et ab aliis frequenter auditos; quos tu quum haberes auctores, Antoni, miror, cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris.

Minime, inquit Antonius; ac sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium:

— — paucis; nam omnino haud placet.

Sed tamen haec est mea sententia, quam videbar exposuisse. Ego ista studia non improbo, moderata modo sint; opinionem istorum studiorum et suspicionem artificii apud eos, qui res iudicent, oratori adversariam

neades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus; et in senatum quidem introducti interprete usi sunt C. Acilio senatore, sed ante ipsi seorsum quoque quisque ostentandi gratia magno conventu hominum dissertaverunt.

* *Carneadem et Critolaum et Diogenem*) Legati Romam Athenis missi sunt, uti multam remitti civitati peterent quingentorum talentum, quam fecerat propter Oropi vastationem, Sicyoniis damnantibus, quibus illius causae iudicium a Senatu permissum fuerat. Legationis illius tempus mira auctorum dissensione traditur. Gellius lib. XVII, cap. ult. sub bellum Punicum alterum illos advenisse refert; ac posteriorem eorum adventu facit Ennium, quod ego falsum arbitror: si quidem obiit Ennius anno V. C. 58. At Cicero (in Lucullo cap. 45) legationem illam assignat P. Scipioni et M. Marcello Coss. qui est annus 599. Verum Pausanias in Achaicis sub annum Vrbis 603 illos advenisse significat. Petav. Rat. Temp. lib. IV, cap. 12. — Eodem anno Vrbis 603, id evenisse putat Casaubonus in Synopsi ad Polyb. Oliv. — De Carneade et Critolao diximus libro superiore cap. 11. E. T.

* *Zethus*) Iovis ex Antiopa filius, frater Amphionis, cui in condendis Thebis operam commodavit. Eum, ut ab artibus aversum, Pacuvius in tragoedia invehentem in musicam inducit, quam Amphion tuetur. Consule lib. II, 27 ad Heren. Pavst.

Ac sic — potius) Minime admittendum est *at — potius*, quod Ernestio in mentem venerat. Cf. Heusingeri not. ad Cic. Offic. III, 6, 16.

* *Vt Neoptolemus apud Ennium*) Eiusdem dicti mentionem facit Tuscul. Qu. II, 1.

* *Neoptolemus*) Pyrrho Achillis filio, Neoptolemi cognomen impositum, quod adolescentulus in bello Troiano militiae tirocinium fecerit. Pavst.

esse arbitror. Imminuit enim et oratoris auctoritatem, et orationis fidem.

38. Sed ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio, ex tribus istis clarissimis philosophis, quos Romam venisse dixisti, videsne Diogenem fuisse, qui diceret, artem se tradere bene disserendi, et vera ac falsa diiudicandi, quam verbo graeco διαλεκτικὴν appellaret? In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur, sed tantum est, quo modo iudicetur. Nam omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus, aut non esse, id si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent, verumne sit, an falsum; et si coniuncte sit elatum, et adiuncta sint alia, ut iudicent, rectene adiuncta sint, et verane summa sit uniuscuiusque rationis; et ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, et multa quaerendo, reperiunt non modo ea, quae iam non possint ipsi dissolvere, sed etiam, quibus ante exorsa, et potius detexta prope, retexantur. Hic nos igitur Stoicus iste nihil adiuvat, quoniam, quemadmodum inveniam quid dicam, non docet; atque idem etiam impedit, quod et multa reperit, quae neget ullo modo posse dissolvi, et

Sed ut eo revocetur) Guelf. A abest *eo*.

Diogenem fuisse) Guelf. A, C, *Diogenem eum fuisse*. Sic et MSS. Mead. Ioan. Cant. Nov. Wag. quorum auctoritate Pearcius *cum* recepit.

Nam omne, quod eloquimur) Ernesti recte coniecit, in vulg. *Nam et omne, quod eloquimur*, particulam copulativam delendam esse; eaque in Guelf. A non apparet. Simul autem in sequentibus pro *et si simpliciter* scribendum est *id si simpliciter*. Itaque nec cum edd. vett. et nonnullis codd. legendum est: *nam et omne, quod eloquimur, fit, ut id aut esse dicamus, aut non esse*, quam lectionem Pearcius in ordinem recepit; nec opus est eius coniectura: *nam et omne, quod eloquimur, eloquimur sic ut* etc. Wyttenbachius arbitrabatur legendum, *Nam est omne*.

Quae iam non possint) Guelf. A, C, item codd. Nov. Bal. Norf. *quae iam non possunt*.

Et potius) Guelf. A, *et post*, male. Ernesti corrigendum putabat, *vel potius*. Lambinus, *seu potius*.

Hic nos igitur) Guelf. A, *Hic nos ergo*.

Quae neget) Guelf. A, *quae negat*,

genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum. Quod si quis probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur. Haec enim nostra oratio, multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. Quare istam artem totam dimittamus, quae in excogitandis argumentis muta nimium est, in iudicandis nimium loquax. Critolaum istum, quem simul cum Diogene venisse commemoras, puto plus huic studio nostro prodesse potuisse. Erat enim ab isto Aristotele, a cuius inventis tibi ego videor non longe aberrare. Atque inter hunc Aristotelem (cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit), et hos germanos huius artis magistros, hoc mihi visum est interesse, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque aspexit, quae ad dicendi artem, quam ipse despiciebat, pertinebant. Illi autem, qui hoc solum colendum ducebant, habitarunt in hac una ratione

Ita quoque codd. complures a Pearcio laudati.

Concisum) Ed. Omnib. *conscissum*; vitiose.

Quod si quis probabit) Guelf. A, B, C, *quod si qui probabit*.

Ad oblectandos) Guelf. B, C, *et ad oblectandos*. Iidem mox *et ad impellendos*.

Sed quadam populari) Guelf. A, *sed populari quadam*.

Dimittamus) Guelf. A, *dimittimus*.

Critolaum istum) Melius abfuerit *istum*.

Quem simul) Abest *simul* Guelf. A.

Atque inter hunc Aristotelem) Lambinus delet nomen *Aristotelis* hic repetitum.

Cuius et illum legi librum) Strebaeus significari putat librum ἀπάκτων. Immo potius respicitur τέχνων συναγωγὴ, quam memorat Diog. Laert. lib. V.

Quam ipse despiciebat) Placuit Purgoldi emendatio lectionis vulgatae, *quam ille despiciebat*.

Qui hoc solum colendum ducebant) Guelf. A, *qui hoc solum colebant*.

Habitarunt in hac una ratione tractanda) Ed. Omnib. Paris. *labora-*

tractanda, non eadem prudentia, qua ille, sed usu in hoc uno genere studioque maiore. Carneadi vero vis incredibilis illa dicendi, et varietas perquam esset optanda nobis; qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed hoc maius est quiddam, quam ab iis, qui haec tradunt et docent, postulandum sit.

39. Ego autem, si quem nunc plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa[1], ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. Sin sit is, qui et doctrina mihi liberaliter institutus, et aliquo iam imbutus usu, et satis acri ingenio esse videatur: illuc eum rapiam, ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat; qui illi sedes, et tanquam domicilio omnium argumentorum commonstret, et ea breviter illustret, verbisque definiat. Quid enim est, in quo haereat, qui viderit, omne, quod sumatur in oratione aut ad probandum,

runt in h. u. r. tr. quod haud scio an melius respondeat translationi in verbis *qui hoc solum colendum esse ducebant* inchoatae. Idem placuit Lambino.

Carneadi) Sic Guelf. A. Vulg. *Carneadis.*

Maius est quiddam) Guelf. A, B, *maius est quoddam.*

Tradunt et docent) Haec inter se differunt. *Tradunt* scriptis, *docent* ore in scholis.

* *Eundem incudem*) Proverbii genus est in eos, qui indefessa assiduitate eidem studio incumbunt, similes fabrorum, qui continuis ictibus incude percussa ferrum emolliunt. PRUST.

1 *Mansa*) participium verbi *mandere*, masticare.

Inserant) Sic Gronovius aliique. Accedunt Guelf. A, B, C. Vulg. *inferant.*

Mihi liberaliter) Abest *mihi* Guelf. A.

* *Illuc eum rapiam*) Nempe ad scriptorem quendam vel doctorem Aristoteli similem, qui, ut ille in Topicis, sedes ac domicilia argumentorum commonstret.

Et tanquam domicilia) Guelf. A *et quasi domicilia.*

Commonstret) Ed. Omnib. Victor. *monstret.*

Vt ad probandum, aut ad refellen-

aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris? *Ex sua vi*, quum, aut res quae sit tota, quaeratur, aut pars eius, aut vocabulum quod habeat, aut quippiam, rem illam quod attingat; *extrinsecus* autem, quum ea, quae sunt foris, neque inhaerent in rei natura, colliguntur. Si *res tota* quaeritur, definitione universa vis explicanda est, sic: « Si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi romani potestati tradidit. » Sin *pars;* partitione, hoc modo: « Aut senatui parendum de salute reipublicae fuit, aut aliud consilium instituendum, aut sua sponte faciendum. Aliud consilium superbum; suum, arrogans. Vtendum igitur fuit consilio senatus. » Si *ex vocabulo*, ut Carbo: « Si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius? » Sin ab eo, *quod rem attingat*, plures sunt argumentorum sedes ac loci. Nam et coniuncta quaerimus, et genera, et partes generibus subiectas, et similitudines, et dissimilitudines, et contraria, et consequentia, et consentanea, et quasi praecurrentia, et repugnantia, et causas rerum vestigabimus, et ea, quae ex causis orta sunt; et maiora, minora,

dum) Purgoldus conj. et *ad pr. et ad refellendum.*

* *Aut ex sua sumi vi*) Designat locos rhetorum intrinsecos et extrinsecos, de quibus quum et fusius et accuratius agat Cicero in Topicis, ideo omittimus notas omnes et exempla, quibus possunt illustrari. Prvst.

Suum, arrogans) h. e. suum consilium sequi (quod antea dicebatur *sua sponte facere*), arrogans. MS. Mead. *superbum sive arrogans sua sponte temerarium fuisset*; unde Pearcius opinabatur legendum: *aliud consilium* (instituere) *superbum; sua sponte* (facere) *temerarium fuisset.* Lectionem vulgatam tamen praefero, modo teneatur, superbum h. l. dici eius institutum, qui aliorum iura spernat, arrogans autem eius, qui sibi plus aequo vindicet.

Si ex vocabulo) Vere sic Guelf. A. Vulg. *sin ex vocabulo.*

Sin ab eo, quod rem attingat) Guelf. A, *Ab eo, quod rem attigerit?*

Vestigabimus) Guelf. A, *investigabimus.*

Et maiora, minora, paria quaere-

paria quaeremus. Ex *coniunctis* sic argumenta ducuntur: « Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, quum Q. Metellum tam pie lugere videatis. » Ex *genere* autem: « Si magistratus in populi romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas, cuius tribunatus voluntate paruit civitatis » ? Ex *parte* autem ea, quae est subiecta generi: « Si omnes, qui reipublicae consulunt, cari nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorum consiliis, virtute, periculis retinemus et nostram salutem et imperii dignitatem ». Ex *similitudine* autem: « Si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus ? » At ex *dissimilitudine*: « Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. » Atque utroque in genere et similitudinis, et dissimilitudinis, exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut eventis, et fictae narrationes saepe ponendae. Iam ex *contrario*: « Si Gracchus nefarie, praeclare Opimius. » Ex *consequentibus*: « Si et ferro interfectus ille, et tu inimicus eius cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, et nemo praeter te ibi visus est, et causa nemini, et tu semper audax; quid est, quod de facinore dubitare possimus ? » Ex *consentaneis*, et *praecurrentibus*, et *repugnantibus*, ut olim Crassus adolescens: « Non si Opimium defendisti,

mus) Hunc verborum ordinem praeoptavi, quia paulo post sub finem huius capitis recurrit. Vulg. *maiora, paria, minora*. In Guelf. A, *et paria maiora et minora*.

* *Q. Metellum*) Anno V. C. 657 praeclaram obtinuit Q. Metellus, Pii cognomentum adeptus, quod, ut ait scriptor de Viris illustribus, patrem Numidicum precibus ac lacrymis assiduis ab exsilio revocasset. Qua singulari pietate facilem ad summos honores aditum paravit. PRVST.

Atque utroque) Guelf. A, *at utroque*.

Et tu inimicus eius cum ferro) Guelf. A, *et tu inimicus ei e. f.* Guelf. B, C, *et tu inimicus, et cum ferro*.

Visus est) Guelf. B, C, *visus*.

Vt olim Crassus) Guelf. A, *ut Crassus*. Pighius laudat MS. in quo

Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt. Simulasse te, et aliquid quaesisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissedisti. » Ex *causis* autem rerum sic: « Avaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda, luxuries. » Ex iis autem, quae sunt *orta de causis*: « Si aerarii copiis et ad belli adiumenta et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus. » Maiora autem, et minora, et paria comparabimus sic: Ex *maiore*: « Si bona existimatio divitiis praestat, et pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? » Ex *minore:*

« Hic parvae consuetudinis
Causa, huius mortem tam fert familiariter;
Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri? »

Ex *pari:* « Est eiusdem et eripere, et contra rempu-

erat, ut *olim hic Crassus*, non male, quia praesens erat.

Et aliquid quaesisse) Sic Guelf. A, recte, quod idem est more Ciceroniano ac *aliud quid*, quod vulgo legitur. Idem probavit Heusingerus ad Cic. Offic. I, 11, 5. Guelf. B, *et aliud quaesisse.*

Quod eam legem) Guelf. A, *quod leges.* At *eam legem* recte Ernesti exponit, *tam perniciosam*, Pighioque repugnat, in Fastis ad a. 634, suspicanti hic aliquid excidisse et supplendum esse: *quod C. Graccho dux et auctor repetendae per seditiones tribuniciae potestatis fuisti*, vel simile quid. At enim Crassus de lege, quam Carbo tulerat, ut populo liceret eundem tribunum plebis quoties vellet creare, iam antea loquutus erat, ut satis intelligeretur, quid sibi vellent verba: *quod eam legem in tribunatu tulisti.*

Dissedisti) Exquisitam hanc lectionem e cod. Guelf. A recepi. Eandem in aliis invenit Gronovius, et probavit. Vulg. *dissensisti.*

Ex iis autem, quae sunt orta de causis) In Guelf. B, *e. i. a., quae sunt de causis orta.*

Si bona existimatio) Bene Pearcius animadvertit, in hoc exemplo deligendo Ciceronem errasse. Nam in eo argumentum ducitur a minore ad maius, non ex maiore ad minus. Aptius exemplum Cicero, quod idem observavit, in Topicis cap. 4 attulit, et Quintil. Inst. Or. V, 11: *Si quis sacrilegium facit, faciet et furtum.*

Ex minore) Vulg. repetitur *sic*, quod hic rectius omittitur Guelf. A.

Hic parvae consuetudinis) Versiculi sunt Terentii Andr. I, 1.

Ex pari) Ita Guelf. B, C, et Ed. Vulg. *ex pari sic.*

blicam largiri pecunias. » *Foris* autem assumuntur ea, quae non sua vi, sed extranea sublevantur, ut haec: « Hoc verum est; dixit enim Q. Lutatius. — Hoc falsum est; habita enim quaestio est. — Hoc sequi necesse est; recito enim tabulas. » De quo genere toto paulo ante dixi.

40. Haec, ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt. Vt enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum, quibus cognitis ille sibi ipse foderet, et id, quod vellet, parvulo labore, nullo errore inveniret: ita si has ego argumentorum novi notas, quae illa mihi quaerenti

* *Est eiusdem*) Conferuntur hic inter se duo crimina; alterum repetundarum, quo quis alterius facultates contra ius invadit; alterum ambitus, quo suas opes aliquis largitur ad populi suffragia sibi demerenda. PRVST.

Est eiusdem et eripere, et contra remp. largiri pecunias) Optimam hanc lectionem Pearcius e MSS. Mag. Mead. Norf. eruit, quibus accedit Guelf. A. Vulg. *est eiusdem et eripere contra remp. et largiri pecunias*, quod ita sonat, ac si pecuniae reip. etiam pro republica eripi possent. Ceterum Pearcius dedit *elargiri*, quod habet MS. Nov.

* *Vt haec*) Congerit hic tres locos extrinsecos. Primum a testimoniis, cuius hoc affert exemplum: Hoc dicit Q. Lutatius, est igitur verum. Alterum a tormentis: Ad exprimendam veritatem tormentis subiectus est ille quem oportuit, nec simile quidquam indicavit, ergo falsum est. Tertium a tabulis: Rem ita esse patet ex tabulis, ergo in dubium revocare nemini licet. PRVST.

Hoc falsum est) Guelf. B, *Hoc falsum*, quod fortasse verius.

Genere toto) Abest *toto* Guelf. B.

* *Brevissime*) Fusiorem videlicet locorum explicationem meditabatur Cicero in libro Topicorum; quapropter ne saepius eandem incudem tundat, hic tantum perstringit, quod alibi copiosius exponet. PRVST.

Ille sibi ipse) Guelf. A, *ipse sibi*.

Ita si has ego argumentorum novi notas) Vulgo: *si has ego argumentorum novi notas*. In ed. Omnib. est *erui notas*, quod verbum librarius male ex sequenti *eruuntur* anticipavit. In Guelf. A vero est *si has*; quod Heusingerus hoc modo supplevit: *ita si has* —; ut verba *reliqua cura et cogitatione eruuntur* apodosin faciant. Gruterus e Pal. primo et oct. enotavit *erui notas*. Praeterea in primo scriptum erat: *erui notas demonstrari ubi sint*; et quia in Pal. sec. et Pith. non legebantur, *quae illa mihi*, Gruterus ita legendum opinabatur: *Si has argumentorum notas quaerenti demonstrem ubi sint*; quod sane pressum et concinnum est. Lectio tamen a nobis

demonstrent, ubi sint; reliqua cura et cogitatione eruuntur. Quod autem argumentorum genus cuique causarum generi maxime conveniat, non est artis exquisitae praescribere, sed est mediocris ingenii iudicare. Neque enim nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctissimis hominibus usus nostri quasi quaedam monita tradamus. His igitur locis in mente et cogitatione defixis, et in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi. Si vero assequetur, ut talis videatur, qualem se videri velit, et animos eorum ita afficiat, apud quos aget, ut eos, quocunque velit, vel trahere, vel rapere possit: nihil profecto praeterea ad dicendum requiret.

41. Iam illud videmus nequaquam satis esse, reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet, quid afferas, et id quare ita sit ostendere, et ex iisdem illis locis interdum concludere; relinquere

invecta gratam habet negligentiam. Pearcius vero legendum opinabatur: *sic has ego argumentorum quasi notavi notas, quae illa quaerenti demonstrant* etc.

Sed est mediocris ingenii iudicare) In Guelf. B, C, legitur, *et est mediocris ingenii iudicare*, qua ex lectione, quae non est vulgata deterior, quod vidit Heusingerus, haec erit sententia: ad eam rem docendam non eximio doctore, et ad eam vel sine doctore perspiciendam non magno ingenio est opus.

Afficiat) Hoc recte pro vulg. *afficiet* restituit Pearcius e codd. Mead. Harl. Edd. Ven. Mediol. Man. Steph.

Varia esse debet) Guelf. B, *varia debet esse*, rectius, opinor.

Et id quare ita sit) Guelf. A abest *id*. C omittit copulam.

Relinquere alias, alioque transire) Guelf. B, *alias relinquere aliasque transire*. A, *r. a. aliorsum transire*. Idem invenit Gruterus in Pall. 1, 2. Inde suspicabatur Ciceronem scripsisse: *relinquere alias, alias aliorsum transire*. At enim particula *alias* hic respondet praecedenti *interdum*; et sensus hic est: Interdum ex locis argumentorum quae conclusio sequatur diserte oportet enuntiari; alias autem satius est relinquere conclusio-

alias, alioque transire; saepe non proponere; ac ratione ipsa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare; si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes; deinde quod agitur adiungas; puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.

42. Haec ut properans, et apud doctos, et semidoctus ipse percurro, ut aliquando ad illa maiora veniamus. Nihil est enim in dicendo, Catule, maius, quam ut faveat oratori is, qui audiet, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis, quam iudicio, aut consilio regatur. Plura enim multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut spe, aut timore, aut terrore, aut aliqua permotione mentis, quam

nis enuntiationem, eaque suppressa statim alio transire.

Haec ut properans) Sequor lectionem Guelf. C, quae etiam Schützio V. Cl. non displicet. Vulg. *Haec ut et properans*. Ed. Taur.

Ad illa maiora) Guelf. A, *ad alia maiora*. B, *ad maiora*.

* *Plura enim multo homines*) Recte Aristoteles lib. II Rhetoric. observat, quum pro diversis animi motibus diversa sentiant ac faciant homines, aliodque mens tranquilla, aliud agitata suggerat, permagni interesse oratoris varias pro tempore auditorum in animis excitare perturbationes, adeoque ipsi tenendam esse artem movendorum affectuum, quibus concitatus auditor eo, quo voluerit orator impellere, facile feratur. Prust.

* *Odio*) Quod est abalienatio quaedam animi perfecta, qua quis alterum et perditum velit, et perdat, si possit. Id.

* *Cupiditate*) Quam Aristoteles lib. I Rhetor. definit rei iucundae appetitum. Id.

* *Dolore*) Quem Tullius lib. IV. Tusc. Quaest. ait esse aegritudinem cruciantem. Id.

* *Laetitia*) Est, inquit ibidem Cicero, opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur. Idem.

* *Timore*) Timor est aegritudo voluntatis respondens mentis ambiguitati, malum prope imminens, vixque declinabile intuentis. Id.

Aut terrore) Recepi lectionem MSS. Nov. et Mag. a Pearcio commemoratam, ut h. l. aptissimam. Vulg. *errore*. Id quidem alibi, ut Partitt. orat. cap. 11, Or. 33, cum perturbationibus animi componitur, sed alia ratione. Ceterum h. l. *aliqua* est *alia quadam*.

veritate, aut praescripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus. Quare, nisi quid vobis aliud placet, ad illa pergamus.

Paulum, inquit Catulus, etiam nunc deesse videtur iis rebus, Antoni, quas exposuisti, quod sit tibi ante explicandum, quam illuc proficiscare, quo te dicis intendere.

Quidnam? inquit.

Qui ordo tibi placeat, inquit Catulus, et quae dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus videri soles.

Vide quam sim in isto genere, inquit, Catule, deus. Non mehercule mihi, nisi admonito, venisset in mentem; ut possis existimare, me in ea, in quibus nonnunquam aliquid efficere videor, usu solere in dicendo, vel casu potius incurrere. Ac res quidem ista, quam ego, quia non memineram, sic tanquam ignotum hominem praeteribam, tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit. Sed tamen mihi videris ante tempus a me rationem ordinis et disponendarum rerum requisisse. Nam si ego omnem vim oratoris in argumentis, et in re ipsa per se comprobanda posuissem, tempus esset iam de ordine argumentorum, et de collocatione aliquid dicere; sed quum tria sint a me proposita, de uno dictum; quum de duobus reliquis dixero, tum erit denique de disponenda tota oratione quaerendum.

Iudicii formula) Guelf. A, *iudicum formula*.

Qui — placeat) Sic multi codd. ap. Pearcium; it. Lamb. Steph. recte. Olim *placet*.

Quia non memineram) Vulg. *quia non noram*. At Antonius se ista non nosse dicere non poterat; sed potius paulo ante dixerat: *Non mehercule mihi, nisi admonito, venisset in mentem*. Itaque hic nullum dubium est, quin sensus requirat, *non memineram*

Ignotum) Ed. Omnib. *ignoratum*.

A me proposita) Guelf. A, *a me posita*.

* *Tria sint a me*) Divisit Antonius inventionem in tres partes; quarum

43. Valet igitur multum ad vincendum, probari mores et instituta eorum, qui agent causas, et eorum, pro quibus, et item improbari adversariorum; animosque eorum, apud quos agitur, conciliari quam maxime ad benevolentiam cum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione vitae; quae facilius ornari possunt. si modo sunt, quam fingi, si nulla sunt. Sed haec adiuvant in oratore, lenitas vocis, vultus pudoris significatio, verborum comitas; si quid persequare acrius, ut invitus, et coactus

prima doceat, altera conciliet, tertia moveat oratorem. De prima disseruit; quum alias explicuerit, de oratione disponenda sermonem instituet. Pr.

Ad vincendum) Guelf. A, *ad dicendum*.

Probari mores, instituta, et facta, et vitam eorum) Guelf. A, *probari mores et instituta eorum*, quod valde placet. Vulgata enim inutili verborum copia oneratur magis quam ornatur. — Etiam hoc loco acquiesco in Critici nostri sententia, ac probe me facturum puto illa verba *et facta et vitam* e texta eliminando. Ed. Tayr.

* *Probari mores*) Communis est haec rhetorum omnium sententia, neminem oratorem esse posse, nisi qui probis moribus fuerit. Vt enim persuadeat, qui scopus est eloquentiae, is esse debet huius artis studiosus, cui fides habeatur in ea re, quae certo sciri non potest, cuiusmodi sunt causae omnes, in quibus versatur orator. Sic autem sunt homines, ut quem noverint improbum, ei difficillime credant. Adi Aristotelem lib. I Rhet. cap. 2, et Quintilianum lib. XII, cap. 1. Prvst.

Cum erga oratorem) Guelf. A, *tum erga oratorem*, quod h. l. melius videtur.

* *Dignitate hominis*) Moribus suis captat iudicum benevolentiam Cicero Oratione pro P. Sylla cap. 1: *Quamquam ex huius incommodis magnam animo molestiam capio, tamen in ceteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam misericordiamque, notam omnibus quondam, nunc quasi intermissam agnoscerent: improbi ac perditi cives edomiti atque victi, praecipitante republica, vehementem me fuisse atque fortem, conservata. mitem ac misericordem faterentur.* Prvst.

Vultus pudoris significatio) Sic ed. Omnib. Vulgo *vultus, pudoris significatio.* Sed bene observavit Pearcius, et post eum Hensingerus, hic esse duo genitivos, alterum ab altero rectum; ut *vultus pudoris significatio* sit i. q. *significatio pudoris in vultu.* Et plane eadem constructione utitur Cicero infra cap. 82: *vitanda est ingenii ostentationis suspicio.*

* *Si quid persequare acrius*) Huius oratorii praecepti egregium nobis ex-

facere videare. Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi signa proferri perutile est; eaque omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant, abalienantque ab iis, in quibus haec non sunt. Itaque eadem sunt in adversarios ex contrario conferenda. Sed genus hoc totum orationis in iis causis excellet, in quibus minus potest inflammari animus iudicis acri et vehementi quadam incitatione. Non enim semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, summissa, lenis, quae maxime commendat reos. Reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur. Sic enim olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratione, iustos, integros, religiosos, timidos, perferentes iniuriarum, mirum quiddam valet; et hoc vel in principiis, vel in re narranda, vel in peroranda, tantam habet vim, si est suaviter et cum sensu tractatum, ut saepe plus, quam causa, valeat. Tantum autem efficitur sensu quodam, ac ratione dicendi, ut

hibet exemplum Cicero Divinatione in Verrem: *Tuli graviter et acerbe, iudices, in eum me locum adductum, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me atque auxilium petissent: aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer ..... Adductus sum, iudices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine institutoque maiorum, ut onus hoc laboris atque officii non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore mihi suscipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res, iudices, consolatur, quod haec, quae videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam.* Prvst.

Proferri) Guelf. A, *proferre.*

Excellet) Guelf. A, B, C, *excellit.*

Vel in peroranda) Guelf. A, *vel in perorando*, quod valde placet.

* *Et cum sensu tractatum*) Bene Pearcius, i. e. inquit, cum affectu quodam animi, ita ut videatur is, qui dicit, ea sentire iisque affici, quae dicit. Sic c. 46: *quin ipse in commovendis iudicibus iis ipsis sensibus ....*

quasi mores oratoris effingat oratio. Genere enim quodam sententiarum, et verborum, adhibita etiam actione leni, facilitatemque significanti, efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni viri esse videantur.

44. Huic autem est illa dispar adiuncta ratio orationis, quae alio quodam genere mentes iudicum permovet, impellitque, ut aut oderint, aut diligant, aut invideant, aut salvum velint, aut metuant, aut sperent, aut cupiant, aut abhorreant, aut laetentur, aut moereant, aut misereantur, aut punire velint, aut ad aliquos motus adducantur, si qui finitimi sunt, et propinqui his ac talibus animi perturbationibus. Atque illud optandum est oratori, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam. Facilius est enim currentem, ut aiunt, incitare, quam commovere languentem. Sin id aut non erit, aut erit

permoverer; et lib. III, c. 25: *ut sensus, ut dolores habeat oratio.*

* *Quasi mores oratoris*) Videtur hoc praeceptum oratorium ex Aristotele depromptum lib. II Rhetor. Vt similitudo morum, ita oratio, quae moribus auditoris accommodata est, eius conciliat benevolentiam. Operae pretium est igitur, aetatis cuiusque indolem oratione exprimere. Quod idem ad poëtae commendationem requirit Horatius in Arte: *Si plausoris eges aulaea manentis, et usque Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat: Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores, Mobilibusque decor naturis dandus, et annis.* Pavst.

Genere enim quodam sententiarum, et verborum) Delevi *genere* ante *verborum* male vulgo repetitum.

* *Facilitatemque significanti*) Cod. Pith. omittit copulam. Olim autem et a Victorio edebatur *facilitateque significandi*, quod haud scio an melius sit. Actio lenis cum facilitate significandi possit esse, quae facile prodat internum oratoris sensum. Sed vulgata tamen defendi potest, quia facilitas apud Ciceronem saepe cum humanitate et lenitate componitur.

Videamur) Hoc e Manutii coniectura recepimus. Vulgatum tamen *videantur* (quod etiam Guelferbytani servant) stare potest, ita ut ἀπὸ τοῦ κοινοῦ suppleatur *oratores*. Nam ad *reos*, quod putabat Pearcius, minime referendum est.

Aut ad aliquos) Sic rescripsi pro vulg. *aut ad eos*, quod. h. l., quum sequatur *si qui finitimi sunt*, minime convenit.

Adducantur) Sic edd. vett. et MS. Cant. melius utique, quam vulg. *abducantur*. Nisi malis cum MSS. Oxon.

obscurius, sicut medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus eius, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis, et natura corporis cognoscenda est; sic equidem quum aggredior ancipitem causam, et gravem ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid exspectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur. Si se dant, et, ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent, accipio quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Sin est integer, quietusque iudex, plus est operis. Sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adiuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poëta dicta est « flexanima, atque omnium regina rerum » oratio, ut non modo inclinantem impellere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.

45. Haec sunt illa, quae me ludens Crassus modo flagitabat, quum a me divinitus tractari solere diceret, et in causa M. Aquilii, Caiique Norbani, nonnullisque aliis, quasi praeclare acta, laudaret; quae mehercule ego, Crasse, quum a te tractantur in causis,

Mead. Harl. aliisque legere *deducantur*, quo saepius in hac re utitur Cicero.

* *Sicut medico diligenti*) Comparationem hanc e Platonis Phaedro ductam esse observavit Wyttenbachius bibl. crit. Vol. I, p. 23.

Quum aggredior ancipitem causam et gravem) Gruterus e MSS. Pall. duobus, totidemque Gallicanis, item Gronovius e MS. Ox. laudant lectionem *quum aggredior in ancipiti causa et gravi*; haud scio an verius, etsi repuguat Ernesti.

Flexanima, atque) Lambinus et Gruterus in aliquot codd. non invenerunt *atque*. Certe *atque* non fuit in Ennii versu.

Inclinantem impellere) Guelf. A, ut aliquot a Grutero collati, *inclinantem excipere*. Guelf. B, C, *inclinantem erigere*, et sic edd. multi. Crevierius coniectura reperit *impellere*,

horrere soleo. Tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet; tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum, tam integrae sententiae, tam verae, tam novae, tam sine pigmentis fucoque puerili, ut mihi non solum tu incendere iudicem, sed ipse ardere videaris.

46. Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque ducatur, nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur. Quod si fictus aliquis dolor suscipiendus esset, et si in eiusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum, atque imitatione simulatum, maior ars aliqua forsitan esset requirenda. Nunc ego, quid tibi, Crasse, quid ceteris accidat, nescio; de me autem causa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque amicissimos mentiar. Non mehercule unquam aut dolorem, aut misericordiam, aut

idque iam Lallemandus et Ernesti receperunt.

* *Tanta vis animi* etc.) Non tanta dicendi vi Crassus valebat, quod ex libro de Claris Oratoribus intelligitur: verum eius eloquentiam hic exaggerat Antonius, quo plus auctoritatis his dialogis Cicero conciliet. PRVST.

* *Digito denique*) *Quum tres contracti digiti pollice premuntur, tum digitus ille, quo usum optime Crassum Cicero dicit, explicari solet. Is in exprobrando et indicando, unde ei nomen est, valet.* (Fabius lib. XI, cap. 2). IDEM.

Tam integrae sententiae) Purgoldus conj. *tum crebrae*, quia quod sequatur *tam verae*, nihil aliud significet quam *integrae*. Si tamen quid mutandum sit, (nam lectio quarundam edd. *variae* minime placet) malim *tam verae* ut glossam τοῦ *tam integrae* delere, quia etiam, quod ad numerum in compositione attinet, facile hoc membro caremus.

* *Neque fieri potest*) Recte Horatius in Arte: *Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi.* PRVST.

Ducatur) Hoc recepi pro vulg. *deducatur*, ut h. l. aptius. Et illud quidem Arntzenius in notis ad Panegyricos se in cod. Traiectino invenisse testatur.

Maior ars aliqua forsitan) Guelf. A abest *aliqua*.

Non mehercule unquam) Vulgo

invidiam, aut odium excitare dicendo volui, quin ipse in commovendis iudicibus, iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. Neque enim facile est perficere, ut irascatur ei, cui tu velis, iudex, si tu ipse id lente facere videare; neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis. Vt enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admoto igni, ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, et ardens accesseris.

47. Ac, ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, praesertim in rebus alienis: magna vis est earum sententiarum, atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis. Ipsa enim natura orationis eius, quae suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam, quam quemquam eorum, qui audiunt, permovet. Et ne hoc in causis, in iudiciis, in amicorum periculis, in concursu hominum, in civi-

additur *apud iudices*, quod in Guelf. B omissum rectius abest. Nam id cum per se intelligitur, tum sequentibus verbis: *in commovendis iudicibus*, iam satis significatur.

Vt irascatur ei, cui tu velis) Sic Guelf. B, C, conspirantibus multis edd. In nonnullis autem omittitur *ei*.

Si tu ipse id lente facere videare) Vulg. *si tu ipse id lente ferre videare*. Illud e Guelf. B asciscendum putavi cum Heusingero ad Cic. Offic. I, 1, 1; *id lente facere* nimirum refertur ad antecedens *perficere ut irascatur*. Haud facile est, inquit, iudicem ad iram commovere, si ipse orator in studio irae commovendae lentus esse videatur.

Nisi ei tu) Guelf. A, *nisi tu ei*.

Accesseris) Guelf. B, C, *accesserit*, item MSS. Ioan. Bod. Harl. 1, Mag. Nov. ap. Pearcium; verius fortasse.

Omni animi motu) Guelf. A, *omni motu animi*.

tate, in foro accidere miremur, quum agitur non solum ingenii nostri existimatio (nam id esset levius; quamquam, quum professus sis, te id posse facere, quod pauci, ne id quidem negligendum est); sed alia sunt maiora multo, fides, officium, diligentia; quibus rebus adducti, etiam quum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi viri boni volumus haberi, existimare non possumus; sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabulae? Tamen in hoc genere saepe ipse vidi, quum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur spondialia illa dicentis:

Segregare abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi?
Neque paternum aspectum es veritus?

Nunquam illum *aspectum* dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filii videretur. Vt idem inflexa ad miserabilem sonum voce:

Quem aetate exacta indigem
Liberum lacerasti, orbasti, exstinxsti; neque fratris necis,
Neque gnati eius parvi, qui tibi in tutelam est traditus?

Te id posse facere) Ed. Omnib. *id posse facere.*

Quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabulae) In ed. Omnib. abest *quam versus*, et sane ad sententiae veritatem elegantiamque melius abessent.

Spondialia) Sic ed. Omnib. Vulg. *spondalia*, quae vox est nihili. In Guelf. A, *spondalli*. *Spondialia* Turnebus defendit Adv. XX, 7. Salmas. autem ad Solin. tom. I, pag. 88, emendabat *spondaulia*; cuius sensus etiam est in *spondialia*, ut neutrum alteri nisi ex codd. auctoritate praeferendum sit. Aurati vero coniecturâ, qui *Sophoclea* legendum censebat, facile supersedemus.

* *Segregare*) Sic in Teucro tragoedia Telamonem inducit loquentem Pacuvius. Telamon rex Salaminis ad bellum Troianum filios miserat Aiacem et Teucrum, ut alter alterum tueretur. Vt audivit Aiacem, ob negata Achillis arma, sibi manus intulisse, Teucrum, qui fratris necem ultus non fuerat, reversum eiecit. PAVST.

* *Salamina*) Salaminis insula prope Peloponnesum in sinu Saronico: nunc, teste Sophiano, *Coluri* dicitur. ID.

Nunquam illum aspectum) In hac

flens ac lugens dicere videbatur. Quae si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen agere sine dolore non poterat; quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. Saepe enim audivi, poëtam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt), sine inflammatione animorum existere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris.

48. Quare nolite existimare me ipsum, qui non heroum veteres casus, fictosque luctus vellem imitari, atque adumbrare dicendo, neque actor essem alienae personae, sed auctor meae, quum mihi M. Aquilius in civitate retinendus esset, quae in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem, ornatum a senatu, ovantem in Capitolium ascendisse meminissem, hunc

lectione consentiunt Guelf. A, B, C. Lambinus malebat, *illud aspectum*; quod Ernestio nimis grammatice et ieiune dictum videbatur.

Tamen agere sine dolore non poterat) Ernestio auctore delevi *recte*, quod vulgo ponitur inter *tamen* et *agere*. Nam hic non quaeritur de recte agendo; sed hoc dicitur, histrionem ista, quum *quotidie* ageret (ubi consuetudo agendi vim doloris retundere posset), tamen agere sine dolore non potuisse; multo minus esse putandum, Pacuvium in scribendo leni animo ac remisso fuisse.

* *Poëtam bonum neminem*) Sacro quodam afflatu furoris abripi poëtae dicuntur. Ovidius lib. III de Arte: *Est deus in nobis, sunt et commercia caeli; Sedibus aethereis spiritus ille venit.* Idem longe ante tradiderat Plato lib. III de Legibus, sed clarius et fusius in Ione: *Omnes*, inquit, *Epici poëtae boni, non ex arte, sed divino afflatu correpti omnia haec praeclara dicunt poëmata. Et Lyrici boni similiter, ut Corybantes non sana mente saltant, sic Lyrici non sana mente pulcra illa carmina componunt* etc. Pryst.

* (*Ovantem*) Ovantes scribit Festus laetantes esse ab eo clamore, quem victores milites geminata litera o emittunt. Rectius, ut mihi quidem videtur, Plutarchus ovationis nomen ab ove deducit; quod qui hoc minore triumpho decorarentur, ovem immolarent: quum taurum sacrificarent, quibus triumphus maior decernebatur. Porro quibus ovandi ius erat, primis reipub. romanae temporibus sine exercitu et legionibus pedites Vrbem ingrediebantur; ut ex Dionysio Halicarnasseo et Plutarcho patet: subinde consuetudo invaluit, ut purpura vestiti, et sceptrum manu te-

quum afflictum, debilitatum, moerentem, in summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem, tum magnopere moveri iudices, quum excitavi moestum ac sordidatum senem, et quum ista feci, quae tu, Crasse, laudas; non arte, de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem. Quum C. Marius moerorem orationis meae praesens ac sedens multum lacrymis suis adiuvaret; quumque ego illum crebro appellans, collegam ei suum commendarem, atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem: non fuit haec sine meis lacrymis, non sine dolore magno miseratio, omniumque deorum et hominum et civium et sociorum imploratio. Quibus omnibus verbis, quae a me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea.

49. Quamobrem hoc vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magister, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possitis. Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali et quaestore meo, tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi et dolore et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? Habueras enim tu omnia in causa superiora: vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribunitiam, in Caepionis gravi miserabilique casu, in iudicium vocabas; deinde principem et senatus et civitatis, M. Aemilium, lapide per-

nentes equo veherentur, concinentibus tibiis, et turmis equitum praecedentibus. Triumphantes autem picta vel aurata veste, tubis clangentibus, senatu sub praetextis currum comitante, turmis equitum subsequentibus, curru quadriiugo ferebantur. ID.

Lacrymis suis) Guelf. B omittit *suis*.

Habueras enim tu omnia) Sic Guelf. A, Ed. Omnib. Vulg. *habueras enim tum omnia*.

cussum esse constabat; vi pulsum ex templo L. Cottam et T. Didium, quum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare. Accedebat, ut haec tu adolescens pro republica queri summa cum dignitate existimarere; ego, homo censorius, vix satis honeste viderer seditiosum civem, et in hominis consularis calamitate crudelem, posse defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quaedam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset. Hic ego quid dicam me artem aliquam adhibuisse? quid fecerim, narrabo; si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis. Omnia seditionum genera, vitia, pericula collegi, eamque orationem ex omni reipublicae nostrae temporum varietate repetivi, conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes molestae semper seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas, et prope necessarias. Tum illa, quae modo Crassus commemorabat, egi; neque reges ex hac civitate exigi, neque tribunos plebis creari, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, neque provocationem, patronam illam civitatis, ac vindicem libertatis, populo romano dari sine nobilium dissensione potuisse; ac, si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si quis motus po-

* *Ex templo*) Recte iam Strebaeus explicavit: ex loco auguriis consecrato, ubi concio habebatur.

* *Censorius*) Quatuor ante quam hanc Norbani causam tueretur annis, M. Antonius cum collega L. Flacco censura fungebatur, nimirum anno V. C. 657, ante Christum 91, ut liquet ex Capitolinis fragmentis apud Pighium. Prvst.

Qui mihi quaestor fuisset) Guelf. A, *qui mihi legatus fuisset*, item duo Pall. et Gallic. ap. Gruterum, quod abhorret a veritate historica. Cf. cap. 50. Norbanum enim Antonius procos. in Ciliciam missus quaestorem habuerat.

Omnia seditionum) Sic fidenter rescripsi pro vulg. *omnium seditionum*. Nam omnes, quae unquam exortae essent, seditiones Antonius colligere haud poterat; id potius egerat, ut, quaecunque essent seditionum genera, vitia, pericula plene ostenderet.

Non continuo, si quis) Guelf. B, C, *non continuo si qui*.

puli factus esset, id C. Norbano in nefario crimine, atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si unquam populo romano concessum esset, ut iure concitatus videretur, id quod docebam saepe esse concessum, nullam illa causam iustiorem fuisse. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus; sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam, et animos equitum romanorum, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renovabam. Quod ubi sensi me in possessione iudicii, ac defensionis meae constitisse, quod et populi benevolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum seditionis coniunctione defenderam, et iudicum animos totos vel calamitate civitatis, vel luctu ac desiderio propinquorum, vel odio proprio in Caepionem ad causam nostram converteram: tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis coepi: me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more maiorum esse deberet, et pro mea omni fama prope fortunisque decernere; nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui

Renovabam) Vulg. additur *atque revocabam*, quod omittit Guelf. A. In MS. Erl. est unum *revocabam*, superscripto *renovabam*. Optimum est verba *atque revocabam* cum Pearcio, qui ea in nullo MStorum suorum invenit, delere. *Renovari ad odium* bene dicitur, ut de Inv. II, cap. 15: *quum animus auditoris renovatur ad ea, quae restant.*

Tunc admiscere) Guelf. A, B, *tum admiscere.*

* *In liberum loco*) Quam arcta sit praetoris et quaestoris necessitudo, ostendit Tullius Divinatione in Q. Caecilium: *Sic a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere: nullam neque iustiorem, neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam provinciae, quam officii, quam publicam muneris societatem.* PAVSTEVS.

saepe alienissimis a me, sed meis tamen civibus, saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem. Petebam a iudicibus, ut illud aetati meae, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent; praesertim si in aliis causis intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso deprecatum. Sic in illa omni defensione atque causa, quod esse in arte positum videbatur, ut de lege Apuleia dicerem, ut, quid esset minuere maiestatem, explicarem, perquam breviter perstrinxi atque attigi. His duabus partibus orationis, quarum altera concitationem habet, altera commendationem, quae minime praeceptis artium sunt perpolitae, omnis est a me illa causa tractata, ut et acerrimus in Caepionis invidia renovanda, et in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. Ita magis affectis animis iudicum, quam doctis, tua, Sulpici, est a nobis tum accusatio victa.

50. Hic Sulpicius, Vere hercule, inquit, Antoni, ista commemoras. Nam ego nihil unquam vidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum est elapsa illa causa. Quum enim, quemadmodum dixisti, tibi ego non iudicium, sed incendium tradidissem; quod tuum principium, dii immortales, fuit? qui timor? quae dubitatio? quanta haesitatio, tractusque verborum? Vt illud initio, quod tibi unum ad ignoscendum homines dabant, tenuisti, te pro homine pernecessario,

Sic in illa omni defensione) Guelf. A, *Sic in illa ipsa defensione.*

Omnis est a me illa causa tractata) Guelf. A, *omnis est tum illa causa tractanda.* Guelf. B, *omnis est tum a me illa causa tractata.*

Renovanda) Guelf. C, *revocanda.*

Animis iudicum) Lambin. *iudicum animis.*

Tua, Sulpici, est a nobis tum accusatio victa. — Lambin. *tua tum, S. est a nobis a. v.*

quaestore tuo, dicere; quam tibi primum munisti ad te audiendum viam? Ecce autem, quum te nihil aliud profecisse arbitrarer, nisi ut homines tibi, civem improbum defendenti, ignoscendum propter necessitudinem arbitrarentur, serpere occulte coepisti, nihildum aliis suspicantibus, me vero iam pertimescente, ut illam, non Norbani seditionem, sed populi romani iracundiam, neque eam iniustam, sed meritam ac debitam fuisse defenderes. Deinde qui locus abs te praetermissus est in Caepionem? ut tu illa omnia odio, invidia, misericordia miscuisti? Neque haec solum in defensione, sed etiam in Scauro, ceterisque meis testibus, quorum testimonia non refellendo, sed ad eundem impetum populi confugiendo, refutasti. Quae quum abs te modo commemorarentur, equidem nulla praecepta desiderabam. Istam enim ipsam demonstrationem defensionum tuarum, abs te ipso commemoratam, doctrinam non mediocrem esse puto.

51. Atqui, si ita placet, inquit Antonius, trademus etiam, quae nos sequi in dicendo, quaeque maxime spectare solemus. Docuit enim iam nos longa vita ususque rerum maximarum, ut, quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus.

Deinde) Guelf. B, C, *Denique.*

Quorum testimonio) Guelf. B, C, *quorum tu testimonio*, quod non displicet.

* *Quae cum abs te*) Quum explicuisti nobis rationem quam adhibuisti in defensione Norbani, visus sum mihi carere posse praeceptis omnibus artis oratoriae, et hoc uno exemplo contentus esse, quod imitarer. Pi VST.

Demonstrotionem defensionum tuarum) Quod vulgo hic additur: *abs te ipso commemoratam* malam interpolatoris cuiusdam sedulitatem prodit. Nam Antonius non commemoravit demonstrationem defensionum suarum, sed defensiones ipsas demonstravit. Et vide, quam male sonet: *istam enim ipsam demonstrationem defensionum tuarum, abs te ipso commemoratam*, praesertim quum proxime antecedat: *quae quum abs te modo commemorarentur.*

Inquit Antonius) Haec absunt Guelf. A. At B tantum omittit nomen proprium, haud scio an recte,

Equidem primum considerare soleo, postuletne causa. Nam neque parvis in rebus adhibendae sunt hae dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus, ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si aut tragoedias agamus in nugis, aut convellere adoriamur ea, quae non possint commoveri. Nam quoniam haec fere maxime sunt in iudicum animis, aut quicunque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, spes, laetitia, timor, molestia: sentimus amorem conciliari, si id videare, quod sit utile ipsis, apud quos agas, defendere; si aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni atque

Nam neque in parvis rebus — adhibendae) Forsan hic rectius omissa praepositione legatur: *nam neque parvis rebus — adhibendae.*

* *Tragoedias*) Tragoedias in nugis agere per proverbium dicitur ille, qui, ut ait Terentius, magno conatu magnas nugas dicit, vel in re levi tumultum excitat. Pavst.

Convellere adoriamur) Drakenborch. ad Liv. XXXV, 51 coniecit *adordiamur*, quod necessarium esse iam Ernesti negavit.

* *Amorem conciliari*) Amoris tres sunt causae, coniunctio, similitudo, et bonitas. Quapropter primo quidem amantur patria, parentes, liberi, consanguinei, affines, et foederati: deinde pares, qui sunt eiusdem aetatis, indolis et artis, nisi forte sibi incommodent, tum enim figulus figulo invidet: denique qui nos afficiunt beneficiis, et aliqua virtute excellunt. Consule Aristotelem lib. II Rhetor. Pavst.

Si id videare) Guelf. B, *si id videamur*, quod hic aptissimum est, quia praecedit *sentimus.* Victor. *si id velle videare.*

* *Quod sit utile ipsis*) Sic Tullius lib. I in Verrem: *Itaque mihi videor magnam, et maxime aegram, et prope depositam reip. partem suscepisse: neque in eo magis meae, quam vestrae laudi existimationique servisse. Accessi enim ad invidiam iudiciorum levandum, vituperationemque tollendam: ut quum haec res pro voluntate populi rom. esset iudicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum videretur.* Pavst.

* *Pro bonis*) Hinc Fonteio conciliat amorem Cicero: *Frugi igitur hominem, iudices, frugi, inquam, et in omnibus vitae partibus moderatum ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis videtis positum in vestra fide ac potestate: atque ita ut commissus sit fidei, permissus potestati. Videte igitur, utrum sit aequius, hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum dedi inimicissimis atque immanissimis nationibus, an reddi amicis.* Id.

utiles sint, laborare. Namque haec res amorem magis conciliat, illa virtutis defensio caritatem; plusque proficit, si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeteriti beneficii commemoratio. Enitendum est, ut ostendas, in ea re, quam defendas, aut dignitatem inesse, aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amorem, significes nihil ad utilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse causa sua. Invidetur enim commodis hominum ipsorum; studiis autem eorum ceteris commodandi favetur. Videndumque hoc loco est, ne, quos ob benefacta diligi volemus, eorum laudem atque gloriam, cui maxime invideri solet, nimis efferre videamur. Atque iisdem his ex locis et odium in alios struere discemus, et a nobis ac nostris demovere; eademque haec genera tractanda sunt in iracundia vel excitanda,

* *Nihil ad utilitatem suam*) Quod praestat Tullius oratione pro Milone: *Me quidem, iudices, exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, et quibus intersum quotidie. Valeant, inquit, valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet haec urbs praeclara, mihique patria carissima, quoquo modo merita de me erit: tranquilla rep. cives mei (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed per me tamen perfruantur. Ego cedam, atque abibo.* Id.

* *Invidetur*) Invidetur homini qui faciat aliquid utilitatis suae causa; graviter enim ferimus gloriam aliorum et commoda: sed eidem favetur, si aliis commodare et servire studeat, quia utilitate nostra ducimur. Id.

Et odium in alios) Guelf. A, *et in alios odium* ordine forsan concinniore.

* *Odium*) Est abalienatio quaedam animi perfecta, qua quis alterum perditum velit. Congestis et exaggeratis Clodii criminibus, in eum Cicero movet odium in Miloniana: *Occidi, occidi non Sp. Melium .... non Tib. Gracchum .... sed eum (auderet enim dicere, quum patriam periculo suo liberasset) cuius nefarium adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimae feminae comprehenderunt: eum, cuius supplicio senatus solemnes religiones expiandas saepe censuit: eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse: eum, qui civem, quem senatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis ac vitae civium conservatorem iudicabant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum quibuscum voluit, partitus est: eum, qui* etc. Prust.

Demovere) Sic Lambin. rectius quam alii *dimovere*.

vel sedanda. Nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur; sin, quod aut in bonos viros, aut in eos, in quos quisque minime debuerit, aut in rempublicam: tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen aut iracundia, aut odii non dissimilis offensio. Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus. Interior est ille proprius; sed hic quoque communis ad eandem similitudinem est perducendus. Par atque una ratio est spei, laetitiae, molestiae. Sed haud sciam,

Nam si quod ipsis, qui adiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur; sin quod aut in bonos viros, aut in eos, in quos quisque minime debuerit) Nihil hic mutandum censeo. Post *in bonos viros* subintelligitur ex antecedenti versiculo *factum*, et post *debuerit* facile cogitando suppletur *facere*. Lambinus tamen sic corrigendum censuit: *Nam si quod — creatur; sin quod aut bonis viris, aut iis, quos quisque minime laedere debuerit, aut reipublicae.* Pearcius vero: *Nam si quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id augeas, odium creatur; sin quod aut in bonos viros factum aut in eos*; qua transpositione posterior sententiae pars nihil lucratur, priori autem aliquid de subtilitate ac perspicuitate decedit.

Aut in eos, in quos) Guelf. A, B, C, *aut in eos quos.*

Aut iracundia) Vulg. *aut invidiae*, pro quo Guelf. B, C, saltem rectius habet *invidia*. Sed ne locus quidem hic est invidiae, de qua postea demum agitur. Ergo rescripsi *iracundia.*

* *Timor*) Definitur ab Aristotele lib. II Rhetor. *Timor est dolor ac perturbatio ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem, vel molestiam afferre possit.* PRVST.

* *Aut ex ipsorum periculis*) Cicero senatum propositis periculis metu deterret, ne legatos mittat ad Antonium Philippica 12: *Quod si est erratum P. C. spe falsa atque fallaci, redeamus in viam. Optimus est portus poenitenti mutatio consilii. Quid enim, per deos immortales, potest reip. prodesse nostra legatio? prodesse dico? quid si etiam obfutura est? obfutura? quid si iam nocuit? an vos acerrimam illam et fortissimam pop. rom. libertatis recuperandae cupiditatem non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis audita? quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio, quo contra commune incendium exarserat? An non putamus fore, ut eos poeniteat professos esse, et prae se tulisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt, qui arma, qui se totos et animis et corporibus in salutem reip. contulerunt?*

* *Spei*) Quum metui spes opponatur, recte definiri potest, gaudium ex opinione impendentis boni, quod vel conservare, vel afferre voluptatem possit. VOSSIVS. Spes excitatur proposita boni honestate et magnitu-

an acerrimus longe sit omnium motus invidiae; nec

dine, facilibusque et partis ad illud assequendum praesidiis; frangitur autem rei difficultate, ac malorum imminentium imagine. P. Scipio apud Livium lib. XXI, exposita victoriae facilitate, suis spem movet, et ad proelium contra Carthaginenses ineundum animos facit: *Erit in hoc certamine is vobis illisque animus, qui victoribus, et victis esse solet. Nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt. Nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectavere, eos, duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis, qui paene plures perierint quam supersint, plus spei nactos esse. At enim pauci quidem sunt, sed ingentes animis corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis ulla possit. Effigies, immo umbrae hominum, fame, frigore, illuvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque: ad haec perusti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quassata confractaque arma, claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi estis: reliquias extremas hostium, non hostes habebitis.* Id.

* *Laetitiae*) A Cicerone definitur IV Tuscul. Quaest. Opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur. Commovetur vel insperato bono, vel laeta fortunae commutatione. Sic Tullius ipso Catilinariae secundae exordio triumphat gaudio: *Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel eiecimus, vel emisimus; vel ipsum egredientem verbis prosequuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. Nulla iam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur.* Id.

* *Molestiae*) Molestia, sive dolor acerbus, est mali praesentis sensus. Iudicium in animis dolorem sic excitat Cicero pro Sextio: *Atque hic et tot civium squalor, hic luctus, hae sordes susceptae sunt propter unum me, quia me defenderunt, quia meum casum, luctumque doluerunt, quia me lugenti patriae, flagitanti senatui, poscenti Italiae, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum est in me scelus? quid tantopere deliqui illo die, quum ad vos indicia, literas, confessiones communis exitii detuli? quum parui vobis? At, si scelestum est amare patriam, pertuli poenarum satis: eversa domus est, fortunae vexatae, dissipati liberi, raptata coniux, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore volutatus est ad pedes inimicissimorum; ego pulsus aris, focis, diis penatibus, distractus a meis, carui patria, quam (ut levissime dicam) certe texeram: pertuli crudelitatem inimicorum, scelus infidelium, fraudem invidorum.* Id.

Molestiae) Guelf. C, *atque molestiae.*

* *Motus invidiae*) Invidiam Aristoteles lib. II Rhetor. cap. 10 sic definit: *Invidia est dolor quidam ob prosperitatem, quae apparet in bonis, de quibus dictum est, erga similes; idque non ut bene sit invidenti, sed propter illos*, quibus invidetur. Cicero lib. IV Tusculan. Quaest. *Invidentiam*, inquit, *esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invi-*

minus virium opus sit in ea comprimenda, quam in excitanda. Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, quum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse; sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer, et eo magis, si intolerantius se iactant, et aequabilitatem iuris praestantia dignitatis aut fortunae suae transeunt; quae si inflammanda sunt, maxime dicendum est, non esse virtute parta; deinde etiam vitiis atque peccatis; tum, si erunt honestiora atque graviora, tamen non esse tanti ulla merita, quanta insolentia hominis, quantumque fastidium. Ad

denti. Invidiae causa princeps est cupiditas excellendi, qua quis tantum sibi detrahi putat, quantum alteri adiicitur. Pavst.

Virium opus sit) Omittitur *sit* Guelf. A. Sane hic abesse potest.

Aut inferioribus) Mattius in annott. c. 28, p. 127, haec verba eiicienda censet, sine causa idonea. Nam ab inferioribus se vinci aegrius etiam ferunt homines, quam a paribus.

Aequabilitatem iuris) Guelf. A, *aequabilitatem communis iuris.* Sic iam Nizolius, Victorius aliique. Vocem *communis* Lambinus delevit, nec eam agnoscunt MSS. Bod. Harl. 2, Bal. Nov. a Pearcio laudati. Pro *aequabilitatem* ed. s. l. et a. *aequalitatem.*

* *Non esse virtute parta*) Cicero pro Roscio Amerino Chrysogonum in invidiam vocat ob divitias male partas: *Si hac indigna suspicione careat, animo aequo se carere suis omnibus commodis dicit. Rogat oratque te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit: si nullo in re te fraudavit: si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit: si vestitum, quo ipse tectus erat, annulumque digito suum tibi tradidit: si ex omnibus rebus seipsum nudum, neque praeterea quidquam excepit: ut sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere. Praedia mea tu possides, ego aliena misericordia vivo: concedo, et quod animus aequus est, et quia necesse est. Mea domus tibi patet, mihi clausa est: fero. Familia mea maximo uteris, ego servum habeo nullum: patior, et ferendum puto. Quid vis amplius?* Pavst.

Tanti ulla merita, quanta) Sic Guelf. A, B, C, et edd. vett. Lambinus correxit *tanto ullo merita, quanta*, quem sequutus est Pearcius auctoritate MS. Norf. Vulg. *tanti* Heusingerus probavit coll. Cort. ad Cic. Ep. VI, 9 extr. et ad Sall. Iug. I, 5. Burm. ad Ovid. Heroid. XVIII, 71.

* *Insolentia hominis*) Hinc facit invidiam M. Posthumio tribuno militum L. Decius tribunus plebis apud Livium lib. IV: *Auditis, Quirites, sicut servis, malum minantem militibus: tamen haec bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quam qui vos*

sedandum autem, magno illa labore, magnis periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata. seseque, si quam gloriam peperisse videatur, etsi ea non sit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamque abiicere atque deponere; omninoque perficiendum est, quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium, et pervagatum, invidetur autem praestanti florentique for-

urbe agrisque donatos in colonias mittunt; qui sedem senectuti vestrae prospiciunt: qui pro vestris commodis adversus tam crudeles superbosque adversarios depugnant. Incipite deinde mirari cur pauci iam vestram suscipiant causam. Prvst.

* *Magno illa labore*) Sic apud Livium lib. VI invidiam sedat M. Manilius Capitolinus Cornelio Cosso dictatori respondens: *Offendit te, A. Corneli, vosque P. C. circumfusa turba lateri meo. Quin eam deducitis a me singuli vestris beneficiis? intercedendo, eximendo de nervo cives vestros, prohibenda iudicatos addictosque duci, ex eo quod affluit opibus vestris, sustinendo necessitates aliorum? Sed quid ego vos de vestro impendatis hortor? sortem aliquam ferte de capite: deducite quod usuris pernumeratum est: iam nihilo mea turba quam ullius conspectior erit. At enim quid ita solus ego civium curam aga? Nihilo magis quod respondeam habeo, quam si quaeras quid ita solus Capitolium arcemque servaverim. Et tum universis quum potui, opem tuli, et nunc singulis feram.* Id.

Parta) Guelf. B, C, *parata*.

* *Nec ad suum commodum*) Ex hoc capite motam in se invidiam comprimit Tullius Oratione pro Sylla: *Ego tantus a me beneficiis in rep. positus, si nullum aliud mihi praemium a senatu populoque romano, nisi honestum otium postularem, quis non concederet? sibi haberent honores, sibi imperia, sibi provincias, sibi triumphos; sibi alia praeclarae laudis insignia: mihi liceret eius urbis, quam conservassem conspectu, tranquillo animo et quieto frui. Quid si hoc non postulo? si ille labor meus pristinus, si solicitudo, si officia, si opera, si vigiliae deserviunt amicis, praesto sunt omnibus? si neque amici in foro requirunt studium meum, neque respub. in curia? si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris, neque aetatis excusatio vindicat a labore? si voluntas mea, si industria, si domus, si animus, si aures patent omnibus? si mihi ne ad ea quidem, quae pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quidquam relinquitur temporis? tamen hoc regnum appellabitur? cuius vicarias qui velit esse, inveniri nemo potest.* Prvst.

Etsi ea non sit) Guelf. A, B, Erl. et Edd. vett. habent *tamen etsi*, ex quo Ald. Iunt. fecerunt *tametsi*. Recte animadvertit Ernesti, *tamen* huc e sequentibus temere venisse.

Invidetur autem praestanti florentique fortunae) Ernesti haec uncis inclusit, ut manifesto spuria. At enim si haec eiiciantur, verba *ut haec opinio minuetur* prorsus nihil habent, ad quod referantur. Itaque si hic in-

tunae, ut haec opinio minuatur, et illa excellens opinione fortuna cum laboribus et miseriis permista esse videatur. Iam misericordia movetur, si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quae de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat; aut intuens alium, crebro ad seipsum revertatur. Ita cum singuli casus humanarum miseriarum graviter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta, et prostrata virtus maxime luctuosa est; et, ut illa altera pars orationis, quae probitatis commendatione, boni viri debet speciem tueri, lenis (ut saepe iam dixi), atque summissa: sic haec, quae suscipitur ab oratore ad commutandos animos atque omni ratione flectendos, intenta ac vehemens esse debet.

52. Sed est quaedam in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum vehemens esse volumus, difficilis ad distinguendum similitudo. Nam ex illa lenitate, qua conciliamur iis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet

terpolata quaedam esse viderentur, certe haec verba una cum illis rescanda essent, ut sic oratio decurreret: *omninoque perficiendum est, quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium et pervagatum, ut illa excellens opinioae fortuna cum laboribus et miseriis permixta esse videatur.* Attamen in vulgata Ciceronis numerum mihi visus sum agnoscere, etsi luxuries quaedam est verborum, nec sententia presse satis enuntiata.

* *Cum laboribus*) Eadem pro Sylla oratione paulo post sic idem Tullius: *Quod si illis meis praesidiis forte invides, et si tibi ea regia videntur, quod omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum mea coniungant; consolare te, quod omnium mentes improborum mihi uni maxime sunt infensae et adversae, qui me non solum idcirco oderunt, quod eorum conatus impios et furorem consceleratum repressi: sed eo etiam magis, quod nihil iam se simile me vivo conari posse arbitrantur.* Prvst.

Ad se ipsum revertatur) Pearcius conj. *ad se ipse.* Male. Nam hic oppositio est inter *alium* et *ipsum.* Iudici proponitur exemplum alienae miseriae; ita ut cogitare debeat, si ista miseria non illum alium, sed se ipsum perculisset, quomodo secum agendum putaret! Ergo *alium* intuens ad se *ipsum* revertitur.

Nam ex illa lenitate) Guelf. A, C, *nam et ex illa lenitate.*

aliquid, et ex hac vi nonnunquam animi aliquid inflandum est illi lenitati; neque est ulla temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur, remissio autem lenitatis quadam gravitate et contentione firmatur.

53. In utroque autem genere dicendi, et illo, in quo vis atque contentio quaeritur, et hoc, quod ad vitam et mores accommodatur, et principia tarda, et exitus tamen spissi et producti esse debent. Nam neque assiliendum statim est ad illud genus orationis (abest enim totum a causa, et homines prius ipsum illud, quod proprium sui iudicii est, audire desiderant), nec,

Inflandum) Vulg. *inflammandum*. Olim, ut Guelf. B, C, *influendum*. Hensingerus olim *inducendum*, postea *instillandum* legi volebat. *Inflandum* est e coniectura Gulielmi, et legitur in marg. ed. Melanchth. Hoc igitur cum Pearcio unice probandum videtur; hactenus tamen, ne illi demus, loquendi formulam Cic. Or. in Pison. c. 36: *quum tibi spe falsa animos rumor inflasset*, per omnia huic nostrae similem esse. Immo multum altera ab altera differt. Aliud enim est *animi aliquid inflare*, et *animos spe inflare*. Quod autem Ernesti cum Grutero prorsus hic delendum putabat participium, id concinnitas membrorum non patitur. Ac facile explicatur, quomodo ex *inflandum* ortae sint falsae lectiones. Alii pro *inflandum*, quasi esset compendium scribendi, dederunt *inflammandum*. Qui autem *influendum* scripserunt, iis obversabatur antecedens *influat*, ut saepe factum scimus.

Tarda) Guelf. A, B, C, *tarda sunt*, ut vulgo. Rectius tamen id abesse sensit Pearcius. *Principia tarda esse debent* h. l. significat, utrumque illud genus, quod graece dicitur ἦθος καὶ πάθος, tardius incipiendum, seu, ut ipse explicat, non statim ad illud assiliendum esse.

Et exitus tamen spissi et producti esse debent) Non necesse est *tamen* cum MS. Harl. 1 delere, vel cum Lambino *item* reponere. Sensus enim hic est: Etiamsi ad illud genus, in quo vis atque contentio quaeritur (παθητικόν), et ad hoc, quod ad vitam et mores accommodatur (ἠθικόν), tardius accesseris (quod modo erat praeceptum) *exitus tamen spissi atque producti esse debent*, h. e. ut ipse explicat, si semel ingressus fueris in eam rationem, non nimis celeriter discedendum est. *Spissi* Pearcius perperam interpretatur *obscuri*. Immo est i. q. *lenti*, metaphora ducta a liquoribus spissis, viscidis, lentis, qui non celeriter diffluunt. Sic in verbis *si est aliquanto spissius* Cic. Orat. III, 36, non est, ut Pearcius putabat, *obscurius*; sed potius significatur: *si hoc negotium est aliquanto lentius, et quod non possit celeriter transigi.*

Ad illud genus) *Ad genus illud* Guelf. A.

quum in eam rationem ingressus sis, celeriter discedendum est. Non enim, sicut argumentum, simul atque positum est, arripitur, alterumque et tertium poscitur; item misericordiam, aut invidiam, aut iracundiam, simul atque impuleris, possis commovere. Argumentum enim ratio ipsa confirmat, cui, simul atque emissum est, adhaerescit; illud autem genus orationis non cognitionem iudicis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi, nisi multa et varia et copiosa oratione, et simili contentione actionis, nemo potest. Quare qui aut breviter, aut summisse dicunt, docere iudicem possunt, commovere non possunt; in quo sunt omnia.

Iam illud perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari locis. Sed argumento resistendum est, aut iis, quae comprobandi eius causa sumuntur, reprehendendis, aut demonstrando, id, quod concludere illi velint, non effici ex

Aut iracundiam) Guelf. B, *atque iracundiam*.

Argumentum enim ratio ipsa confirmat, cui simul atque emissum est, adhaerescit) Optime sic emendavit vulgatam, *quae simul atque emissa est adhaerescit* Wyttenbachius bibl. crit. vol. I, P. 1, p. 21. Sic et infra c. 54: *ante illud facetum dictum emissum haerere debeat, quam cogitari posse videatur*. Strebaeus h. l. exponit sic, quasi legisset: *argumenti enim ratio simul atque emissa est adhaerescit*, scil. animis. Vnice autem vera est Wyttenbachii emendatio, quae facilitate pariter atque elegantia commendatur.

Commovere) Guelf. B, C, *movere*.

* *Argumento resistendum*) Refutationis regulas breviter sic colligit Iulius Severianus: *Proposito eo quod adversarius dixerit, respondebimus duobus modis, aut non esse id, aut non ideo nos vinci debere*. Prima ratione utitur Cicero pro Roscio Amerino, quum eum penitus negat parricidii reum, altera utitur pro Milone, a quo non negat occisum Clodium, sed iure occisum contendit, quod non alio modo vim repellere posset Milo. PRVST.

* *Iis, quae comprobandi*) Ita sub initium Milonianae: *Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quae primum iudicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui nondum libera civitate pop. rom. comitiis liberatus est, quum sua manu sororem interfectam esse fateretur* etc. ID.

propositis, nec esse consequens; aut, si ita non refellas, afferendum est in contrariam partem, quod sit aut gravius, aut aeque grave. Illa autem, quae aut conciliationis causa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus efferenda sunt, ut odio benevolentia, misericordia invidia tollatur.

54. Suavis autem est, et vehementer saepe utilis iocus, et facetiae, quae, etiamsi alia omnia tradi arte possunt, naturae sunt propria certe, neque ullam artem desiderant. In quibus tu longe aliis, mea sententia, Caesar, excellis; quo magis mihi etiam testis esse potes, aut nullam esse artem salis, aut, si qua est, eam nos tu potissimum docebis.

Ego vero, inquit Caesar, omni de re facetius puto

Ex propositis) Sic Guelf. A, B, C. At MS. Memm. *ex positis*. Illud autem Ernesti recte monuit proprium esse in hac re verbum.

* *Nec esse consequens*) Quod in urbem non veniret Roscius filius, inde eum invisum fuisse patri Erucius colligebat. Hoc minime cohaerere Cicero ostendit oratione pro Roscio Amerino. PRUST.

* *In contrarium partem*) Quum facinus negari potest, idem in adversarium, si licet, retorquendum est. Tullius Tuberonem Ligarii accusatorem, quod etiam arma contra Caesarem tulisset, exagitat: *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? quis sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* ID.

Efferenda sunt) Sic Guelf. A, et MSS. Ioan. Nov. Mead. Harl. 1, 2, et Bal. quod si pro *vincenda*, *superanda* dictum videatur, non est aspernandum. Vulg. *inferenda* prorsus ineptum est. Heusingerus em. *evertenda*. Ante eum Walkerus et Pearcius *infirmanda*, quod profecto aptissimum est. Saepius *infirmare* et *tollere* componi docuit Pearcius exemplis locorum Cic. de Nat. Deor. II, c. 59; Ac. Quaest. IV, c. 6. Fortasse mollissimum fuerit *auferenda* corrigere; ac sic videtur Strebaeus legisse.

Misericordia) Guelf. A, C, *ut misericordia*, non male repetita particula.

Inquit Caesar) Abest *Caesar* Guelf. A, B, C, et commode hic abesse potest.

Facetius) Gruterus e MSS. praeferebat *facilius*, quod Pearcius in Ioan. Harl. 1, Bod. et Mag. Ernesti quoque in Erl. invenit; et notatur ab Heusingero e tribus Guelff. At hoc minime admittendum. Nam sequitur *quam de ipsis facetiis*, in quo misere frigeret *ipsis*, si *facilius* legeretur. Accedit quod in hac lectione prorsus nihil significaretur verbis

posse ab homine non inurbano, quam de ipsis facetiis, disputari. Itaque quum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis, nonnullam in spem veneram, posse me aliquid ex istis discere. Inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum; nam et Siculi in eo genere, et Rhodii, et Byzantii, et praeter ceteros Attici excellunt; sed qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut

ab homine non inurbano, quod ad rem pertineret, ut iam Pearcius intellexit. Vt igitur nostri homines dicerent: *Es lasst sich leicht. witziger uber alles andere sprechen, als uber die witzigen Einfalle selbst*; sic h. l. Caesar dicit: *omni de re facetius posse ab homine non inurbano, quam, de ipsis facetiis, disputari.* Nempe *facete disputare* est ita disputare, ut caveatur insulsitas, quae paulo post in iis reprehenditur, qui conati essent iocorum rationem quandam artemque tradere.

* *Nullam esse artem salis*) Quorsum igitur, inquiet aliquis, hic de iocandi ratione praecepta traduntur? Nodum hunc solvit Quint. lib. VI, cap. 3: *Hoc quidquid est, ut non ausim dicere carere omnino arte, quia nonnullam observationem habet, suntque ad id pertinentia et a Graecis et a Latinis composita praecepta: ita plane affirmo praecipue positum esse in natura et occasione.* Prvst.

Nannullam in spem veneram, posse me aliquid ex istis discere) Parum abest, quin indiguer, hic adeo dormitasse bonum Ernestium, ut putaret, hic legendum esse *non ullam in spem veneram*, quod a sensu necessario prorsus abhorret. Caesar ait: Ego omni de re facetius puto posse ab homine non inurbano, quam de ipsis facetiis, disputari; scil. hoc consilio, ut earum quasi rationem quandam et artem instituamus. Itaque quum ita iam olim indicassem, et quosdam graecos libros inscriptos esse vidissem de ridiculis, nonnullam in spem veneram, posse me aliquid ex iis discere. Hanc spem deinde dicit frustratam fuisse. Facilius consecutio sententiae appareret, si legeretur: *Atqui quum quosdam* — sed *itaque* recte se habet, si modo teneatur, in *puto* simul latere *putabam*.

Posse me aliquid ex istis discere) Guelf. A, *posse me aliqud ex his discere.*

* *Siculi*) Incolae Siciliae, quae in mari mediterraneo insula ab extrema versus orientem Italiae parte perangusto freto seiungitur. Dicta praeterea est Sicania, et Trinacria, aut Triquetra, a figura, auctore Plinio. Nunc appellatur *la Sicile*. De Rhodiis dictum alibi. Prvst.

* *Byzantii*) Byzantium nobilissima Thraciae civitas ad Bosphorum Thracium sita, cui totius orbis spoliis locupletatae nomen suum imposuit Constantinus Magnus anno post Christum 330, ex quo dicta est Constantinopolis. Ab anno 1453 subiecta est Turcis, a quibus *Stamboul* appellatur. Idem.

nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas, rideatur. Quare mihi quidem nullo videtur modo doctrinâ ista res posse tradi. Etenim quum duo genera sint facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, illa a veteribus superior *cavillatio*, haec altera *dicacitas* nominata est. Leve nomen habet utraque res! quippe; leve enim est totum hoc, risum movere. Veruntamen, ut dicis, Antoni, multum in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi. Sed quum in illo genere perpetuae festivitatis ars non desideretur: natura enim fingit homines et creat imitatores et narratores facetos, et vultu adiuvante, et voce, et ipso genere sermonis: tum vero in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, quum ante illud facete dictum emissum haerere debeat, quam cogitari potuisse videatur? Quid enim hic meus frater ab arte adiuvari potuit, quum a Philippo interrogatus, quid latraret: *Furem se videre*, respondit? Quid in omni oratione Crassus vel apud centumviros contra Scaevolam, vel contra accusatorem Brutum, quum pro Cn. Planco diceret? Nam id, quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasso

Quare mihi quidem nullo videtur modo) Guelf. A, *quare mihi videtur quidem nullo modo.* Guelf. B, *quare mihi quidem nullo modo videtur.* Vulgo olim omittebatur *quidem*; id recte tuentur MSS. et edd. vett.

Leve nomen habet utraque res! quippe) Sic interpungendum est. Nam in *leve — res!* est obiectio; et *quippe* est respondentis cum affirmatione. Iam editio Omnib. praeivit hanc interpunctionem.

Et vultu adiuvante) Guelf. A, *adiuvante et vultu.* Melius fortasse.

Facete dictum) Ita MSS. plures, quos Pearcius enumerat. Item Guelf. A, Similiter ediderunt Steph. et Lamb. Schutzio tamen videtur praeferri debere *facetum dictum*, et comparat non absimilem locutionem, *bonum dictum*. Ed. Tayr.

* *A Philippo interrogatus quid latraret*) Depeculatorem Philippum fuisse Catulus notavit, et aerarii furem: solent autem canes noctu fures allatrare. Sic Cato privatorum furtorum fures dixit *in nervo* aetatem agere: fures publicos, id est depeculatores, *in auro atque purpura*. Cato etiam Vticensis apud Sallustium fures aerarii appellat. Aut certe furem et spoliatorem provincialium: non enim hic censeam alia Philippo furta obiici. Tvrn.

est, omnium sententia, concedendum. Non enim fere quisquam reperietur, praeter hunc, in utroque genere leporis excellens, et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est. Nam haec perpetua contra Scaevŏlam Curiana defensio, tota redundavit hilaritate quadam et ioco; dicta illa brevia non habuit. Parcebat enim adversarii dignitati; in quo ipso servabat suam; quod est hominibus facetis et dicacibus difficillimum; habere hominum rationem et temporum, et ea, quae occurrant, quum salsissime dici possint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. Dicere enim aiunt Ennium: « flammam a sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat »; haec scilicet bona dicta, quae salsa sint. Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine.

In quo ipso servabat suam) Sic Guelf, B; at C, *in quo ipso conservabat suam*. Pearcius e compluribus MSS. dedit *in quo ipse servabat suam*. Sed vis pronominis *ipse* hic non est in persona Crassi, sed in re, qua de agitur, q. d. in eo ipso, quod adversarii dignitati parcebat, suam servabat Crassus, quia indignum eo fuisset Scaevolae dignitati non parcere. — A Pearcio stat Ernesti, animadvertitque τὸ *ipso* ab Ascensio et Aldo fluxisse. Ed. Taur.

* *Ridiculi*) i. e. faceti, lepidi.

* *Non insulse interpretantur*) interpretari h. l. non est explicare, sed eloqui, verbis efferre.

* *Quam bona dicta teneat*) Citatur haec Enniana sententia Symmacho in epistolis: quamquam Socratica potius est; nam Socratis verbum istud refertur: *Σωκράτης ἔλεγεν, ὅτι ῥᾷον ἄν τις διάπυρον ἄνθρακα ἐπὶ τῆς γλώττης κατάσχοι, ἢ λόγον ἀπόρρητον*, id est, *Socrates dicebat, facilius homines ardentem carbonem in lingua retenturos, quam quod arcano commissum sit*. Os autem si ardeat, id est, in ore si sit flamma, qui nolit uri et laedi, os non occludat, sed quam maxime hiante flammam exspuat. Ennius autem bona dicta sententias intellexerat, quas sapiens tenere se non potest, quin loquatur. At homines faceti idem de dicacibus usurpare solebant, et aliter versum interpretari. Ab eadem mente Ennius docta dicta appellavit: *Haud doctis dictis certantes, sed maledictis*. Et Catullus, XI, 15, *pauca nunciate meae puellae non bona dicta*, quum scripsit, maledicta significavit. Sunt etiam alia significatione dicta, dicacitates, et verba salsa. Plautus Capt. III, 1, 23: *Dico unum ridiculum dictum de*

55. Sed ut in Scaevola continuit ea Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam disputationemque lusit; sic in Bruto, quem oderat, et quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere pugnavit. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio dixit? Atque illa brevia, quum ille diceret, se sine causa sudare: *Minime mirum*, inquit; *modo enim existi de balneis.* Innumerabilia huiuscemodi fuerunt, sed non minus iucunda illa perpetua. Quum enim Brutus duos lectores excitasset, et alteri de colonia

dictis melioribus. Qui (Gronov. *Quibus*) *solebam menstruales epulas ante adipiscier.* In quem sensum versum Ennianum faceti homines, ut dixi, accipiebant. Turn.

In Scaevola) Sic MS. Ioan. Harl. 1, Guelf. A, recte, ut postea *in Bruto.* Cf. Cort. ad Sall. Catil. cap. 51, 15. Vulg. *in Scaevolam.*

* *Lusit*) Italice: *voltò in iecherzo.*

Minime mirum, inquit, modo enim existi de balneis) Guelf. A, *Minime enim modo existi de balneis.* B, *Minime mirum inquit enim existi.* Heusingerus putabat, si *mirum* retineretur, plane otiosum id ac frigidum fore, quod Brutus iam dixerat *se sine causa sudare.* Idem Pearcio visum. Quid autem, si Brutus dixisset, *Miror quid sit, quod sudem?* Tum Crassus apte respondisset, *minime mirum.* Praeterea nimis concisum est, quod Heusingero placebat: *Minime. Existi de balneis.* Nam illud *modo enim* servandum est, non solum per se, quia nemo potest, nisi qui *modo* exierit de balneo, propter hanc causam sudare; sed etiam quia paulo ante dictum erat: *quam multa de balenis, quas* NUPER *ille vendiderat* — Ceterum Pearcius illud *sine causa sudare* sic accepit, quasi Brutus dixerit, se in impugnanda Plancii causa contra Crassum nimis vehementer agere, quum sine sudore accusari Plancius et vinci Crassus potuerit. At nisi *sudare* proprie accipias, frigidiusculum esset Crassi dictum, quod ad inanem lusum ex amphibolia rediret. Praestat igitur verum hic sudorem intelligere. Notum est enim, oratores saepe sic sudasse, ut frons esset sudario detergenda; cf. Quintil. Inst. or. VI, 3, 60, XI, 3, 148.

Quum enim Brutus duos lectores excitasset) Cum hoc loco comparandum est Orat. pro Cluentio c. 51, quod quia illum egregie illustrat, huc transcribere placet: « Ego vero — L. Crassi auctoritatem sequor, qui quum L. Plancium defenderet, accusante M. Bruto, homine in dicendo vehementi et calido, quum Brutus, duobus recitatoribus constitutis, ex duabus eius orationibus capita alterna, inter se contraria, recitanda curasset, quod in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem ferebatur,

Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et quum contraria inter sese de republica capita contulisset; noster hic facetissime tres patris Bruti de iure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo: « FORTE EVENIT, VT IN PRIVERNATI ESSEMVS. Brute, testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse. » Deinde ex libro secundo: « IN ALBANO ERAMVS EGO, ET MARCVS FILIVS. Sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis, norat hunc gurgitem; metuebat, ne, quum is nihil haberet, nihil es-

quantum potest, de auctoritate senatus detrahit; in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus, et multa in equites romanos quum ex ea oratione asperius dicta recitasset, quo animi illorum iudicum in Crassum incenderentur, aliquantum esse commotus dicitur. Itaque in respondendo primum exposuit utriusque rationem temporis, ut oratio ex re et causa habita videretur; deinde ut intelligere posset Brutus, quem hominem, et non solum qua eloquentia, verum etiam quo lepore et quibus facetiis praeditum lacessisset, tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis, quos M. Brutus, pater illius accusatoris, de iure civili reliquit. Eorum initia quum recitarentur ea, quae vobis nota esse arbitror: FORTE EVENIT, VT RVRI IN PRIVERNATE ESSEMVS EGO ET BRVTVS FILIVS; fundum Privernatem flagitabat. IN ALBANO ERAMVS EGO ET BRVTVS FILIVS: Albanum poscebat. IN TIBVRTE FORTE QVVM ASSEDISSEMVS EGO ET BRVTVS FILIVS: Tiburtem fundum requirebat. Brutum autem hominem sapientem, quod filii nequitiam videret, quae praedia ei relinqueret, testificari dicebat voluisse. Quodsi potuisset honeste scribere, se in balneis cum id aetatis filio fuisse, non praeterisset; eas se tamen ab eo balneas non ex libris patris, sed ex tabulis et ex censu quaerere. »

* *De colonia Narbonensi*) Haec colonia Narbonem deducta est A. V. C. 636, Crasso annum vicesimum tertium agente, M. Porcio Catone Q. M. Rege coss. Cicero in Bruto c. 43: *Voluit* (Crassus) *adolescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. Exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam illa aetas ferebat, oratio.*

* *De lege Servilia*) Intelligitur lex iudiciaria Q. Servilii Caepionis de qua dictum ad Cic. Rhet. lib. I, 49.

Contraria inter sese de republica capita) Quid hoc sit, intelligi potest ex loco Ciceronis orat. pro Cluentio. In dissuasione rogationis adversus coloniam Narbonensem carpendus erat a Crasso senatus, qui plerumque alienus erat a coloniis deducendis, ne vectigalia populi rom. minuerentur. In suasione legis Serviliae contra laudandus erat senatus. Hinc illa capita contraria.

se ei relictum putaretur. » Tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit: (tot enim, ut audivi Scaevolam dicere, sunt veri Bruti libri) IN TIBVRTI FORTE ASSEDIMVS EGO, ET MARCVS FILIVS. Vbi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi puberem te, inquit, iam haberet, quartum librum composuisset, et se etiam in balneis lotum cum filio, scriptum reliquisset. » Quis est igitur, qui non fateatur, hoc lepore, atque his facetiis non minus refutatum esse Brutum, quam illis tragoediis, quas egit idem, quum casu in eadem causa funere efferretur anus Iunia? Proh dii immortales,

Quod nisi puberem te iam haberet — composuisset) Optime Heusingerus in praef. ad Cic. de Off. pag. 56. H. l. noster temporum sensus (scil. Germanicae linguae indoli assuetus) flagitat *habuisset*; Latinorum ἀκρίβεια non item. Tum enim, quum quartum librum Bruti pater componere potuisset, filium puberem non *habuerat* solum, nec *habuit*, sed *habebat*.

* *Puberem*) Patri cum filio pubere in balneis lavari non licebat, nec socero cum genero. Cicero de Off. I, 35: *Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur*. TVRNEB.

Funere efferretur) Guelf. A, *feretur* omisso *funere*. Guelf. B, C, *cum funere ferretur*.

* *Iunia*) Popilia omnium prima Romae in funere laudationem meruit, quum ante honoratis tantum viris ea tribueretur. Ac Ciceroni displicet, lib. II de Legibus, c. 24, laudatio mulierum, quum legem tantum de viris hanc sanciat: *Honoratorum*, inquit, *virorum laudes in concione memorantur*. Quamquam Plutarchus iam inde usque a Camilli aetate honestis matronis eam fuisse dicit tributam ob collatum ornamentorum suorum aurum in Apollinis crateram: quum Livius tamen scribat, tantum eis concessum, ut sacrorum et ludorum causa pilentis carpentisque uterentur. Paulo post Popiliam idem honos est tributus Iuniae, quae ex Brutorum erat familia. Ducebantur autem in forum funera laudationis causa: quod quomodo fieret, ex Polybio subiicere placet: Οταν γὰρ μεταλλάξῃ τις παρ' αὐτοῖς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, etc. Id est: « Quum apud eos illustris vir aliquis ex hac migravit vita, in funere cum reliquo ornatu in forum fertur, ad rostra quae vocantur, interdum stans ante omnium oculos, raro recubans. Circumfusa autem populi corona, in rostra ascendit filius, si quem puberem reliquit, qui forte adsit, sin minus propinquus aliquis, et de mortui virtutibus dicit, rebusque quas is prospere gesserit. Eo deinde sepulto, iustisque factis, mortui imaginem in illustrissimo domus loco ponunt, in cellula lignea conditam. Imago autem

quae fuit illa, quanta vis! quam inexspectata! quam repentina! quum, coniectis oculis, gestu omni imminenti, summa gravitate et celeritate verborum: *Brute, quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te facere? cui rei, cui gloriae, cui virtuti studere? Patrimonione augendo? at id non est*

persona est ad similitudinem egregie expressa et forma, et lineamentis. Has imagines et in publicis feriis aperiunt, ornantque magnifice: et cum ex familia clarus aliquis moritur, in funus producunt. TVRNEB.

Brute, quid sedes) Nempe hac interrogatione Bruti ἀναισθησίαν carpebat, qui posset anus Iuniae funus quiete sedens spectare, nec mala nequitiae suae generis nobilitatem dedecorantis conscientia turbaretur.

Quid illis omnibus, quorum imagines duci vides, maioribus tuis?) Vulgo editur: *quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis?* At ii multi, quorum imagines in funere anus Iuniae ducebantur, erant ipsius Bruti maiores. Ergo necessario delendum erat *quid* post *vides*. Et sic paulo post: *tu imagines istas non perhorrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti*, quibus ex verbis plane perspicitur, non alias quam Bruti maiorum imagines hic significari.

* *Quorum imagines duci vides*) *Apud maiores in atriis hae imagines erant, quae spectarentur, non signa externorum artificum, nec cera et marmora: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines quae comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo, totus aderat familiae eius, qui unquam fuerat, populus* (Plinius lib. XXXV, cap. 2). PAVST.

* *At id non est nobilitatis*) Non Romanis modo, verum etiam Graecis visum est ignobile faciendi quaestus studium. Scribit Aristoteles politicorum lib. III, c. 5, apud Thebanos lege cautum fuisse, ne quis ad honores reip. promoveretur, nisi decem annos a mercatura destitisset. Consule, si vacat, eundem Aristotelem lib. I, cap. 11. Cicero lib. I Officior. *Illiberales*, inquit, *sordidi quaestus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur. Est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis*. Et paulo post: *Mercatura autem si tenuis est, sordida putanda est, sin magna et copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda*. Hoc mercaturae genus salvo dignitatis iure nonnullos equites romanos exercuisse patet ex ultima Verrina: *Clamabat ille miser se civem esse Romanum, Municipem, Cosanum, meruisse se cum L. Pretio, splendidissimo equite romano, qui Panormi negotiaretur, ex quo haec Verres scire posset*. PAVST.

nobilitatis. Sed fac esse, nihil superest; libidines totum dissipaverunt. An iuri civili? est paternum. Sed dicet, te, quum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum recepisse. An rei militari? qui nunquam castra videris? An eloquentiae? quae nulla est in te; et, quidquid est vocis ac linguae, omne in istum turpissimum calumniae quaestum contulisti. Tu lucem aspicere audes? tu hos intueri? tu in foro? tu in urbe, tu in civium esse conspectu? tu illam mortuam, tu imagines istas non perhorrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti. Sed haec tragica atque divina; faceta autem et urbana innumerabilia ex una concione

* *Solium tibi paternum*) in quo scilicet Brutus pater sedebat, quum de iure respondebat.

* *Solium tibi paternum*) In excipiendis rutis et caesis, quae in mancipatione praediorum excipi solent, non retinuisse sellam patris, in qua ille ius respondere solebat. Hic enim *recipere* est excipere. Cicero lib. I de Legibus, cap. 3: *Praesertim quum non recusarem, quominus more patrio sedens, in solio consulentibus responderem.* Ita qui solium vendiderit, ius non respondebit. TVRN.

* *Calumniae quaestum*) Qui huic studio serviebant, dicebantur quadruplatores, quod ex damnatorum quos detulerant, bonis, quarta pars ipsis cederet, infame omnino et odiosum hominum genus. PRVST.

Imagines ipsas) Omissum *ipsas* Guelf. C. Sed in *ipsas* esset gradatio, quae hic nulla esse potest. Nam magis perhorrescere matrem, quam imagines, debebat. Legendum igitur est *istas*. Vt enim supra dicebat: *quid illam anum — quid illis omnibus, quorum imagines duci vides*, sic h. l. poni debet: *tu illam mortuam, tu imagines istas.* — Vt ita excuderetur, curavi. ED. TAVR.

Vllum locum) Guelf. B, *locum ullum*, melius, opinor.

Ex una concione meministis. Nec enim contentio maior unquam fuit) Vulgo editur: *ex una concione meministis. Nec enim concio unquam maior fuit, nec apud populum gravior oratio*; qua in lectione hoc incommodum est, quod vocabulum *concio* bis deinceps positum duplici significatione ponitur. Primum enim significat orationem ad populum, deinde ipsum populi concilium. Neque vero exputari potest, cur h. l. id addiderit, *nullam unquam populi concionem maiorem fuisse.* In MSS. quae Pearcius consuluit, Ioan. Mead. Bal. Cant. Wag. Harl. 1, 2, est: *ex una contentione meministis, nec enim concio maior unquam fuit* etc. et sic quoque MS. Guelf. A, B, quam lectionem pessimam indicat Heusingerus. Eam tamen Pearciu

meministis. Nec enim contentio maior unquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quam huius contra collegam in censura nuper, neque lepore et festivitate conditior.

56. Quare tibi, Antoni, utrumque assentior, et multum facetias in dicendo prodesse saepe, et eas arte nullo modo posse tradi. Illud quidem admiror, te nobis in eo genere tribuisse tantum, et non huius rei quoque palmam, ut ceterarum, Crasso detulisse.

Tum Antonius, Ego vero ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc Crasso paulum inviderem. Nam esse quamvis facetum atque salsum, non nimis est per se ipsum invidendum; sed, quum omnium sit venustissi-

in ordinem recepit. Imitatus cum est Ernesti, qui tamen falso sibi persuasit, h. l. de oratione in iudicio agi. Etenim Crassus hanc orationem censura nondum deposita habuit, quem magistratum dum gerebat, nemo eum poterat in iudicium vocare. Immo paulo post sub finem c. 56, Cicero diserte dixit: *ut in ista ipsa concione nihil fere dictum est ab eo — quod non provocatus responderit.* Notum est, Crassum et Domitium Ahenobarbum censuram magnis cum dissensionibus gessisse. Itaque quum interdum etiam in senatu altercati essent, accidit, ut aliquando coram populo inter se contenderent. Orationem igitur Crassus habuit s. concionem contra collegam; et quia haec non erat perpetua, sed crebris altercationibus interrupta, Cicero dicit, nullam unquam contentionem maiorem fuisse, nec apud populum graviorem orationem, aut lepore et festivitate conditiorem. Itaque in Bruto c. 44: *ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio* (scil. perpetua) *sed quasi capita rerum, et orationis commentarium paulo plenius. Nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita maioribus* (i. e. maiore plausu populi excepta). *Et vero fuit in hoc et popularis dictio excellens* (quibus ex verbis iterum intelligitur, orationem illam non iudicialem fuisse, sed ad Quirites habitam) *Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis quam concionibus.* Quae quum ita sint, emendationem nostram, qua pro *contentione — concio*, transponendo rescripsi *concione — contentio* facile me spero idoneis arbitris probaturum.

Paulum) Guelf. B, C, *paululum.*

Quamvis facetum) Guelf. B, C, *quemvis facetum. Quemvis* miror potuisse Pearcio placere, etsi novem eius Codd. suffragantibus. Recte Ernesti restituit *quamvis* (i. q. quantumvis) e MS. Erl.

Sed quum omnium sit) Guelf. A, *sed quod omnium sit*; B, *sed quum omnium sis.* Recte autem octo Pearcii codd. *sed quum omnium sit.* Ernesti

mus et urbanissimus, omnium gravissimum et severissimum et esse, et videri, quod isti contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur. Hic quum arrisisset Crassus: Attamen, inquit Antonius, quum artem esse facetiarum, Iuli, negares, aperuisti quiddam, quod praecipiendum videretur. Haberi enim dixisti rationem oportere hominum, rei, temporis, ne quid iocus de gravitate decerperet; quod quidem in primis a Crasso observari solet. Sed hoc praeceptum praetermittendarum est facetiarum, quum his nihil opus sit. Nos autem quomodo utamur, quum opus sit, quaerimus; ut in adversarium, et maxime, si eius stultitia poterit agitari; in testem stultum, cupidum, levem, si facile homines audituri videbuntur. Omnino probabiliora sunt, quae lacessiti dicimus, quam quae priores. Nam et ingenii celeritas maior est, quae apparet in respondendo, et humanitatis est responsio. Videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti; ut in ista ipsa concione nihil fere dictum est ab hoc, quod quidem facetius dictum videretur, quod non provocatus responderit. Erat autem

praefert *sis*, quia hic non solum de Crasso, sed de genere, ut ante, loquatur Antonius. Atqui idem efficitur τῷ *sit*; quin ante in *nam esse quamvis facetum* subintelligitur *aliquem*.

Hic quum arrisisset Crassus) Sic recte Guelf. B, C. Vulgo *hic quum arrisisset ipse Crassus*, in quo *ipse* redundat.

Quum artem esse facetiarum, Iuli, negares) Guelf. A, *quum artem esse facetiarum ullam negares*.

Sed hoc praeceptum praetermittendarum est facetiarum, quum his nihil opus sit) Egregiam hanc Io. Mich. Heinsii correctionem in versione horum librorum germanica prolatam male neglexerunt Ernesti, et qui eum sequuti sunt. Heusingerus, qui illam item necessariam esse vidit, in codd. Guelf. tamen nihil aliud invenit quam vulg. *praetermittendum*. Ortum hoc est ex male intellecto scribendi compendio. In textu ed. Omnibon. est *ptermittedu*, et tamen in notis recte sic exponitur lectio *praetermittendarum*: «sed hoc praeceptum, quod iubet habendam esse rationem temporis, rei, et personarum, facetiarum praeceptum est, non inveniendarum sed omittendarum».

Et maxime) Sic Guelf. A, B, C. Copula non erat quod displiceret Ernestio. Cf. Tursellin. de particulis pag. 259.

tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut, quod esset ab eo obiectum; lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur.

57. Tum Sulpicius, Quid igitur? inquit, patiemur Caesarem, qui quamquam Crasso facetias concedit, tamen multo in eo studio magis ipse elaborat, non explicare nobis totum genus hoc iocandi, quale sit, et unde ducatur; praesertim quum tantam vim et utilitatem salis et urbanitatis esse fateatur?

Quid si, inquit Iulius, assentior Antonio dicenti, nullam esse artem salis?

Hic quum Sulpicius reticuisset, Quasi vero, inquit Crassus, horum ipsorum, de quibus Antonius iamdiu loquitur, ars ulla sit. Observatio quaedam est, ut ipse dixit, earum rerum, quae in dicendo valent; quae si eloquentes facere posset, quis esset non eloquens? Quis enim haec non vel facile, vel certe aliquo modo posset ediscere? Sed ego in his praeceptis hanc vim et hanc utilitatem esse arbitror, non ut ad reperiendum, quid dicamus, arte ducamur, sed ut ea, quae natura, quae studio, quae exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut prava intelligamus, quum, quo referenda sint, didicerimus. Quare, Caesar, ego

Inquit, patiemur) Guelf. A, *patiemur, inquit.*

Tamen) Hoc non est alieno loco positum, ut Ernesti putabat, cui videbatur ante *non explicare* collocandum, et sic legendum: *qui quamquam Crasso facetias concedit, et multo in eo studio magis ipse elaborat, tamen non explicare* etc. Immo constructio integra et plena haec est: *patiemur Caesarem non explicare nobis — qui quamquam — tamen in eo studio magis ipse* (quam Crassus) *elaborat.*

Elaborat) Guelf. A, B, C, *laborat.* Ernesti conj. *elaboravit*, non male. Sed in praesenti *elaborat* continetur etiam praeteritum.

Non explicare nobis totum genus) Sic Pearcius e MSS. Omittitur *nobis* Guelf. B, C. Vulgo, *non explicare totum nobis genus.*

Fateatur) Guelf. B, C, *fateamur.* Illud autem recte Pearcius recepit e MSS. Ioan. Nov. Mag. Respicitur enim, quod Caesar cap. 54 dixerat: *multum in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi.*

quoque a te hoc peto, ut, si tibi videtur, disputes de hoc toto iocandi genere quid sentias, ne qua forte dicendi pars, quoniam ita voluistis, in hoc tali coetu, atque in tam accurato sermone praeterita esse videatur.

Ego vero, inquit ille, quoniam collectam a conviva, Crasse, exigis, non committam, ut, si defugerim, tibi causam aliquam dem recusandi. Quamquam soleo saepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum spectante Roscio. Quis enim sese commovere potest, cuius ille vitia non videat? Sic ego nunc, Crasso audiente, primum loquar de facetiis, et docebo, sus Minervam, ut aiunt, oratorem eum, quem quum Catu-

* *Collectam*) Graeci συμβολὴν appellant id quod confertur in coenam a convivis; quo verbo Plautus utitur, quum scribit iocans: *Parata sunt scapulis meis symbola.* Sic collativum prandium dicunt Latini, quod Graeci ἔρανον, et collativum ventrem eleganti translatione dixit Plautus. Vocant etiam Graeci ἔρανον et συμβολὴν, pecuniam quae exigitur a convivis. Proinde in Terentio, Andr. I, 1, 61: *Quid Pamphilus? coenavit, symbolam dedit*, legendum censeo, non ut vulgo, *symbolum.* Collectrix etiam apud Plautum est, quae religionis causa stipem colligit: *Praecantrici, collectrici, hariolae, atque haruspicae.* TURNEB. — *Collecta* exprimit Graecum ἔρανος. Itaque non opus coniicere *convivis*, quod proprie collecta fit a pluribus. Nam ἔρανος a singulis petitur. ERN.

Spectante Roscio) Guelf. A, *inspectante Roscio.* Sic Nizol.

Sese commovere) Guelf. B, C, *se commovere.*

Crasso audiente, primum loquar de facetiis) Haud assequor, quid sibi hic velit *primum*, nam non sequitur aliquid, quod *secundum* dici possit. Suspicor, Ciceronem scripsisse: *sic ego nunc, Crasso audiente praesertim, loquar de facetiis.*

Et docebo sus Minervam, ut aiunt, oratorem eum) Vulgo *et docebo sus, ut aiunt, oratorem eum.* Notum est proverbium, *Sus Minervam.* At in vulgata male supprimitur *Minervam*; quasi proverbium hoc fuisset, *Sus oratorem.* Itaque supplevi in textu *Minervam.* Sic Caesar dicit: *et docebo ego sus Minervam, ut aiunt*, nempe *oratorem eum* etc. Ceterum quum Cicero partes loci de iocis explicandi Iulio Caesari demandasset, tamen in epistola ad Volumnium lib. VII, ep. 32, seu stili errore, seu memoriae lapsu ad Antonium retulit: *Pugna, si me amas, nisi acuta ἀμφιβολία, nisi elegans ὑπερβολή, nisi παράγραμμα bellum, nisi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, nisi cetera, quae sunt a me in in secundo libro de Oratore per Antonii personam disputata de ridiculis, ἔντεχνα et arguta apparebunt, ut sacramento contendas mea non esse.*

* *Sus Minervam*) Tritum Latinorum proverbium iis accommodari so-

lus nuper audisset, *foenum alios* aiebat *esse oportere*.

Tum ille, Iocabatur, inquit, Catulus, praesertim quum ita dicat ipse, ut ambrosia alendus esse videatur. Verum te, Caesar, audiamus, ut ad Antonii reliqua redeamus.

Et Antonius, Perpauca quidem mihi restant, inquit; sed tamen defessus iam labore atque itinere disputationis requiescam in Caesaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio.

Atqui, inquit Iulius, non nimis liberale hospitium meum dices. Nam te in viam, simulac perpaululum gustaris, extrudam et eiiciam.

58. Ac, ne diutius vos demorer, de omni isto genere quid sentiam, perbreviter exponam. De risu quinque sunt, quae quaerantur: unum, quid sit; alterum unde sit; tertium, sitne oratoris, velle risum movere;

litum, qui indocti eos docere velint, a quibus ipsi potius docendi sint. Minervae ius in omnes disciplinas liberales esse tradunt poëtae; sue non aliud animal sordidius est et stolidius. Pꝛvst.

* *Foenum alios esse oportere*) i. e. dignos, qui foeno alantur, tanquam, ad Crassum comparati, vix homines esse videantur.

* *Ambrosia alendus*) Proverbii specie insulsi oratores foeno victitare dicebantur a Catulo, quem ipsum censet hic Crassus alendum ambrosia, qui cibus est deorum, quasi esset ille cum ipsis diis eloquentia comparandus, quum stolidi brutorum ad ordinem abiici debeant. Pꝛvst.

Vt ad Antonii reliqua redeamus) Guelf. A, *ut Antoni reliqua videamus*.

* *Gustaris*) Gustus cum alia significat, tum interdum id quod venditores gustandi et explorandi causa dant emptoribus vini, quod γεῦμα dicitur a Graecis: ut quum quid ostenditur, specimen a Latinis, a Graecis δεῖγμα vocatur; a quo per translationem dixit Seneca, *Dedit enim nobis gustum, ad quem respondebit*. A qua etiam translatione illud Ciceronis profectum est, *Et degustabit genus exercitationum mearum*. Significat enim Paradoxa gustum Bruto fore earum exercitationum, quibus uti solet. Est et gustus interdum primus prandii missus. Martialis XI, 32, 4: *Gustu protinus has edes in ipso, Has prima feret, alterave coena*. Sed et gustare multo minus est, quam vel ientare vel prandere: quo sane hic modo intelligendum est. Tvrneb.

* *Extrudam*) Hac allegoria breviter acturum se de iocis ac salibus profitetur. Pꝛvst.

quartum, quatenus; quintum, quae sint genera ridiculi.

Atque illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi et quomodo exsistat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, et quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus. Neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet, et, si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi scirent, qui pollicerentur.

Locus autem, et regio quasi ridiculi (nam id proxime quaeritur), turpitudine et deformitate quadam continetur. Haec enim ridentur vel sola, vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter.

Est autem, ut ad illud tertium veniam, est plane oratoris movere risum; vel quod ipsa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata est; vel quod admirantur omnes acumen, uno saepe in verbo positum, maxime respondentis, nonnunquam etiam lacessentis; vel quod frangit adversarium, quod impedit,

* *Quid sit ipse risus*) Sic definiri potest: Risus est vehementior quidam animi ex re iucunda motus, ad exprimendum conceptum intus gaudium, quo thoracis et oris musculi impetu quodam agitantur. Id.

* *Quo pacto concitetur*) Nimirum quum nobis occurrit res admodum iucunda, laetitia perfunditur animus, cor sese dilatat, magnaque sanguinis effervescentis et vitalium spirituum fit diffusio, ad quam musculorum thoracis ac praesertim diaphragmatis motus sequitur; agitato diaphragmate, quae membrana est praecordia disiungens a visceribus, extenduntur simul musculi, qui a lateribus buccae sunt, tumque fit oris ille gestus, quem risum appellamus. Id.

Vt eum cupientes tenere nequeamus) Guelf. A, *ut vix eum cupientes teneamus*, quae lectio, quia est ad sententiam verior, valde placet.

* *Viderit Democritus*) Non solum ideo Democrito hoc negotium dat, quia semper risisse dicitur, ut Ernestio visum, sed etiam, quia diligentissimus fuit naturae scrutator.

* *Regio quasi ridiculi*) *Ridiculum*, inquit Aristoteles lib. de poëtica cap. 5, *est vitium ac turpitudo, quae nec dolorem, nec perniciem affert; exempli gratia, facies ridicula est turpis et distorta sine dolore.* PRVST.

quod elevat, quod deterret, quod refutat; vel quod ipsum oratorem politum esse hominem significat, quod eruditum, quod urbanum, maximeque, quod tristitiam ac severitatem mitigat et relaxat, odiosasque res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit.

Quatenus autem sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum est; id quod in quarto loco quaerendi posueramus. Nam nec insignis improbitas, et scelere iuncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur. Facinorosos maiore quadam vi, quam ridiculi, vulnerari volunt; miseros illudi nolunt, nisi si se forte iactant. Parcendum est autem maxime caritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur. Haec igitur adhibenda est primum in iocando moderatio. Itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno, neque misericordia maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum est in istis vitiis, quae sunt

* *Odiosasque res saepe*) Missum opportune ridiculum iram saepissime frangit: *Documento sunt iuvenes Tarentini, qui multa de Pyrrho rege securius inter coenam loquuti, quum rationem facti reposcerentur, et neque negari res, neque defendi posset, risu sunt et opportuno ioco elapsi. Namque unus ex his: Immo, inquit, nisi lagena defecisset, occidissemus te: Eaque urbanitate tota est invidia criminis dissoluta.* Quintilian. lib. VI, cap. 3. Pryst.

Non facile est) Guelf. A, *facile non est.*

* *Quatenus*) Recte Horatius: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Cum ceteris in rebus, tum in iocis ac salibus maxime adhibendus est modus. Ridicula enim et quae specie prima sensus nostros acerrime commovent, ita se habent, ut iis celerrime fastidium adhaerescat. Pryst.

* *Nec insignis improbitas*) Cur insignis improbitas ac miseria iocis non sit exagitanda, patet ex definitione ridiculi superius allata. Id.

Nisi si se) Guelf. B, C, *nisi se*, ad euphoniam melius.

Parcendum est autem maxime) Guelf. B, C, *parcendum autem est maxime.*

* *Parcendum*) Scite Fabius lib. VI, cap. 3: *Longe absit propositum illud: Potius amicum, quam dictum perdidi.* Pryst.

Est in istis vitiis) Guelf. A, *est in his vitiis.* B, *est in vitiis.*

in vita hominum neque carorum, neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur; eaque belle agitata ridentur. Est etiam deformitatis, et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum, sed quaerimus idem, quod in ceteris rebus maxime quaerendum est, quatenus. In quo non modo illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam, si quid perridicule possis; vitandum est oratori utrumque, ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus. Quae cuiusmodi sint, facilius iam intelligemus, quum ad ipsa ridiculorum genera venerimus.

59. Duo enim sunt genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid, tanquam aliqua fabella, narratur, ut olim tu, Crasse, in Memmium, *comedisse eum lacertum Largii*, quum

Neque carorum) Guelf. A, *neque clarorum.*

In quo non modo illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam, si quid perridicule possis; vitandum est oratori utrumque, ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus) In hac sententia verba *vitandum est oratori utrumque* certum mihi est e glossa in textum venisse. Namque veritatem sententiae vel corrumpunt vel certe obscurant. Legendum igitur censeo: *In quo non modo illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam si quid perridicule possis* (scil. dicere) *ne aut scurrilis iocus sit aut mimicus.* Et Strebaeus in interpretando hanc lectionem sequutus est, sive non legerit ista: *vitandum est oratori utrumque*, sive negligenda et eiicienda potius quam interpretanda duxerit.

* *Ne quid insulse*) *Oratori minime convenit distortus vultus gestusque, quae in mimis rideri solent. Dicacitas etiam scurrilis et scenica huic personae alienissima est. Obscenitas vero non a verbis tantum abesse debet, sed etiam a significatione.* Fabius ibidem. PRVST.

* *Perridicule*) Temere undique ducta occasione ridendi. ID.

* *In Memmium*) *L. et C. Memmii acerrimi fuerunt accusatores: Caius vero etiam in tribunatu infestissimus potentiae nobilitatis fuit, ut Sallustius scribit: quo libentius optimatum, ut opinor, fautor Crassus fabellam istam in eum confinxit, quem hominem mordacem et aerem etiam Largii lacertum in rixa morsu appetisse dixit. Terracina autem propter viam Appiam, quae celeberrima erat, hospites et diversores romanos plerumque habebat.* TVRNEB.

* *Lacertum*) Lacertus significat id quod est ab humero ad cubitum, brachium autem id quod a cubito ad manum pertinet. Ovid. Metam. lib. I: — *Laudat digitosque, manusque, Brachiaque, et nudos media plus parte lacertos.* PRVST.

esset cum eo Tarracinae de amicula rixatus. Salsa, attamen a te ipso ficta narratio. Addidisti clausulam, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas *LLL MM*. Quum quaereres, id quid esset, senem tibi quendam oppidanum dixisse: LACERAT LACERTVM LARGII MORDAX MEMMIVS. Perspicitis, hoc genus quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, sive habeas, vere quod narrare possis, quod tamen est mendaciunculis adspergendum, sive fingas. Est autem haec huius generis virtus, ut ita facta demonstres, ut mores eius, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur.

* *Tarracinae*) Quae Latinis est Tarracina, lingua Volscorum Anxur appellatur, ut tradit Plinius: Latii oppidum est: et etiamnum antiquum nomen retinet, *Tarracina*. ID.

A te ficta narratio) Sic Guelf. A, C, melius et pressius quam vulg. *a te ficta tota narratio.* Librarii *tota* e sequenti versiculo huc traxerunt.

Literas LLL MM) Vulgo scribitur *literas tria LLL duo MM*. Hoc autem significaret, literam L novies, et M quater scriptam fuisse, quod est ineptum.

Lacerat lacertum Largii mordax Memmius) Si postremae syllabae in Largii contrahantur, vel scribatur *LargI* (ut est in Guelf. B, C) fit senarius iambicus, sive casu Crasso elapsus, sive de industria compositus, ut epigrammati similior esset sententia.

* *Lacerat Lacertum*) Hunc versum Crassus orator usque adeo vulgo iactatum ait, ut Tarracinae passim in omnibus parietibus inscriptus viseretur. Fabula, unde natum est adagium, sic habet. Memmius quidam romanus, quum ageret Tarracinae, mulierculam quandam deperibat, sed non citra rivalem. Cum hoc igitur quum aliquando rixa incidisset, eo iracundiae provectus est Memmius, ut Largii (nam id rivali nomen) brachium mordicus arriperet. Ea res posteaquam in popularem abiit iocum, faceti quidam et φιλόγελοι senarium hunc in omnibus eius parietibus quinque literis notarunt, depictis tribus LLL, et duobus MM: videlicet ut advenis percontandi ministrarent occasionem. Itaque quum M. Crassus Tarracinam aliquando venisset, admiratus novum literarum aenigma, senem quendam oppidanum percontatus est, quidnam sibi vellent eiusmodi literae. Atque is, exposita fabula, versiculum explicuit: *Lacerat Lacertum Largii Mordax Memmius.* Tametsi Caesar, qui haec loquitur apud Ciceronem, existimat narrationem hanc totam in Memmium adversarium dedita opera confictam fuisse. Erasmus Adag. Chil. I, Cent. 9.

In re est item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet, ut idem Crassus: *Per tuam nobilitatem, per vestram familiam.* Quid aliud fuit, in quo concio rideret, nisi illa vultus et vocis imitatio? *Per tuas statuas* vero quum dixit, et extento brachio paululum etiam de gestu addidit, vehementius risimus. Ex hoc genere est illa Rosciana imitatio senis: *Tibi ego, Antipho, has sero*, inquit. Senium est, quum audio. Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut cautissime tractandum sit. Mimorum est enim ethologo-

* *Vt idem Crassus: Per tuam nobilitatem, per vestram familiam*) Turnebus haec ex oratione censoria contra Domitium depromta, et superbiam Domitii e generis nobilitate a Crasso agitatam esse putat; idque valde est verisimile. Hoc autem posito, novum habemus argumentum, orationem illam coram populo habitam esse. Sequitur enim: *Quid aliud fuit, in quo concio ridèret.* —

* *Tibi ego, Antipho*) Videntur haec verba fuisse senis cuiusdam arborea serentis, filioque suo dicentis, se non tam diu victurum esse, ut eas arbores maturitatem suam assecutas videat: iuvenem illum, et vigentem olim ex illis fructus percepturum. Tum quod addit, *Senium est, quum audio*, hoc vult: Ita perfecta est ista Rosciana senis tussientis, et fracta voce ac tremula utentis imitatio, ut non histrionem imitantem senem, sed senectutem ipsam videar audire. PEARCIUS.

* *Senium est quum audio*) His verbis inesse videtur iudicium Caesaris de Rosciana senis imitatione, qui quum ista verba pronuntiaret: *Tibi ego, Antipho, has* (arbores) *sero*, Caesar sibi ipsum senium videbatur audire; tam expressa et vera erat imitatio. Eadem interpretatio Pearcio placuit. Malim autem legere: *Senium est quod audio.* Turnebus *senium* de taedio aut molestia accipi volebat, quod mihi quidem non placet. Ernesti in verbis *senum est quum audio* aliud exemplum imitationis quaerebat. Vellem docuisset, quomodo senex comicus potuerit dicere: *senium est quum audio.*

* *Mimorum*) Sic eos appellat, qui mores et affectus personarum exprimunt: nec *mimos* tantum dixit, ut hoc libro postea, et in Antonium fecit, et alii scriptores vocant, sed *ethologos* addidit, ne ambigne loqueretur, ac fabula significari videretur, quam mimum Graeci, Latini Planipedem vocant, quales erant Mimi Publii et Laberii. Quamquam Cicero pro Caelio mimum huiusmodi, fabulam, id est comoediam appellare non vult: *Mimi ergo*, inquit, *est iam exitus, non fabulae.* Pantomimorum hic non meminit. Exorti enim postea sunt imperante Augusto: erantque saltatores, qui gestu historias et fabulas ita exprimebant, ut sub oculos subiicerent: ad quam saltationem respexit Horatius, quum scripsit: *Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat.* Et Iuvenalis Sat. VI,

rum, si nimia est imitatio, sicut obscoenitas. Orator surripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat, cogitet plura, quam videat; praestet idem ingenuitatem et ruborem suum, rerum turpitudine et verborum obscoenitate vitanda. Ergo haec duo genera sunt eius ridiculi, quod in re positum est; quae sunt propria perpetuarum facetiarum, in quibus describuntur hominum mores, et ita effinguntur, ut aut, re narrata aliqua, quales sint, intelligantur, aut, imitatione brevi iniecta, in aliquo insigni ad irridendum vitio reperiantur.

60. In *dicto* autem ridiculum est id, quod verbi, aut sententiae quodam acumine movetur. Sed ut in illo superiore genere vel narrationis, vel imitationis, vitanda est mimorum ethologorum similitudo; sic in hoc scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est. Quî igitur distinguemus a Crasso, a Catulo, a ceteris familiarem vestrum, Granium, aut Vargulam, amicum meum? non mehercule in mentem mihi quidem venit; sunt enim dicaces; Granio quidem nemo dicacior. Hoc, opinor, primum, ne, quotiescunque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere. Pusillus testis proces-

63: *Chironomon Ledam molli saltante Batyllo.* TVRNEB.

Vt is, qui audiat) Guelf. A, C, Erl. *ut is, qui audiet.* B, *ut is, qui audit.*

Rerum turpitudine et verborum obscoenitate vitanda) Vulg. *verborum turpitudine et rerum obscoenitate vitanda.* Sed transponenda esse verba *rerum* et *verborum*, recte iudicavit Wyttenbachius bibl. crit. Vol. II, Part. 4, pag. 76. Sic offic. lib. XXIX: *si rerum turpitudini adhibetur verborum obscoenitas.*

* *Sic in hoc scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est*) Recte refutavit Ernesti Pearcium, qui edidit *in hoc scurrili.* Nam *scurrile genus* omnino non cadit in oratorem, nec de hoc genere loquitur Cicero, sed de eo genere ridiculi, quod est in *dicto*, et opponitur generi superiori, quod erat perpetuae vel narrationis vel imitationis.

* *Granium*) Praeconem, cuius multa dicta versibus erat complexus Lucilius: *Conicere in versus dictum praeconis volebam Grani*, apud Gellium lib. IV, 17. Vide Orat. pro Planco cap. 14. TVRN.

* *Pusillus testis*) Esto, inquit, hoc exemplum nimiae dicacitatis et

sit. *Licet*, inquit, *rogare?* Philippus. Tum quaesitor properans: *Modo breviter*. Hic ille: *Non accusabis. Perpusillum rogabo.* Ridicule. Sed sedebat iudex L. Aurifex, brevior etiam ipse, quam testis. Omnis est risus in iudicem conversus. Visum est totum scurrile ridiculum. Ergo haec, quae cadere possunt in quos nolis, quamvis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia Vt iste, qui se vult dicacem, et mehercule est, Appius, sed nonnunquam in hoc vitium delabitur, *Coenabo*, inquit, *apud te*, huic lusco, familiari meo, C. Sextio; *uni enim locum esse video*. Est hoc scurrile, et quod sine causa lacessivit; et tamen id dixit,

scurrilis ridiculi. In quadam accusatione processerat pusillus testis. Philippus patronus petiit, ut sibi liceret nanum illum testem interrogare. Praetor, sive quis alius moderator iudicii et accusationis qui cito cuperet rem confici, annuit, modo paucis verbis hominem interrogaret. Hic Philippus causidicus: nihil erit quod me accuses, interrogabo perpusillum. Perpusillum intelligebat Philippus de illo teste parvo et nano, cuius exiguam staturam carpebat hoc dicto; et tamen videbatur quaestori respondere, ac dicere se perparum ac breviter interrogaturum. PAVST.

Brevior etiam ipse, quam testis) Guelf. A, *brevior ipse quam testis*. B, C, *brevior quam ipse testis*. Ernesti dedit ex ed. s. l. et a. Lips. *brevior etiam, quam testis ipse*.

Visum est totum scurrile ridiculum) Sic Guelf. A. Idem praebent Pearcii codd. Ioan. Harl. 1, Mag. Citatur etiam a Carl. Steph. ex libris scriptis. Ac profecto nihil est hac lectione aptius. Ineptissimum contra vulgatum: *Visum est totum scurrile iudicium*.

Sed nonnunquam in hoc vitium delabitur) Vulgo *in hoc vitium scurrile delabitur*. At hoc ferri nequit. Nam nec opus est epitheto, quia per se satis intelligitur, quale vitium significet, et deberet saltem esse *vitium scurrilitatis*. Ergo delevi *scurrile*.

* *Vni enim locum esse video*) Iocus est sumptus ex communi illorum temporum consuetudine loquendi, qua aliquot convivis vocatis, ei quem praeterea invitatum vellent, locum superesse dicebant. Plautus in Sticho: *Aedepol tibi etiam, opinor, uni locum conspicor, ubi accubes*. Id scurriliter ad vitium oculi convertit Appius. TVRN.

* *Et tamen id dixit, quod in omnes luscos conveniret*) Recte. Sed illud quoque addi poterat, Appii iocum frigidissimum esse, ex inepte adhibita dictionis amphibolia. *Vni enim locum esse video* intelligi debebat, *uni hospiti*. Quum autem Appius Sextium luscum lacessens intelligi vellet: *uni enim oculo locum esse video*, quomodo hoc poterat ad antecedens *coenabo apud te* referri?

quod in omnes luscos conveniret. Ea, quia meditata putantur esse, minus ridentur. Illud egregium Sextii, et ex tempore : *Manus lava*, inquit, *et coena.* Temporis igitur ratio, et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia, et raritas dictorum, distinguet oratorem a scurra; et, quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem, et sine causa. Quid enim est Vargula assequutus, quum eum candidatus A. Sempronius cum M. suo fratre complexus esset : *Puer abige muscas!* Risum quaesivit, qui est, mea sententia, vel tenuissimus ingenii fructus. Tempus igitur dicendi prudentia et gravitate moderabimur; quarum utinam artem aliquam haberemus! sed domina natura est.

61. Nunc exponamus genera ipsa summatim, quae risum maxime moveant. Haec igitur sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re haberi, alias in verbo;

* *Manus lava*) Appius irridens C. Sextium, qui altero oculo captus erat, ait : *Coenabo apud te, est enim uni locus*: ita carpebat hominis vitium, cuius in vultu erat locus uni oculo; quasi in eius triclinio et convivio uni fuisset homini locus vacuus. Respondit Sextius subtili ac subito ioco: *Coenabis enimvero apud me, sed prius manus lava:* quo dicto, hominis impuritatem notabat. PAVST.

Illi totum diem) Alii *id illi totum diem*, non male.

* *A. Sempronius*) Hic ambibat magistratum, et eos prensabat, quibus erat ius suffragii : erat illi comes M. frater; ad Vargulam ventum est, quem quum Sempronius amice salutaret, amplecteretarque officii causa, itemque Marcus Sempronii frater; coepit Vargula servulum inclamare, ut muscas abigeret; eo dicto carpebat petitores et candidatos, qui perinde ac muscae molesti levesque essent. PAVST.

Cum M. suo fratre) Ernesti *suo* delendum putabat. Mihi illud bene servari videtur, modo concinniore ordine legatur, *cum fratre suo M.*

* *Puer abige muscas*) Propinqui et amici, qui gratiosi erant aut clari, deducere solebant candidatos, qui prensatum ibant, ut petitio et gratiam et auctoritatem maiorem haberet. Igitur quum A. Sempronius Longus cum fratre Vargulam esset complexus, Vargula scurriliter lusit, iubens abigi muscas. TVRNEB.

Quod facete dicatur, id alias in re haberi, alias in verbo; facetiis autem maxime homines delectari) Sic recte Ernesti correxit ope edd. pr. Vulg. *q. f. d. id alias in re habere, alias in verbo facetias, maxime autem homi-*

maxime autem homines delectari, si quando risus coniuncte, re verboque, moveatur. Sed hoc memento te, quoscunque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex iisdem locis fere etiam graves sententias posse duci. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus severe, iocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur. Velut iisdem verbis et laudare frugi servum possumus, et, si est nequam, iocari. Ridiculum est illud Neronianum vetus in furace servo: *Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum*; quod idem in bono

nes delectari. Haud scio tamen an melius fuerit *facetius* prorsus delere; quum sententia satis definita sit, si legatur, *maxime autem homines delectari, si quando risus coniuncte re verboque moveatur.*

* *Alias in re habere*) Qoi consistit in re iocus, eiusmodi est, ut idem mutatis verbis maneat. Exemplum habes lib. IV in Verrem: *Itaque, iudices, hi, qui hospites ad ea, quae visenda sunt, ducere solent, et unumquidque ostendere, quos illi mystagogos vocant, conversam iam habent demonstrationem suam. Nam ut ante demonstrabant, quid ubique esset: ita nunc, quid undique ablatum sit ostendunt.* Ridiculum in dicto perit, si voces commutentur. Tale est illud Ciceronis in Verrem lib. IV: *Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant: velut in hac re aiebant, in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrem, quam illum aprum Erymanthium referri oportere.* Tolle nomen Verris, quod latine porcum non castratum significat, dicto perit omnis gratia. Elegantissimum autem illud est, quod re simul et dicto risum movet; cuiusmodi est illud Ciceronis a Plinio, Plutarcho in Apophth. et Quintiliano relatum. Hortensius orator accepta mercedis loco a Verre sphinge argentea, quum Ciceroni obscurius aliquid loquuto dixisset se ignarum aenigmatum solvendorum: Atqui sphinx, inquit, apud te est. PAVST.

Ex iisdem locis fere) Ernesti *locis* delendum putabat.

Velut iisdem verbis) Ita Guelf. B, C rectius, quam ut vulgo *in iisdem verbis*.

* *Neronianum vetus*) «Illius, ut reor, Neronis, qui res adversus Annibalem gessit, estque exemplum hoc, ut pleraque huius loci prisca, sumptum ex libro Apophthegmatum Catonis. Dictum autem hoc et de furace accipi potest, ut a Nerone usurpatum fuerat, qoi omnia resignet et recludat; et de servo frugi, cuius fidei omnia herus committat, cui nihil annulo obsignet, nihil claudat sera. In quodam libro scripto legitur *Naevianum*, ut a Naevio poeta sumptum, quod fortasse verius.» Hactenus Turnebus. Lectionem *Neronianum* tamen propter unius cod. dissensum haud deserendam censeo.

servo dici solet; sed hoc iisdem etiam verbis. Ex iisdem autem locis omnia nascuntur. Nam quod Sp. Carvilio graviter claudicanti ex vulnere ob rempublicam accepto, et ob eam causam verecundanti in publicum prodire, mater dixit: *Quin prodis, mi Spuri? quotiescumque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem*; praeclarum et grave est; quod Calvino Glauciae claudicanti: *Vbi est vetus illud: num claudicas? at hic clodicat*; ridiculum est; et utrumque ex eo, quod in claudicatione animadverti potuit, est ductum. *Quid hoc Naevio ignavius?* severe Scipio; at in male olentem,

Ex iisdem autem locis omnia nascuntur) Inre Ernesti suspectum habuit *omnia*. Sed non simpliciter delendum est, ut ille volebat, verum aut *illa* aut *alia* substituendum.

* *Sp. Carvilio*) Puto hunc esse qui primus apud Romanos uxorem dimisit. Vir fuit illustris, qui ex equestri loco natus ad summam pervenit dignitatem, ut Paterculus scribit. Consul autem fuit cum Fabio Maximo. Auctor Cicero de Senectute. Tvrneb.

* *Calvino*) C. Sextius Calvinus, ut ait Cicero in Bruto, ingenio et sermone eleganti, sed valetudine incommoda fuit, etsi quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis. Is igitur ex podagra plerumque claudicabat. Id.

Num claudicas) Guelf. B, *non claudicat?* C, *num claudicat?* Inde Heusingerus legendum putabat: *Non claudicat.* Sed sic nihil efficitur ad dictum melius intelligendum. Acuminis certe sic nihil est; nec est quod in hoc dicto rideri possit, nisi eius insulsitas. Turnebus opinabatur, Glauciam significasse, Calvinum non pede solum, sed etiam animo claudum esse. At quis quaeso hoc ex istis verbis exsculpat? Antiquiores quidem interpretes contra temporum rationem in *clodicat* Clodium respici opinabantur. Mihi nihil ex omnibus, quae interpretes ad h. l. attulerunt, satisfecit; neque tamen ipse, quod melius placeat, afferre possum.

* *Naevio*) Dictum est Africani, ut opinor, Superioris in Naevium, a quo fuerat accusatus, quod praeda bello Antiochi capta aerarium fraudasset: alii tamen a Petilio accusatum fuisse scribunt. Locus annominationem habet. Nominatur a Livio oratio P. Africani in M. Naevium, in qua, ut opinor, hoc dixerat. Tvrneb.

At in male olentem, Video me a te circumveniri, subridicule Philippus) Heusingerus post Lamb. Steph. Pearcium hoc modo supplendum censet Philippi dictum: *Video me a te non conveniri, sed circumveniri*, quia aliter non sit verbi ad literam immutati similitudo. Sed ne illud urgeam, hac ratione non literas sed integras syllabas immutari, hoc maxime quaerendum est, quomodo ille iocus pertineat ad male olentem. Necessarium est hic ex immutatione literas ali-

Video me a te circumveniri, subridicule Philippus. At utrumque genus continet verbi ad literam immutati similitudo. Ex ambiguo dicta vel argutissima putantur, sed non semper in ioco, saepe etiam in gravitate versantur. Africano illi maiori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus, *Noli mirari*, inquit, *si non convenit. Caput enim magnum est.* Laudabile, et honestum. At ex eodem genere est: *Calvus satis est; quod dicit, parum.* Ne multa; nullum genus est ioci, quo non ex eodem severa et gravia sumantur.

Atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum,

quid exisse, quo foetor alarum in altero perstringeretur. Nihil video melius, quam Philippum in verbis *circum* et *hircum* lusisse. Quid si legatur: *Video me a te hirco circumveniri?* in quo eadem esset verbi ad literam immutati similitudo, quae est in altero exemplo: *quid hoc Naevio ignavius?*

* *At in male olentem*) Dictum est ridiculum Philippi faceti oratoris. Hunc adibat aliquis, cuius halitus erat gravis et male olens; exclamavit Philippus enecari se tam gravi odore, neque tam se conveniri, quam circumveniri, hoc est, opprimi, et per nomen speciemque colloquii praefocari ab isto male olente, cuius anima esset instar veneni pestiferi. PR.

* *P. Licinius Varus*) Qui multis magistratibus egregie functus praetor urbanam iurisdictionem obtinuit anno V. C. 546, ante Christum 198. ID.

* *Caput magnum*) Ambiguum est, nam significatur et magnitudo partis, et amplitudo hominis. Publius autem iste Licinius Varus bello secundo Punico aedilis cum Veturio fuit, ut Livius scribit. Postea etiam praeturam eodem bello adeptus est, in qua tulit ad populum, ut ludi Apollinares in statum diem in perpetuum voverentur. TURNEB.

* *Calvus satis est; quod dicit parum*) Pearcius hoc de Calvo quodam malo oratore intelligit, ut sensus sit: si plura diceret, minus bene diceret, iam istud, quod dixit, satis est, quia parum dixit. Turnebus ambiguitatem in his verbis quaerebat *quod dicit parum*; id nempe vel significare *quod parum loquitur*, vel *quod parum orator est.* At haec ambiguitas prorsus esset insulsa. Strebaeus antiquam lectionem sequebatur: *At ex eodem genere est illud Calvi: satis est quod dicit. Parumne multa*—in quo, si ab errore librarii discesserimus, qui *parum* ad sequentia traxerat, cetera se facile tueantur. Nempe Calvus, (quem Strebaeus Cn. Licinium Calvum fuisse suspicatur) poterat dixisse de oratore aliquo, qui male quidem, sed breviter tamen dixerat: *sa-*

quam Sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique ipso corpore ridetur. Salsum hunc possum dicere, atque ita, non ut eiusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum.

62. Quare primum genus hoc, quod risum vel maxime movet, non est nostrum: morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum; naturae ridentur ipsae; quas personas agitare solemus, non sustinere. Alterum genus est imitatione admodum ridiculum, sed

tis est quod dicit parum. Camerarius vero ex libro aotiquo laudavit: *At ex eodem genere Calvus; satis est quod didicit parum.*

* *Sannio*) Sanna, inquit vetus Persii interpres, dicitur os distortum cum vultu: quod facimus quum alios irridemus: unde *Sanniones* dicti sunt, qui non rectum vultum habent. Hic tamen doctissimus Budaeus animadvertit, mimorum quoddam genus significari. Verum, ut reor, sanoa, et sannio ab homine stulto et inepto Saooa origioem sumpsere, qui tam fatuus fuit, ut Cratinus Comicus sannam prò stulto usurpaverit, quemadmodum relatum est ab Eustathio; quo etiam auctore deduci potest utrumque a Sanois populis Asiae, quos consuetudo Graecorum erat eius aetate Tzanos vocare, qui moribus erant barbaris et iocultis, ac proinde insulsis et inscitis. Affert et aliam originem a verbo σαίνειν. TVANEB.

* *Ore, vultu*) Os pro facie sumitur, vultus pro certo quodam oris habitu et cooformatione, quae animi motuum index est. *Oculi*, inquit Tullius lib. I de Legibus, *nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur, et is qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores: cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent.* Vultum tamen animalibus ac feris attribuit Virgilius lib. VII Aeneid. vs. 20: *Setigerique sues, atque in praesepibus ursi Saevire, ac formae magnorum ululare luporum, Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.* PRVST.

Denique ipso corpore ridetur) Guelf. B, C, *denique corpore ridetur ipso*, qui verborum ordo haod scio an h. l. praeferendus sit, etsi eum Pearcius ut parum elegaotem ac numerosum damoat.

* *Primum genus hoc .... non est nostrum, morosum etc.*) Haec sunt Sannioonum ridicula. Sustinent enim personas eorum, qui mores duros sequuntur et agrestes, qualis est Demea apud Tereotium: qui nimia religione, et vano Deorum metu laborant, cuiusmodi fere sunt mulierculae: qui nihil non suspicantur, ut senes: qui gloriam avide captant, ut Thraso Terentianus: qui stulti sunt, ut Phaedria. Huiuscemodi personas non sustinebit Orator, sed agitabit. Sustinere, est agere et imitari: agitare vero, faceto aliquo dicto, aut lepida narratione perstringere. STREB.

Alterum genus est imitatione admodum ridiculum) Haud dubie sic le-

nobis tantum licet furtim, si quando, et cursim; aliter enim minime est liberale. Tertium, oris depravatio, non digna nobis. Quartum, obscoenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco, facetiae reliquae sunt, quae aut in re, ut ante divisi, positae videntur esse, aut in verbo. Nam quod, quibuscunque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur: quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem.

63. *Ambigua* sunt in primis acuta, atque in verbo posita, non in re; sed non saepe magnum risum movent, magisque ut belle et literate dicta laudantur; ut

gendum, *alterum genus est imitatio*; *admodum ridiculum*. Sic respondet sequentibus membris, v. c. *Tertium oris depravatio, non digna nobis*.

Aliter enim minime est) Haec lectio unice vera, eamque iam Manutius diviuando assequutus est. Vulg. *alterum minime est liberale* ineptum esse, iam Pearcius ostendit.

Sed vix convivio liberorum) Ernesti *liberorum* delendum putat. Sed opponitur *convivio servorum*, quibus illiberalis iocus ex obscoenitate facilius concedi posset, quam hominibus liberis et ingenuis. Quoniam tamen in convivio libertas loquendi regnare solebat, obscoenitatem *vix* tantum dignam sit esse convivio liberorum. Gravius etiam de hoc iocandi genere iudicat Cicero Offic. I, 29: *Facilis igitur est distinctio ingenui et illiberalis ioci. Alter est, si tempore fit ac remisso animo, libero dignus; alter ne homine quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscoenitas.*

Ex hoc oratorio loco) Guelf. C, *ex hoc oratorio ioco*. Et sic Lambin. Vtrumque se tuetur, nec facile est decernere, quid Cicero scripserit.

* *Ambigua*) Quo in genere elegans est illud Ciceronis: *Quum obiiceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum, quod Bovillas ante horam nonam divertisset, ut exspectaret dum Clodius a sua villa exiret, et identidem interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset, respondit, Sero.* Quintil. lib. VI, c. 3. Ambiguum illud *sero*, vel vespertinum tempus, vel tarde perinde significat. PAVST.

Vt illud in Titium, quem — quum in campum) Vulgo olim legebatur, *ut in illum Titium, qui quum studiose pila luderet et idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesque eum in campum non venisse requirerent*. Manutius correxit, *ut illud in Titium*, quod placuit Pearcio, sed ita ut sequens *qui* mutaret in *quem*. Ernesti retinuit, *ut in illum Titium*. Paulo post Manutius et Riccobonus emendaverant: *gregalesque, cur in campum non venisset, requirerent*. Pearcius autem e MSS. Cant. Mead. Bal. Wag. rectius reposuit: *gregalesque, quum in campum non venisset, requirerent*.

illud in Titium, quem, quum studiose pila luderet, et idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesque, quum in campum non venisset, requirerent, excusavit Vespa Terentius, quod eum *brachium fregisse* diceret; ut illud Africani, quod est apud Lucilium:

Quid? Decius, Nuculam an confixum vis facere? inquit.

Vt tuus amicus, Crasse, Granius, *non esse sextantis.* Et, si quaeritis, is, qui appellatur dicax, hoc genere

Et idem signa sacra noctu frangere putaretur) Ernestio elegantius videbatur *idem signa* sine copula. Idem *sacra* delendum opinabatur: sine causa. Quid enim, si Titius tantum signa sacra et religiosa violaret, ut Alcibiades olim statuas Mercuriales?

* *Quum in campum non venisset*) In campo Martio iuventus romana cum aliis ludis, tum pila se exercebat, cuius studiosus erat Titius. Frangere autem brachium ambigue dixit Vespa Terentius, vel suum, vel signi sacri. Apparet istum Titium quadam religionis opinione imbutum fuisse, qua simulacra damnabat; aut certe non satis pium fuisse, qui signa sacra frangeret. Vespa proprium nomen non est meo iudicio, sed appellativum, significatque vespillonem. Pompeius, *Vespae dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt*, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt. Itaque, ut reor, hic dicitur *vespa* Terentius, ut in Miloniana *popa* Licinius, id est sacrificulus. Si cui tamen Vespa proprium nomen esse videatur, non vehementer contra pugnabo. Tantum quid sentiam, testificor. TVRNEB.

Nuculam an confixum vis facere) Heusingerus arbitratur respexisse Lucilium ad ludum illum, qui nucibus ludebatur, cuius mentionem facit auctor elegiae, quae *Nux* inscribitur. *Quas puer aut rectus certo dilaminat ictu.* Alii *confixum facere* simpliciter pro *configere* dictum esse putant. Ernesti in *confixum* sibi genus significari putat, *ein Fricassé*. Quod si placet, etiam in nomine *Nucula* allusisse potest Africanus ad aliquod edulii genus, quod est apud Apicium, et iam a Turnebo observatum. Ceterum conf. Iani Parrhasii quaesita per epistolam sect. 50.

* *Non esse sextantis*) Pearcius ad h. l.: « Sextans est sexta pars assis vel congii. Ambiguum videtur esse in eo, quod aliud significet *sextantis*, aliud *sex tantis*; in priore sensu Granius dicit id, de quo agebatur, vilissimi fuisse pretii; in posteriore vero, id non esse aequiparandum sex aliis tantis, seu pluris valere, quam sex alia tanta, ideoque esse valde pretiosum. » Melius Turnebus ambiguitatem sic resolvit. Dicitur *non esse sextantis*, quod pluris est, id est, quod magni est pretii; et *non esse sextantis* etiam dicitur, quod minoris est, id est, quod nullius est pretii.

maxime excellet; sed risus movent alia maiores. Ambiguum per se ipsum probatur id quidem, ut ante dixi, vel maxime; ingeniosi enim videtur, vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere; sed admirationem magis, quam risum movet, nisi si quando incidit in aliud genus ridiculi. Quae genera percurram equidem; sed scitis esse notissimum ridiculi genus, quum aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismetipsis noster error risum movet. Quod si admixtum est etiam ambiguum, fit salsius: ut apud Novium videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videns, percontatur ita: *Quanti addictus?* — *Mille nummum.* —

Excellet) Hoc restituit Ernesti ex edd. pr. Vulg. *excellit.*

* *Ingeniosi*) Tale est illud Ciceronis. Quum aliquando Crassus dixisset, neminem gentis suae Romae ultra sexagesimum annum perduxisse vitam negaretque rem postea, et miraretur quomodo dixisset: Sciebas, inquit Cicero, populum romanum auditurum libenter, adeoque hanc ab illo gratiam inire voluisti. (Plutarchus in Cicerone). PAVST.

* *Aliud exspectamus, aliud dicitur*) C..'·smodi fuit asperior ille Ciceronis in M. Crassum iocus. Quum pro rostris M. Crassum secunda concione ornasset laudibus, eundemque rursus, paucis interpositis diebus, contumeliose perstrinxisset; ubi ille dixit: Nonne me ex isto loco aliquanto ante laudasti? Etiam, inquit, exercendae orationis causa commentans, vile argumentum tractavi. (Plutarch. in Cicerone). ID.

Apud Novium) Acutissime Schneiderus in epistola ad Langerum Wetzelianae Bruti s. lib. de claris oratoribus editioni praemissa perspexit, h. l. *Novium* esse legendum, Atellanarum scriptorem. Et *Novius* iam est in prioribus edd. male in seqq. mutatum in *Naevius.* Et sic II, 69, II, 70.

* *Iudicatum duci*) Nempe debitorem, qui aes alienum solvere non posset, et creditori addicebatur.

* *Quanti addictus?*) Versus est trochaicus catalecticus. *Quanti addictus? Mille nummum, Nihil addo, ducas licet.* Ille qui rogabat, videbatur iudicatum soluta summa aut promissa vindex liberaturus. Praeter exspectationem igitur, *ducas licet*, creditori dixit, significans se illi nullam facere moram. Addidit etiam ambiguum, quum dixit, *Nihil addo*, quod est, Nihil praeterea rogo. Tantum enim scire volebam, quanti esset addictus, nec peto ut a praetore pluris addicatur mea causa. Nihil enim mihi debet, nec quidquam addo summae. PAVST. Nummus sive sestertius nummus, quod vocabulum vel unico, vel geminato *m* scribi veterum monumentis liquet, quarta pars denarii romani, decem denariis nostralibus aestimatur, ut Budaeo visum; ut recentioribus, asse uno et semis, vel

Si addidisset tantummodo: *Ducas licet*; esset illud genus ridiculi praeter exspectationem; sed quia addidit: *Nihil addo*, *ducas licet*; addito ambiguo, fuit, ut mihi quidem videtur, salsissimum. Hoc tum est venustissimum, quum in altercatione arripitur ab adversario verbum, et ex eo ut a Catulo in Philippum, in eum ipsum aliquid, qui lacessivit, infligitur. Sed quum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quaedam subtilior, attendere, et aucupari verba oportebit; in quo, ut ea, quae sint frigidiora, vitemus,

etiam duobus nostratibus. Mille nummum conficit quadraginta tres libras et quindecim asses Franciscos, vel septusginta quinque: aut etiam centum libras. Quae summa ut florente opibus republica tenuis erat, ita ante Naevii tempora nonnullius momenti videbatur. Id.

* *Addito ambiguo*) Ambiguitatem in hoc dicto: *Nihil addo*, *ducas licet*, frustra sic explicavit Pearcius, quasi per voces *nihil addo* intelligi posset vel *nihil habeo*, *quod amplius dicam*, vel *summae isti mille nummorum nihil adiicio*, *ut debitum maius efficiam*. Atqui de debito augendo minime agebatur. Nec felicior fuit Pearcius in altera parte huius dicti. *Ducas licet* ait vel significare *in ergastulum rapias*, vel *a me pecuniam illam ad debitum solvendum accipias*. Atqui hunc alterum sensum verba *ducas licet* habere non possunt; neque vero in *ducas licet* ulla est ambiguitas, ut de duplici verborum sensu quaerendum sit. Verissime iam Strebaeus exposuerat. Inducitur a poëta homo obaeratus, qui vocatus in ius a creditore non esset solvendo, ideoque ex lege XII tabb. damnatus esset ad serviendum foeneratori, donec omne debitum persolvisset. Quum duceretur in nexorum servitutem, occurrit quidam non inurbanus, interrogat, tanquam misericordie motus fuisset, quanti addictus esset, i. e. quanta pecunia deberetur, propter quam damnatus esset in temporalem servitutem. Respondent doctores, addictum esse pretio mille sestertium nummum; sperant, illum percontatorem satisdaturum, iudicatum solvi; at ille nèque satisdat, neque pecuniam numerat, sed eludit his verbis: *Nihil addo*, *ducas licet*. Ambigue dixit, *nihil addo*. Aut enim nihil addo ad summam pecuniae; aut nihil addo verborum. Praeter omnium exspectationem subiicit, *ducas licet*. Sic mixtum genus est ἐξ ἀμφιβολίας καὶ ἀπροσδοχήτου. Similiter fere Turnebus. *Nihil addo* erat formula in auctionibus, qua utebatur is, qui negabat se plus velle liceri. Ceterum Turnebus observavit, hunc esse versum trochaicum: *Quanti addictus?* — *Mille numum.* — *Nil addo*, *ducas licet*.

Salsissimum) Optime sic Ernesti correxit vulg. *salsissimus*.

(etenim cavendum est, ne arcessitum dictum putetur), permulta tamen acute dicemus.

64. Alterum genus est, quod habet *parvam verbi immutationem*, quod in litera positum, Graeci vocant παρονομασίαν, ut *Nobiliorem*, *mobiliorem* Cato; aut, ut idem, quum cuidam dixisset: *Eamus deambulatum*! et ille: *Quid opus fuit* DE? *Immo vero*, inquit, *quid opus fuit te?* aut eiusdem responsio illa: *Si tu et adversus, et aversus impudicus es.*

Etiam *interpretatio* nominis habet acumen, quum ad

* *Habet parvam* etc.) Paronomasiam adhibuit Tullius III Philipp. *En cur magister eius* Antonii *ex oratore arator factus sit.* Adhibuere qui Antiochum cognomento Επιφανῆ, hoc est *illustrem*, appellarunt Επιμανῆ, *furiosum*: et qui Tiberium Claudium Neronem, quod largius biberet merum calda temperatum, vocarunt Biberium Caldium Meronem. PAUST.

* *Nobiliorem*) Fulvium *Nobiliorem* (eum accusaverat Cato, eique ut probrum obiecerat, quod poëtas in provinciam duxisset), *Mobiliorem* Cato appellavit, eius levitatem notans, quod maximum apud Romanos crimen erat, studiosos gravitatis et constantiae. TURNEB. M. Fulvius Nobilior clarissimis reip. magistratibus egregie functus, proconsul de Aetolia triumphavit anno V. C. 567, ante Christum 187. PAUST.

* *Deambulatum*) Reprehendebat, quod male esset latine loquutus, quum *ambulatum* dicere debuisset. Plerumque tamen composita idem quod simplicia significant, ut *deambulare* pro *ambulare* Cato dixerat latine. TURN.

* *Quid opus fuit te*) Scil. correctore sive monitore.

* *Si tu et adversus, et aversus impudicus es*) Ernesti in hoc dicto formam responsionis desiderabat. Fieri autem potest, ut haec verba non totam responsionem Catonis contineant, sed ea, quae sequerentur, suppressa sint.

* *Et adversus et aversus*) Obiicit obscenitatem oris, quum *adversum* dicit, et muliebria, quum *aversum*: ne quis scortatorem aut adulterum cogitet, quos Latini non vocant impudicos. Nam impudicitia est in patiendo. Simile quiddam Arcesilae refertur in hominem castum illum quidem et integrum, voce tamen infracta, et capillo composito, et oculis illecebrosis. Nihil interesse quibus membris homines cinaedi sint, posterioribus, an prioribus. TURN. Nec te moveat obscenitas indigna liberali ioco. Non enim iocabatur Cato, quum diceret haec. In verbis, quae cadunt iucunde, non in re, hoc dictum facetum est. STREB.

* *Interpretatio nominis*) Multa Cicero in Verrem, sed ut ab aliis dicta: modo futurum ut omnia verreret, quum diceretur Verres: modo Herculi, quem expilaverat, molestiorem apro Erymanthio fuit: modo malum sacerdotem, qui tam nequam Verrem reliquisset, quia Sacerdoti Verres

ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur; ut ego nuper, Nummium divisorem, ut Neoptolemum ad Troiam, sic illum in campo Martio nomen invenisse. Atque haec omnia verbo continentur.

Saepe etiam *versus* facete interponitur, vel ut est, vel paululum immutatus; aut aliqua pars versus; ut Statius Scauro stomachanti (ex quo sunt nonnulli, qui tuam legem de civitate natam, Crasse, dicant):

successerat (Fabius lib. VI, c. 3). PAVST.

* *Nummium divisorem*) Divisores, qui alio nomine diribitores vocabantur, ante comitia in campo Martio civibus tabellas distribuebant, quibus in ferendis suffragiis uterentur. Candidati autem honorum saepe per eos largitione cives corrumpebant, ut eorum suffragia captarent.

* *Ego nuper, Nummium*) Lepide iocatus est Caesar in Nummium divisorem: (erant autem divisores, qui ad emerenda populi suffragia pecuniam inter tribus viritim candidatorum nomine dividebant, quos Plautus Curiarum magistros vocat). Quemadmodum Pyrrhus, inquiebat Caesar, ad Troiam Neoptolemus est appellatus quod iuvenis ad bellum venisset: ita in campo Martio nomen invenit Nummius, a nummis scilicet, quos ibi tribubus dividebat. PAVST.

* *Vt Statius Scauro stomachanti*) Versiculi, qui sequuntur, sine dubio pertinent ad homines ignobiles, et obscurae originis, qui se Romae pro civibus gererent, quum non essent cives. Nullo modo igitur hi versus M. Aemilio Scauro obiici poterant, qui erat princeps senatus, et patricius nobilissimus, ut eum Cicero appellat pro Murena c. 7, quamquam eius generis nobilitas per aliquod tempus obliterata erat. Itaque transponantur nomina necesse est, *ut Scaurus Statio stomachanti.*

* *Vt Statius Scauro*) Gellius IV, 20: *Caecilius quoque ille comoediarum poëta inclytus, servus fuit, et propterea nomen habuit Statius.* Is forte, aut potius alius eiusdem nominis libertinus, Scauro stomachanti, paupertatem patris obiecerat, qui, quamvis patricius et nobilis, carbonariam tamen exercuisset. Ex eo natam ferunt legem Liciniam et Mutiam, de regundis civibus, quae bellum Italicum magna ex parte concitavit, quod qui vix liber esset et civis, aut ne civis quidem, tam superbe principem senatus appellasset. Huic usurpationi non admódom dissimilis est παρῳδία, quum versum paulum immutamus, aut ad versus Poëtae nobilis similitudinem versum condimus, ut ad imitationem versuum Homeri Hegemon Thasius poëma totum (unde parodus poëta appellatus est) et Matron apud Athenaeum, lib. IV. TVR.

* *Tuam legem de civitate*) L. Licinius Crassus, et Q. Mucius Scaevola consules anno V. C. 659, legem de civitate Liciniam Muciam tulere, ut Cicero testatur Oratione pro C. Cornelio, reip. non modo inutilem, sed etiam perniciosam. Pighius haec eius praecipua fuisse capita colligit:

> St, tacete, quid hoc clamoris? quibus nec mater, nec pater,
> Tanta confidentia estis? auferte istam enim superbiam.

Nam in Coelio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni, quum ille a se pecuniam profectam diceret testis, et haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo:

> Sentin' senem esse tactum triginta minis?

In hoc genus coniiciuntur *proverbia*: ut illud Scipionis, quum Asellus omnes provincias stipendia meren-

uti quaereretur in eos, qui non cives se pro civibus gererent. Praeterea, ut in civitates suas redirent etiam Romae nati, muneribusque civium functi, quorum maiores iuris Italici civitate romana propter virtutem donati non fuissent. PAVST.

St! tacete) Hos versiculos ita corrigendos arbitror, ut metro consulatur: *St! tacete, quid hoc clamoris? Queis nec mater nec pater, Tanta confidentia? Auferte istam enim superbiam.*

* *Sentin' senem*) « Antonius orator, censor factus, de ambitu causam dixit, accusatus a M. Duronio. Coelius, cuius filius erat intemperantior in libidines, (eum enim hic delicatum vocat) pecuniam quandam a se profectam dicebat, qua corrupta essent ab Antonio suffragia; dixit Antonius, ab adolescente in meretriculas insumptam, emuncto patre, ut in comoediis adolescentes facere solent. *Tangere* enim hic *fallere* et *circumvenire* est. Plautus Poen. prol. 101: *quia amans cernit, tangere hominem vult bolo.* Sic *ferire* dicebant, ut Terentius Phorm. I, 1, 13: *Ferietur alio munere Geta.* M. autem Antonius et L. Flaccus, censores, hunc Duronium postea senatu moverunt, quod legem de coërcendis conviviorum sumptibus latam Trib. pl. abrogaverat. » TVRNEB. Addere poterat Plauti locum Epid. V, 2, 40: *Te istam ob rem tetigi triginta minis.*

* *Minis*) Mina sive mna Attica centum drachmis Atticis constabat: ad nostrates calculos revocata conficit libras septemdecim et quindecim asses. Quapropter triginta minae valebant libras Francicas quingentas viginti quinque. Bis tanto pluris est talentum Atticum, quod sexaginta minas continet, adeoque efficit libras nostrates 1050. Sunt qui pluris minam aestiment. PAVST.

* *Proverbia*) Proverbium est: *Agas asellum, si bovem agere non queas,* quod tum de Claudio Asello, quocum gerebat inimicitias, usurpavit Scipio. Graece sic effertur, *εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνε γ' οὖν ὄνον*, quo monemur, ut si bubulci esse non possimus, nec queamus vel plaustrum vel aratrum agere, asinarii simus saltem. Significavit ab imperatoribus eum inopia meliorum ductum fuisse; nec tam ductum militem ab imperatore, quam asinum ab agasone actum esse. TVRN. — Et hoc quidem aptius est, quam ut alii efferunt: *agas asellum, cursum non docebitur.* SCHVTZ.

tem se peragrasse gloriaretur: *Agas asellum*, et cetera. Quare ea quoque, quoniam mutatis verbis non possunt retinere eandem venustatem, non in re, sed in verbis posita ducantur.

Est etiam in verbo positum non insulsum genus ex eo, quum *ad verbum*, non ad sententiam rem accipere videare; ex quo uno genere totus est Tutor, mimus vetus, oppido ridiculus. Sed abeo a mimis; tantum genus huius ridiculi insigni aliqua et nota re notari volo. Est autem ex hoc genere illud, quod tu, Crasse, nuper ei, qui te rogasset, num tibi molestus esset futurus, si ad te bene ante lucem venisset: *Tu vero*, inquisti, *molestus non eris. — Iubebis igitur te*, inquit, *suscitari?* — et tu: *Certe negaram te molestum futurum.* Ex eodem hoc vetus illud est, quod aiunt Maluginensem illum M. Scipionem, quum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem, praecoque dixisset: *Dic de L.*

* *Tutor minus*) Titulus est fabulae mimicae. TVRN.

Bene ante lucem) Gulielmus malebat *bene mane*, deleta *ante lucem*. Ernestio placebat *bene mane ante lucem*.

* *Tu vero molestus non eris*) Nempe hoc erat ambigue dictum. Poterat enim sic intelligi: *Tu mihi, etiamsi bene ante lucem veneris, molestus tamen non eris.* Crassus autem sic intelligebat: *Certum habeo, te mihi non adeo molestum futurum, ut ad me bene ante lucem venias.* Eodem modo explicavit Pearcius, qui lectionem *negaram* optimo iure pro vulg. *negaras* e cod. Harl. 1 restituit. Idem scite observat, verba *non eris* duplicem posse sensum habere: alterum Anglica lingua per *you will not*; alterum per *you shall not* exprimi.

* *Quod aiunt Maluginensem*) Hic vel supplendum est post *M. Scipionem* verbum *dixisse*, vel paulo post pro *inquit*, ut Turnebo placebat, *inquisse* legendum.

* *Centuria*) Quum ab omni sexu et aetate fertur suffragium, comitia dicuntur centuriata; quod populus per centurias divisus ferret suffragia. (Asconius). PRVST.

* *Acidinum*) L. Manlius Acidinus Q. Fulvio Flacco cos. fuit A. V. C. 573.

* *De L. Manlio*) Comitiis centuriatis consules et praetores creabantur. Consul autem factus est L. Manlius Acidinus cum Q. Fulvio Flacco, anno ab V. C. 574, quamquam alii etiam forte Acidini ante consulatum sunt adepti, de quibus iocus forte accipi possit. In comitiis autem rogatores dicebantur consules, qui comitia habebant: sed et illi qui in

Manlio! — *Virum bonum*, inquit, *egregiumque civem esse arbitror.* Ridiculum etiam illud quod Nasica censori Catoni, quum ille: *Ex tui animi sententia tu uxorem*

centuria aliqua suffragia rogabant et renunciabant consuli comitia habenti interrogante praecone, ut tum Scipio Maluginensis in sua centuria fuit. Meminit etiam Livius M. Cornelii Maluginensis lib. IV, qui consul fuit cum L. Papirio Crasso, multis ante huius aetatem seculis, si de eo Manlio quem dixi, iocum interpreteris. Ac voce tum suffragia, non tabella ferebantur, nondum latis legibus tabellariis. Rogatores autem renunciatores centuriarum fuisse, ita docet Cicero lib. II de Div. *Quos quum Tib. Gracchus propter mortem repentinam eius qui in praerogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non iustum rogatorem comitiorum fuisse dixerunt. Primum vide ne in eum dixerint, qui rogator centuriae fuisset. Is enim erat mortuus.* Sed et consul renunciabat, ut Cicero Murenam se renunciasse dixit. Praeco etiam populo renunciabat, quem centuria quaeque relata et renunciata a rogatoribus consuli consulem faceret. Quum ergo Maluginensis a praecone rogaretur, ut de candidato L. Manlio diceret, quid ipsius centuria censuisset, ille tanquam non de renunciatione interrogatus esset, sed de Manlii moribus, respondit, *Virum bonum et egregium civem esse reor.* Quod eo festivius est, quia non tantum de hominum moribus, sed et de candidatis ea verba vulgo usurpare solebant. TURN.

* *Virum bonum, inquit, egregiumque civem esse arbitror*) Nempe Scipio Maluginensis simulabat, se non intellexisse, quid sibi vellet praeco, quum diceret: *Dic de L. Manlio.* Ridicule igitur respondit: *Virum bonum egregiumque civem esse arbitror*; quum respondere deberet: *Consulem eum renuntio.* Ceterum hic iocus valde frigidus fuisset, et intempestivus, nisi forte Scipio ille consulatum Manlio Acidino invidit, et hoc dicere voluit: est quidem bonus et egregius civis, ut privatus, non tamen summo magistratui idoneus. Frustra autem Pearcius in voce *egregius* lusum quaerit, quasi Scipio dixerit, Manlium dignum esse, qui e centuria sua tanquam e grege educeretur ad consulatum.

Ridiculum etiam illud, quod Nasica censori Catoni) Vulgo: *Ridicule etiam illud. L. Porcius Nasica censori Catoni.* Iam ab aliis observatum est, Nasicas non esse e Porciis, sed Catones. Itaque nomina *L. Porcius* delevi; et *ridicule etiam illud*, quod h. l. nimis est abruptum, in *ridiculum* e. i. *quod* mutavi.

* *Ex tui animi sententia tu uxorem habes*) Recte iocum hunc sic explicat Lipsius. Censores, quum lustrum conderent, diligenter cavebant, ne quis civis sine uxore esset. Cicero de Legibus censorum officia describens, *caelibes*, inquit, *esse prohibento.* Solebant porro in exigendo iureiurando haec verba praemittere, *Ex animi tui sententia*: id est, responde ad id quod rogabo, ita ut sentis: ac deinde addebant, *Tun' equum habes?* aut, *tu uxorem habes?* Quod idem in omni iuramento servatum auctor Cicero in Academicis. Hinc facilis huius loci interpretatio. Quum enim censor Ca-

habes? — *Non hercule*, inquit, *ex mei animi sententia.* Haec aut frigida sunt, aut tum salsa, quum aliud est exspectatum. Natura enim nos (ut ante dixi) noster delectat error; ex quo, quum quasi decepti sumus exspectatione, ridemus.

65. In verbis etiam illa sunt, quae aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex unius verbi translatione, aut ex inversione verborum. *Ex immutatione*, ut olim Rusca quum legem ferret annalem, dissuasor M. Servilius: *Dic mihi*, inquit, *M. Pinari*, *num*, *si contra te dixero*, *mihi male dicturus es*, *ut ceteris fecisti?* — *Vt sementem feceris*, *ita metes*, inquit. Ex *translatione* autem, ut, quum Scipio ille maior Corinthiis statuam

to in lustro condendo a nescio quo Nasica solemnibus verbis de more petiisset, *Ex animi tui sententia* dic videlicet, *tu uxorem habes?* ille intempestive dicax, et in alium sensum verba censoris detorquens respondit, *Non hercule ex animi mei sententia.* Quasi censor non rogasset utrum uxorem haberet, sed utrum morigeram et bonam, et ex animi sui sententia haberet. Quis iste fuerit L. Nasica incertum: censorem autem cui id contigit fuisse M. Catonem illum censorium Lipsius existimat. PRVST.

* *Non hercle ex mei animi sententia*) Olim prave vulgabatur! *non hercle ex tui animi sententia*, in qua explicanda frustra se torsit Strebaeus. Ceterum eandem rem narrat, nominibus tamen personarum aut ignoratis, aut suppressis, Gellius Noct. Att. IV, 20: « Censor adigebat de uxoribus solemne iusiurandum. Verba ita erant concepta: VT TV EX ANIMI TVI SENTENTIA VXOREM HABES? Qui iurabat, cavillator quidam et canalicula, et nimis ridicularius fuit. Is locum esse sibi ioci dicundi ratus, quum ita, uti mos esset, censor dixisset: VT TV EX ANIMI TVI SENTENTIA VXOREM HABES? *Habeo*, inquit, *uxorem*, *sed non hercle ex animi mei sententia.* Tum censor eum, quod intempestive lascivisset, in aerarios retulit, causamque hanc ioci scurrilis apud se dicti subscripsit. »

* *Immutata oratione*) Sic allegoriam convertit, quae non in verbo, sed oratione posita est. Lib. III de Oratore, traductionem et immutationem vocat, quam Graeci ὑπαλλαγὴν appellant. Haec immutatio orationis, *permutatio* ad Herennium dicitur. TVRNEB.

* *Ex immutatione*) i. e. ἀλληγορίᾳ, quae inest in responso M. Pinarii: *ut sementem feceris*, *ita metes.*

* *Vt olim Rusca*, *quum legem ferret annalem*) M. Pinarius Rusca legem annalem tulit, incertum quo anno; etsi enim Livius XL, 44 ait, rogationem primum latam esse ab L. Villio trib. pl. quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque, bene tamen Ernesti monuit in Clav. Cic. Ind. legg. Livium ipsum

pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum, *turmales* dixit *displicere*. *Invertuntur* autem verba, ut, Crassus apud M. Perpernam iudicem pro Aculeone quum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Aelius Lamia, deformis, ut nostis; qui quum interpellaret odiose: *Audiamus*, inquit, *pulcellum puerum*, Crassus. Quum esset arrisum: *Non potui mihi*, inquit Lamia, *formam ipse fingere; ingenium potui.* Tum hic, *Audiamus*, inquit, *disertum.* Multo etiam arrisum est vehementius.

Sunt etiam illa venusta, ut in gravibus sententiis, sic in facetiis. Dixi enim dudum, rationem aliam esse

XXV, 2 significare, iam ante Villium de tempore honorum petendorum leges fuisse.

* *Turmales — displicere*) Scipio negabat sibi placere statuam fieri eo loco, ubi quasi turma iam esset aliarum statuarum. *Turmales statuae* igitur erat translate dictum, pro statuis in media aliarum frequentia positis.

* *Invertuntur — verba*) *Inversionem verborum* h. l. possis intelligere sic, quum quis, id quod in alium iecerat dictum, reprehensus ab eo, quasi corrigit, et invertendo magis ridiculum facit. Sed magis appositum est, de ironico verborum *pulchellum* et *disertum* usu accipere. Strebaeus ad h. l.: «Gratidianus, inquit, et Aculeo litigabant apud M. Perpernam iudicem. Crassus pro Aculeone; L. Helvius Lamia deformis pro Gratidiano dicebat. Quum interpellaret odiose Lamia; *Audiamus*, inquit, *pulchellum puerum*, Crassus. Arrisit corona ad ironiam iocantis, qui deformem corpore pulchellum, virum autem puerum dixisset: *Non potui mihi*, inquit Lamia, *formam ipse fingere*, *ingenium potui*. Tum Crassus, quasi depulsus a priore dicto, verba invertit, *Audiamus*, inquit, *disertum*.» Anceps visa est Strebaeo vocabuli *inversio* notio, quum ipse partim ad εἰρωνείαν, partim ad correctionem traheret. Ciceronem tamen unice de εἰρωνείᾳ intellexisse, qua verba sic ponuntur, ut contrarium intelligi debeat, plane perspicitur e cap. 67, ubi de εἰρωνείᾳ vel dissimulatione, quae est in perpetua oratione, non in singulis verbis, agit, et «*urbana etiam dissimulatio* est, quum alia dicuntur, ac sentias, non illo genere, de quo ante dixi, quum *contraria dicas*, ut Lamiae Crassus.»

Dixi enim dudum, rationem aliam esse ioci, aliam severitatis; gravium autem et iocorum unam esse materiam) Transposui verba *rationem* et *materiam*, quum vulgo legeretur: *dixi enim iam dudum materiam aliam esse ioci, aliam severitatis; gravium autem et iocorum unam esse rationem.* Atqui haec superioribus, quae Cicero cap. 61 exposuerat, aperte repugnabant. E. c. *claudicatio* potest esse materia severitatis et ioci; alia autem ratione tractatur ab eo, qui

ioci, aliam severitatis: gravium autem, et iocorum unam esse materiam. Ornant igitur inprimis orationem *verba relata contrarie*; quod idem genus saepe est etiam facetum; ut Servius ille Galba quum iudices L. Scribonio tribuno plebis ferret familiares suos, et dixisset Libo: *Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis?* — *Quum tu*, inquit, *de cubiculo alieno*. A quo genere ne illud quidem plurimum distat, quod Glaucia Metello: *Villam in Tiburte habes, cortem in Palatio.*

graviter dicit, aliter ab eo, qui iocatur.

* *Vt Servius ille Galba*) de quo nimirum iam sopra erat narratum lib. I, c. 53.

* *Ser. ille Galba*) Galba in L. Scribonium Libonem iudices elegit, qui sibi essent ob consuetudinem comessationum familiares, quodquum videret Libo, quandouam, inquit, o Galba, desines eligere iudices compotores tuos? quum tu, respondit Galba, modum impoues tuis adulteriis. Haec verba *de triclinio tuo*, *de cubiculo alieno* sibi repugnant. Prvst.

* *Quum iudices L. Scribonio tribuno plebis ferret familiares suos*) Hoc puto factum esse in eadem causa, quae lib. I, cap. 53 memoratur, quum Scribonius Libo in Servium Galbam quaestionem tulisset, quod Lusitanorum magnam manum perfidiose interemisset. In boc igitur iudicio accusator Libo potestatem fecerat Servio Galbae iudices ferendi. Quom igitur complures ferret familiares snos, quos Libo suspicabatur fautores potius rei, quam severos iudices futuros, dixit: *Quando tandem Galba de triclinio tuo exibis?* Certe in hac causa L. Scribonius reus esse non poterat, quia tribunus plebis erat, quem, dum magistratum gerebat, in indicium vocari non licebat.

* *Villam in Tiburte*) Villae Tiburtinae in maximo erant pretio, adeo ut doleat Catullus suum fundum Sabinum potius, quam Tiburtem, dici: *O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs: Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est Cordi Catullum laedere: at quibus cordi est, Quovis Sabinum pignore esse contendunt.* Illic villam habebat magnificentissimam et elegantissimam, ideoque invidiosam Metellus. Ergo Glaucia vir improbissimus obiicit illi invidiose villam Tiburtinam, ut et infra Caesar: *Ego vero, inquam, a porta Exquilina video villam tuam.* Idem Metellus in Palatio habitabat, ubi, ut ex oratione pro Caelio intelligi potest, Metellorum domus fuit: quumque *chors* villae sit, non domus, in qua *impluvium* dicitur potius, illum dicit chortem habere in Palatio, ei obiiciens crimen affectati regni. Chortem enim hominum intelligit. Palatio autem occupato Romam fere habere potuisset in potestate. Itaque periculosis temporibus ei praesidium imponebatur. Cicero in Catilinam I, 1: *Nihil te nocturnum praesidium Palatii.* In Metellum autem Numidicum istud dictum est, qui exulare

66. Ac verborum quidem genera quae essent faceta, dixisse me puto; rerum plura sunt, eaque magis (ut dixi ânte) ridentur; in quibus est *narratio*, res sane difficilis. Exprimenda enim sunt, et ponenda ante oculos ea, quae videantur esse verisimilia, quod est proprium narrationis, et quae sint, quod ridiculi proprium est, subturpia; cuius exemplum, ut brevissimum, sit sane illud, quod ante posui, Crassi de Memmio. Et ad hoc genus ascribamus etiam narrationes apologorum.

Trahitur etiam aliquid ex *historia*; ut, quum Sex.

maluit quam in Saturnini leges iurare. Glaucia Saturnini factionem sequebatur. TVRN.

* *Chortem in Palatio*) Cn. Apuleius Saturninus, Tribunus plebis seditiosus ac turbulentus, quum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam minime iurasset, diem dixit. Qui quum a bonis civibus defenderetur, ne causa malorum certaminum esset, in voluntarium exsilium Rhodum profectus est. Haec ex Floro lib. III, cap. 16. Qui defendebant Metellum, et vim parabant, conveniebant in Palatium, Consulesque vocabant adversus Saturninum, et Glauciam, Praetorem, socium eiusdem furoris. Quamobrem Glaucia homo dicax, et tum infestus Metello, *Villam*, inquit, *in Tiburte habes*, chortem, in Palatio. *Chortem* dixit ut cohortem, pro multitudine eorum qui conveniebant in unum, quo Metellum tuerentur. Est autem *chors*, spatium intra villae maceriem. Varro *de Re rust.* Chortem barbari *curiam* vocant. A chorte dicta est *cohors*, quae est decima pars legionis, et aliquando incerta multitudo. Vsus Glaucia translatione. Transtulit enim chortem villicam ad significandum hominum cohortem, ut sit sensus: Qui villas habent, in illis habent chortes, in quibus aves et pecudes alunt. Tu vero villam in agro habes, chortem Romae in Palatio. STREB.

* *Ante posui*) Scilicet huius libri cap. 50. PRVST.

* *Apologorum*) Apologorum sive fabularum inventio refertur ad Aesopum, qui sive non auderet aperte verum loqui vir servili conditione, sive facilius percipi crederet quod festive doceretur, primus philosophari ridendo instituit, rebusque mutis sensum, et animalibus sermonem affinxit. Scite et eleganter Phaedrus lib. III: *Nunc fabularum cur sit inventum genus Brevi docebo: Servitus obnoxia Quia quae volebat, non audebat dicere, Affectus proprios in fabellas transtulit: Calumniamque fictis elusit iocis.* PRVST.

* *Sex. Titius*) Seditiosus ac turbulentus tribunus plebis anno V. C. 655, ante Christum 101, quem mordacissimo ioco Antonius carpsit. Quum enim ille iactabundus Cassandram se diceret, quasi qui vera quidem,

Titius se Cassandram esse diceret, *Multos*, inquit Antonius, *possum tuos Aiaces Oileos nominare.*

Est etiam ex *similitudine*; quae aut collationem habet, aut tanquam imaginem. *Collationem*: ut ille Gallus olim testis in Pisonem, quum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixisset datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret: *Erras*, inquit, *Scaure! Ego enim Magium non conservasse dico*, *sed*, *tan-*

sed non credenda periturae civitati praediceret; Multos, inquit Antonius, possum appellare tuos Aiaces Oileos, hoc dicterio impurissimos eius mores configens. Cassandram enim Priami filiam, cuius veris vaticiniis nulla fides habebatur, Aiax filius Oilei in templo Minervae violaverat. IDEM.

* *Cassandram*) Ita se vaticinatum esse dicebat, sed neminem credidisse. Nec enim Troiani fidem habebant Cassandrae vati. Propertius II, 13, 62: *Vera loquor*, *sed nulla fides*: *neque enim Ilia quondam Verax Pergameis Maenas habenda viris.* Quod et a Marone scribitur. Eam Aias Oilei filius capta Troia in Templo Minervae constupravit, ut multi poëtae canunt: quod tamen Homerus non scribit, aliamque affert naufragii Graecorum causam, ut auctor est Strabo. Obiicit autem istam obscenitatem Titio Antonius propter mollitiem fracti et soluti gestus et viro indigni: adeo ut ex eius nomine saltatio quaedam mollis et delicata *Titius* diceretur. In Sextum Titium virum turbulentum et seditiosum se testimonium accuratissime dixisse, narrat hoc libro II Antonius. TVRN.

* *Multos possum tuos Aiaces Oileos nominare*) Quia tralatitium erat, eum, qui Cassandrae vim intulisset, Aiacem, non Telamonium, sed Oileum fuisse, h. l. quum Titius se Cassandram esse dixisset (h. e. vatem, qui, ut illa, vera praedicendo nusquam fidem inveniret) satis perspicua mens erat Antonii, quum diceret: *Multos possum tuos Aiaces nominare*, h. e. qui tibi pudicitiam eripuerint. *Oileos* igitur e glossa additum videtur. Abruptius autem loquutus esset Antonius, si Titio dicenti: *Sane ego Cassandra sum*, respondisset: *Multos possum tuos Aiaces nominare.* Itaque excidisse videtur particula *Ac* vel *Et* ante *multos*.

* *Gallus olim testis*) Confirmabat innumerabilem ab illo pecuniam Magio praefecto per corruptelam esse datam. Scaurus, qui patronus aderat Pisoni, testimonium refellere conabatur tenuitate, id est, paupertate Magii: non esse verisimile, eum, qui innumerabilem pecuniam recepisset, tam pauperem esse. Tum Gallus facete: *Erras*, inquit, *Scaure*, *in has tua refutatione. Ego enim Magium non conservasse pecuniam dico*, *sed*, *tanquam nudus nuces legeret*, *in ventrem abstulisse.* Qui nuces legit, id est, colligit nudus, non potest auferre vel in sinum, vel in manicas: mittit in ventrem. Sic ille Magius in compotando omnem pecuniam dicebatur absumpsisse. STREBAEVS.

quam nudus nuces legeret, *in ventre abstulisse*; ut ille M. Cicero senex, huius viri optimi, nostri familiaris, pater: *nostros homines similes esse Syrorum venalium; ut quisque optime graece sciret*, *ita esse nequissimum*. Valde autem ridentur etiam *imagines*, quae fere in deformitatem, aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris; ut meum illud in Helvium Manciam: *Iam ostendam*, *cuiusmodi sis*; quum ille: *Ostende*, *quaeso*; demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico, sub Novis,

* *Tanquam nudus*) Hic locus a collatione sive comparatione ducitur. Magius enim, qui compotando dicebatur omnem absumpsisse pecuniam, cum eo confertur, qui nudus in ventrem nucem demittit. Pavst.

In ventre) Guelf. B, C, *in ventrem*. Vtrumque defendi potest. Prius tamen cum Ernestio praetulimus, ut h. l. aptissimum.

* *Vt ille M. Cicero senex*) Sine causa Vrsinus legendum putabat *M. Cato senex*. Designatur autem Ciceronis oratoris et consularis avus, et *huius viri optimi* pertinet ad eiusdem patrem; quod Pearcius vidit, quum nonnullis falso *M. Cicero senex* videretur Ciceronis nostri patrem significare. Male autem olim quaedam edd. *ut illud*.

* *Syrorum venalium*) « Venalitiarii magnam vim servorum Syrorum advehebant. Hinc illud Ciceronis: *Nemo queritur*, *Syrum nescio quem de grege novitiorum factum esse consulem*. Nam praedones Cilices oram Syriae infestam habebant, et praedas illinc agebant, captaque corpora Delum deportabant ad mercatum, unde Romani emebant. Qui autem Syri optime loquebantur graece, diu servierant in Graecia, veteratoresque et nequam evaserant, nec novitii erant; sed quod servituti diuturnae, quae improbos et callidos reddit, attribuendum fuit, id in Graecorum mores conferebat Cicer. avus, qui infestus Graecis fuisse videtur, non multo secus, ac Cato censorius. » Hactenus Turnebus ad h. l.

* *Optime graece*) Apud veteres Romanos male audiebant, quibus erat frequentius cum Graecis commercium: quippe quorum si disciplinas non omnino respuerent, ac loquacitatem, ignaviam, et adulationem pessime oderant. Proclivo est autem existimare ab eorum te moribus non abhorrere, quorum doctrinas studiosius persequeris. Pavst.

* *Imagines — in deformitatem*) Qualis est elegans illa Martialis: *Quum sint crura tibi*, *simulent quae cornua lunae*. Idem.

* *Pictum Gallum*) « Tabernae erant circum forum, inquit Fabius, et scutum illud signi causa positum, Marianum autem scutum Cimbricum vocat, propterea quod Cimbris nuper a Mario victis in memoriam victoriae dominus tabernae scutum suspenderat sic pictum pro tabernae signo. Solebant etiam ad pompam triumphi ornandam multa huiusmodi scuta

distortum, eiecta lingua, buccis fluentibus; risus est commotus; nihil tam Manciae simile visum est; ut quum Tito Pinario, mentum in dicendo intorquenti: *Tum ut diceret, si quid vellet, si nucem fregisset.*

Etiam illa, quae *minuendi*, aut *augendi* causa ad

traduci, et in foro poni. Livius IX, 40. Dictator ex SCto triumphavit; cuius triumpho longe maximam speciem captiva arma praebuere. Tantum magnificentiae visum in iis, ut aurata scuta dominis argentariorum ad forum ornandum dividerentur. Inde natum initium dicitur fori ornandi ab aedilibus. Scutum igitur pendebat in taberna pro signo, in quo Gallus linguam eiiciebat, i. exserebat. Sic enim in contumeliam et deformitatem eum foede pinxerant. Fortasse etiam, quod in historia scriptum scirent, Gallum, qui cum Torquato pugnasset, linguam exseruisse. Liv. VII, 10. Buccas autem fluentes dicit pendentes et solutas, ut in Gabinium (Post Red. in S. 6): *madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta.* Plinius hunc iocum non Iulio, sed Crasso tribuit, nec scutum, sed tabulam nominat. Sic enim scribit N. H. XXXV, 4, 8: *Hinc ille Crassi oratoris lepos, agentis sub veteribus, quum testis compellatus instaret: Dic ergo, Crasse, qualem me reris? Talem, inquit, ostendens in tabula pictum inficetissime gallum exserentem linguam.* » TVRNEB.

* *Sub Novis*) Guelf. B, C, vitiose *sub nodis*; quamquam id ferri posse censebat Turnebus, qui tamen ipse iam veram lectionem *sub Novis*, i. e. tabernis, coniectando assequutus est. Varro lib. V de L. L. *sub Novis dicta pars aedificiorum in foro.* Vocabantur vero hae tabernae novae, quia aliae erant vetustiores. Hinc illud Plinii *sub veteribus*, sc. tabernis, et apud Plautum Curcul. IV, 1, 19, *sub veteribus* ibi *sunt, qui dant, quique accipiunt foenore*, quae loca excitavit Pearcius; coll. Quintil. Inst. Or. VI, 3. Ceterum pro *Mariano scuto* Pighius ad a. 392, corrigendum censuit *Manliano*; quod necessarium non esse vidit Ernesti, quum consequatur *Cimbrico*, in quo facilius sit de Mario, quam de Manlio cogitare, qui quidem etiam cum Cimbris, sed tamen infeliciter pugnavit.

Tito Pinario) Vitiose Guelf. B, *Testio prenario*; C, *Testio penario.* Vulg. *Testio Penario.* Vrsinus in Antiqq. Rom. correxit *Tito Pinario.* Pearcius malebat *testi Penario.*

* *Tito Pinario*) Titus Pinarius dicendo mentum non aliter intorquebat, quam qui dentibus frangunt nucem: quod quum I. Caesar animadvertisset, excepit adversarium ridiculo: *Dic, inquit, si quid velis, posteaquam nucem fregeris.* STREB. Simile est illud in Vespasianum, qui vultu nitentis erat: *Dicam, quum ventrem exonerare desieris.* TVRN.

* *Minuendi*) Non minus lepidum est quod rem incredibiliter imminuit, quam quod auget. Facetum est illud Ciceronis, qui quum Lentulum generum suum, exiguae staturae hominem, longo gladio accinctum vidisset, Quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit? (Macrob. lib. II Saturnal. cap. 3). PRVST.

* *Augendi causa*) Quum quis ali-

incredibilem admirationem efferuntur; velut tu, Crasse, in concione: *ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabii demitteret.* Ex quo genere etiam illud est, quod Scipio apud Numantiam, quum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur: *Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse pariturum.*

Arguta etiam *significatio* est, quum parva re, et saepe verbo res obscura et latens illustratur; ut quum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut existimabatur,

tur hyperbole, qualem adhibuit per iocum Cicero. Quum in ea provincia, quam Q. Frater rexerat, vidisset clypeatam imaginem eius ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam; erat autem Quintus ipse staturae parvae, ait: Frater meus dimidiatus maior est quam totus (Macrob. ibid.). Idem.

* *Ad fornicem Fabii*) De homine praelongo interpretatur Fabius (VI, 3), hunc in modum: *Quale refert Cicero de Memmio homine praelongo, caput eum ad fornicem Fabii offendisse.* Sed censeam potius accipi debere de animi vitio, ut C. Memmium infestuoi patribus tam magnum sibi videri dicat, ut ad fornicem Fabii, qui altissimus erat, caput demittat. Sic enim reprehenduntur magni eius spiritus, et notatur insolentia hominis sese efferentis supra modum. Vt ita intelligam faciunt et verba Ciceronis scribentis ipsum Memmium ita sibi videri magnum, et historia. Tvrn. — Nimirum Crassus arrogantiam hominis carpebat, qui etsi longus erat, multo tamen sibi maior esse videretur, quam esset. Schvtz.— Hunc Fornicem Fabius vir triumphalis victoriae de Allobrogibus relatae in monumentum exstruxerat, Pavst.

* *C. Metello*) Q. Metellus Macedonicus, ut refert Plutarchus libro de fortuna Romanorum, quatuor habuit filios consulares. Q. Baleaticum, L. Diadematum, M. Metellum, et C. Caprarium, quorum ut quisque ceteros aetate, sic ingenio superabat. Omnium igitur minime ingeniosus fuit C. Metellus, cuius tarditatem accusans Scipio aiebat, si mater eius quintum pareret, asinum fuisse pariturum: quasi ita obtusus fuisset Metellus, ut nullus nisi asinus ipso posset esse inferior. Idem.

* *Si quintum pareret*) « C. enim Metellus quartus erat e liberis Macedonici Metelli, sed ita hebes et tardus, ut non plus ingenii prope quam asinus haberet, eiusque mater subinde tardiores liberos procrearat, a Tvrn.

* *Vt quum C. Fabricio P. Cornelius*) Hunc locum illustrat Gellius Noct. Att. IV, cap. 8: « Fabricius Luscinus magna gloria vir, magnisque rebus gestis fuit. P. Cornelius Rufinus manu quidem strenuus et bellator bonus, militarique disciplina peritus admodum fuit; sed furax homo et avaritia acri erat. Hunc Fa-

avarus et furax, sed egregie fortis et bonus imperator, gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset, bello praesertim magno et gravi, *Nihil est, quod mihi gratias agas*, inquit, *si malui compilari, quam venire!* ut Asello Africanus, obiicienti lustrum illud infelix, *Noli*, inquit, *mirari. Is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit, et taurum immolavit.* Tacita

bricius non probabat, neque amico utebatur, osusque eum morum causa fuit. Sed quum in temporibus reip. difficillimis consules creandi forent, et is Rufinus peteret consulatum, competitoresque eius essent imbelles quidam et futiles, summa ope adnisus est Fabricius, uti Rufino consulatus deferretur. Eam rem plerisque admirantibus, quod hominem avarum, cui esset inimicissimus, creari consulem peteret, quem hostiliter oderat, Fabricius inquit: *Nihil est, quod miremini, si malui compilari quam venire.* — Id autem, quod supra scripsi, Fabricium de Cornelio Rufino ita, ut in pleraque historia scriptum est, dixisse, M. Cicero non aliis a Fabricio, sed ipsi Rufino, gratias agenti, quod eius gratias designatus consul esset, dictum esse refert in libro secundo de oratore. » Quintilianus etiam hoc dictum retulit Inst. Or. XII, 2, 43: « Certe Fabricius Cornelium Rufinum et alioqui malum civem, et sibi inimicum, tamen, quia utilem sciebat ducem imminente bello, palam consulem suffragio suo fecit, atque id mirantibus quibusdam respondit: *a cive se spoliari malle, quam ab hoste venire.* »

Nihil est quod) Sic Guelf. C. Vulg. *Nihil est quo.*

* *Ut Asello Africanus*) Scipio Africanus censor Cl. Asello equum ademerat, eumque in aerarios retulerat, e quibus paulo post collega Africani Mummius eum exemit. Tum post censuram, ut Lucilius ait: *Scipiadae magno improbus obiiciebat Asellus, Lustrum illo censore malum infelixque fuisse.* Hoc probrum Scipio hac excusatione amoliebatur, ut diceret, Mummium collegam suum, qui Asellum ex aerariis exemisset, et eo ipso quasi piaculum contraxisset, in suovetaurilibus, quibus lustrum condebatur, taurum immolasse.

* *Ex aerariis exemit*) Censores malos cives sic notabant, ut qui senator esset, senatu moveretur, qui eques romanus, equum publicum amitteret, qui vero plebeius, fieret aerarius, nec esset in albo centuriae suae tanquam civis, sed tantummodo pro capite suo tributi nomine aera penderet. Si plebeius hac ignominia levabatur, illum *ex aerariis eximi* dicebant. Streb. Porro notandum est morem fuisse Censoribus taurum immolare, quum lustrum conderent, et finirent. Pearc.

* *Lustrum condidit*) Censu peracto, immolatisque sue, ove, tauro, lustrum conditum dicebatur, quod in censendo finis esset factus; non autem semper acto censu lustrum condebatur. Nam si quid dirum, et ominosum, aut sinistrum accidisset, lustrum condi nefas erat. Livius: *Census actus eo anno: lustrum, pro-*

suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit.

67. Vrbana etiam *dissimulatio* est, quum alia dicuntur, ac sentias, non illo genere, de quo ante dixi, quum contraria dicas, ut Lamiae Crassus, sed quum toto genere orationis severe ludas, quum aliter sentias, ac loquare; ut noster Scaevola Septumuleio illi Ana-

pter *Capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum fuit.* Itaque census is, quo lustrum condebatur, ab Vlpiano census lustralis appellatur. Significat igitur Scipio, civitati prope opus esse expiatione, quod quum Asellus exemptus sit ex aerariis, quod ominosum et dirum videri vult, conditum tamen lustrum sit: inde enim infelix lustrum et calamitosum fuisse, multumque mali postea reip. evenisse. Verba Africani de Mummio, quae a Valerio scribuntur, hic adscribam: *Quum haberet*, inquit, *censurae consortem Mummium, ut nobilem, ita enervis vitae, pro Rostris dixit, se ex maiestate reip. omnia gesturum, si sibi cives, vel dedissent collegam, vel non dedissent.* Turn.

Tacita suspicio est) Sic fidenter emendavi vulg. *tanta suspicio est*, quod se intelligere negavit Ernesti, neque vero iniuria. Nam nemo ex eo sensum extricaverit. Verum est *tacita suspicio*, i. e. *latens et abscondita.* Sic in re simili ad Herenn. IV, 30: *Hic atrocior tacita suspicio quam diserta explanatio 'facta* (fortasse verius *facti*) *est.*

* *Religione — obstrinxisse*) Religione civitatem obstringere, est eum metum violatae religionis incutere civibus, ut expiandam civitatem, et Deos esse placandos existiment. Str.

* *Quum alia dicuntur, ac sentias*) Cuiusmodi est illud Ciceronis. Quum Caesar legem tulisset de agro Campano militibus dividendo, et multis ea res displicuit in senatu, et L. Gellius, admodum senex, negavit hoc futurum se quidem vivo: hic Cicero, Exspectemus, inquit: non longam diem postulat Gellius. (Plutarch. in Cicerone). Pavst.

* *Quum contraria dicas*) Genus illud superius dicit, quo per inversionem quis iocatur, a quo ironiam hic distinguit, quam dissimulationem appellat, ac mox etiam dissimulantiam. Ea plurimum usus est Socrates in sermonibus, praesertim cum sophistis disputans. Nam de seipso detrahens, plurimum tribuebat iis; quos volebat refellere. Turn.

* *Scaevola Septumuleio*) C. Gracchus, seditioso Tribunatu acto, quum Aventinum armata multitudine occupasset, L. Opimius Consul ex senatusconsulto persequens illum, praemium pollicitus est ei, qui Tribuni caput auferret, ad seque deferret. Id fecit Septumuleius Anagninus, et aurum in praemium accepit. Quum Scaevola in Asiam proficisceretur, et Anagninus rogaret ut eo se praefectum duceret: *Quid tibi vis*, inquit, etc. Videtur severe et graviter homini consulere, quem ut avarum crudelemque deludit, quia pro capite malorum civium velit aurum sibi rependi. Streb.

gnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum, roganti, ut se in Asiam praefectum duceret, *Quid tibi vis*, inquit, *insane? tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Romae manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum.* In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum hunc Aemilianum dicit cluisse, et eum graeco verbo appellat εἴρωνα: sed, uti ferunt, qui melius haec norunt, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse. Genus est perelegans, et cum gravitate salsum, quumque oratoriis dictionibus, tum urbanis sermonibus accommodatum. Et hercule omnia haec, quae a me de facetiis disputantur, non maiora forensium actionum, quam omnium sermonum condimenta sunt. Nam quod apud Catonem est, qui multa retulit, ex quibus a me exempli causa multa ponuntur, per mihi scitum videtur, C. Publicium solitum dicere, *P. Mummium cuivis tempori hominem esse.* Sic profecto res se habet, nullum ut sit vitae tempus, in quo non deceat leporem humanitatemque versari. Sed redeo ad cetera.

Est huic finitimum dissimulationi, quum honesto verbo vitiosa res appellatur: ut quum Africanus censor

* *Aemilianum*) Hic L. Pauli qoi Persen vicit, filius, adoptatus est a P. Scipione Africani Maioris filio, qoi liberis carebat. Idem.

Cluisse) Sic de Iacobs*ii* coniectura rescripsi, pro *fuisse*, quod est in MSS. et edd.

* *Cuivis tempori*) Simile quiddam de Asinio Pollione refert Fabius (VI, 3, 110) hunc in modum: *Vt de Pollione Asinio seriis iocisque pariter accommodato dictum est, esse eum omnium horarum.* P. autem Mummius lepidus et facetus quum esset, homo cuivis tempori a Publicio dictus est, quod *in* otio, in negotio, in rebus laetis, in asperis, iucundus hominibus esset, et cuicumque tempori aptus. Tvrn.

* *Honesto verbo*) Hoc referri potest illud Ciceronis dicterium. Insimulatus adolescens quidam, quod venenum dedisset patri in placenta, iactabat se ferocius, et Ciceroni contumelias ac maledicta minabatur. Cui Cicero, Hoc, inquit, malo a te, quam placentam (Plutarch. in Cicerone). Pevst.

tribu movebat eum centurionem, qui in Paulli pugna non affuerat, quum ille se custodiae causa diceret in castris remansisse, quaereretque cur ab eo notaretur: *Non amo*, inquit, *nimium diligentes*.

Acutum etiam illud est, quum ex alterius oratione aliud excipias, atque ille vult: ut Salinatori Maximus, quum, Tarento amisso, arcem tamen Livius retinuisset, multaque ex ea proelia praeclara fecisset, quum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset,

* *In Paulli pugna*) Nempe quum L. Aemilius Paullus Macedonicus bellum adversus Persen gereret.

* *Quum ex alterius oratione*) Ciceroni iocorum lepore ac frequentia nemo comparandus, tot ex omni facetiarum genere nobis exempla sufficere potest. Quam elegans est illud in Clodium! *At quae dea est? Bonam esse oportet, quandoquidem est abs te dedicata. Libertas, inquit, est. Eam tu igitur domi meae collocasti, quam ex urbe tota sustulisti.* Pro domo sua. Pryst.

* *Vt Salinatori Maximus*) In bello Punico secundo M. Livius Salinator Tarentum amiserat, ita tamen, ut arcem per quinquennium tueretur. Id oppidum postquam Q. Fabius Maximus recepisset, in senatu, quod Livius narrat XXVII, 25, magno certamine actum est, aliis senatus consulto notantibus praefectum (Livium), quod eius socordia Tarentum proditum hosti esset, aliis praemia decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeque unius eius opera receptum Tarentum foret; mediis ad censores, non ad senatum notionem de eo pertinere dicentibus. Cuius sententiae et Fabius fuit, adiecit tamen, *fateri se, opera Livii Tarentum receptum, quod amici eius vulgo in senatu iactassent, neque enim recipiendum fuisse, nisi amissum foret.* Idem Fabii dictum sub Catonis maioris persona narratur a Cicerone. « Q. Maximus me audiente Salinatori, qui, amisso oppido, fugerat in arcem, glorianti, atque ita dicenti, *Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti; — Certe,* inquit ridens, *nam nisi tu amisisses, nunquam recepissem.* » Cic. de Senect. c. 4.

* *Salinatori*) Primus, teste Plinio, vectigal ex salaria annona instituerat Ancus Martius Romanorum quartus rex, sed expulsis regibus sublatum fuerat. Multo post, nempe anno V. C. 550, ante Christum 204, censores M. Livius et C. Claudius illud restituere. Id commentum alterum ex censoribus satis credebant, populo iratum, quod iniquo indicio quondam damnatus esset. Inde Salinatori Livio inditum cognomen, quod etiam in eius familiam transiit (Livius lib. XXIX). Paulo ante praeerat Tarento Livius, ut coniicimus, eratque praefectus ille, qui audito insidiis Annibalis captam, in arcem peninsulae more partim mari, partim rupibus cinctam confugit, quod fuse refert Livius lib. XXV. Id evenit anno V. C. 545, ante Christum 209. Pryst.

* *Maximus*) Q. scilicet Fabius Maximus Verrucosus, qui tum erat

rogaretque eum Salinator, ut meminisset, opera sua se Tarentum recepisse: *Quidni*, inquit, *meminerim? nunquam enim recepissem, nisi tu perdidisses.*

68. Sunt etiam illa subabsurda, sed eo ipso nomine saepe ridicula, non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis:

Homo fatuus,
Postquam rem habere coepit, est mortuus.

et

Quid est tibi
Ista mulier? — Vxor. — Similis medius fidius.

et

Quamdiu ad aquas fuit, nunquam est mortuus.

Genus hoc levius, et, ut dixi, mimicum; sed habet nonnunquam aliquid etiam apud nos loci, ut vel non

consul, cum stratagemate Punico Tarentum est expugnatum. Idem.

* *Homo fatuus*) Duo hic videntur subabsurda, et quod homo stultus divitias sibi parare potuerit, et quod iis paratis, quum debuisset frui, statim e vita decessisset. Pavst.

Est mortuus) Placet Turnebi et Lambini emendatio *emortuus*, ut iambicus trimeter absolvatur. Sic autem postea quoque legendum: *Quamdiu ad aquas fuit, nunquam est emortuus.* Ceterum hunc et qui sequuntur versiculos Schneiderus in epistola ad Langerum Wetzelianae Bruti editioni praemissa ad Novium auctorem refert; cui lubens accedo.

Et) Hanc copulam inserui, ut versiculi priores a sequentibus discernerentur, quemadmodum in tertio, qui statim laudatur, factum.

* *Similis medius fidius*) Quidam quum deformem et foedam mulierem videret, interrogavit virum qui ad-erat illi persimilis: Quid est tibi ista mulier? Soror, an cognata? Cum respondisset, uxor est mea; tum ille, *Similis est tibi medius fidius.* Ac si diceret: Ex lineamentis corporis iudicaveram tuam sororem esse, vel cognatam. Hoc modo facete notavit illius viri foeditatem. Strebaevs.

* *Quamdiu ad aquas fuit*) Iocularis est Harlesii interpretatio: *quamdiu piscator aut portitor fuit.* Recte autem iam Turnebus interpretatus erat, *ad aquas calidas et medicatas, ut Baianas et Puteolanas.* Ridiculum tamen haud satis recte accepit, quum putabat, cavillatorem absurdum videri voluisse, quod ille, qui valetudinis causa ad aquas descedisset, domum reversus mortuus esset, quum potius ad aquas mori debuisset. Immo exemplum est hoc dictum hominis stulti et subabsurda dicentis, qui scil. putabat, illum aegrotum, si modo ad aquas mansisset, moriturum non fuisse; et

stultus quasi stulte cum sale dicat aliquid: ut tibi, Antoni, Mancia, quum audisset te censorem a M. Duronio de ambitu postulatum: *Aliquando*, inquit, *tibi tuum negotium agere licebit.* Valde haec ridentur, et hercule omnia, quae a prudentibus, quasi per dissimulationem subabsurde salseque dicuntur.

Ex quo genere est etiam, non videri intelligere quod intelligas, ut Pontidius: *Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? — Tardum.* Vt ego, qui in delectu Metello, quum excusationem oculorum a me non

hoc absurdum augetur etiam eo, quod dicit *nunquam est mortuus*, quasi aliquis bis aut saepius mori posset.

* *Vt tibi, Antoni, Mancia*) «Quod et in patrociniis aliorum ita occupatus esset, et in administranda rep. ut nihil vacui temporis habere videretur, quod suis negotiis impertiret. *Agere suum negotium* dicitur, qui res suas agit. Cic. de offic. (lib. I, cap. 9): *Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris tuendae, aut odio quodam hominum suum se negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur iniuriam.* Et lib. II de Orat. cap. 6: *Quid igitur? inquam, quando ages negotium publicum? quando tuum? quando denique nihil ages?* Sed ridicule, quod de re familiari dicitur, Mancia ad iudicium crimenque retulit. Statim autem, quum designatus censor Antonius fuit, a Duronio de ambitu postulatus est, quod eum magistratum corruptis tribubus esset adeptus. TVRNEBVS.

Quasi per dissimulationem) Vulg. additur *non intelligendi*; quod quum esset sensui, quem hic locus requirit, oppido contrarium Pearcius malebat e MS. Harl. 1 legere: *per simulationem non intelligendi.* Mihi vero, ut Ernestio, visum est *non intelligendi* e glossa fluxisse, quia paulo post demum de hac ratione agitur, et supra *dissimulatio* simpliciter ponitur.

* *Tardum*) Quintil. Inst. Or. VI, 3, 88: *Sed averti intellectus etiam aliter solet, quum ab asperioribus ad leniora deflectitur, ut qui interrogatus, quid sentiret de eo, qui in adulterio deprehensus esset, tardum fuisse respondit.* Fugere enim debuerat, ne in eo deprehenderetur. PRVST.

* *Metello*) Metellum hunc esse puto Numidicum, qui Numidiam sortitus provinciam bello Iugurthino, delectum, ut Sallustius scribit, Romae habuit: in quo petenti militiae vacationem Caesari, morborumque oculorum iuranti, *Tu igitur*, inquit, *nihil vides?* quasi sola caecitas excusanda esset, nec satis esset morbus oculorum ad vacationem. *Immo vero*, inquit ille, *a porta Esquilina video villam tuam Tiburtinam*, in quo ei obiecit invidiose villam nimis magnificam, nimisque alte aedificatam; et quid ageretur, dissimulavit, atque ita respondit, quasi tantum interrogaretur quantum videret, non quam iusta excusatio esset. TVRNEB.

acciperet, et dixisset: *Tu igitur nihil vides? — Ego vero*, inquam, *a porta Esquilina video villam tuam.* Vt illud Nasicae, qui quum ad poëtam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse: Nasica sensit, illam domini iussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius: *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Nasica: *Homo es impudens. Ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?*

Est bellum illud quoque, ex quo is, qui dixit, irridetur in eo ipso genere, quo dixit; ut, quum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset: *Quid tu, Egilia mea? quando ad me venis cum tua colu et lana? — Non pol*, inquit, *audeo. Nam me ad famosas vetuit mater accedere.*

* *Tu igitur* etc.) Itane vero tu oculos infirmos ac parum videntes habes? caecus es? Immo, inquit Crassus, non ita sum caecus, qui a porta Esquilina villam tuam magnificentius, quam decet, exstructam videre possim. Dum se non penitus obtusa oculorum acie probat, sumptuosas Metelli substructiones reprehendit. Prvst.

* *Video villam tuam*) An Caesar hoc dicto, quod Turnebus putabat, simul voluerit Metello villam nimis magnificam exprobrare, dubito. Quin potius nihil aliud significasse arbitror, quam, se non adeo caecum esse, ut ne villam quidem videre possit.

Quo dixit) Sic recte Pearcius pro vulg. *quod dixit.*

* *Qui adolescentulus male audisset*) Nempe ob laesam pudicitiam et amatoribus prostitutam.

* *Qui videretur mollior, nec esset*) Qui propter festivitatem inclinare videretur ad impudicitiam, re vera tamen ab omni labe purus esset.

* *Egilia*) Apud Nonium legitur *Decilla*, quae si vera esset lectio, de Decio, Turnebo auctore, posset intelligi, a quo postea trib. pl. vocatus est in iudicium Opimius.

* *Quando ad me venis cum tua colu et lana*) Versiculum hic sibi invenisse videtur Turnebus comici alicuius poëtae, quo abusus sit ad cavillationem Opimius. Mihi potius dictum Opimio proprium videtur, et soluta oratione enuntiatum. Sic et Egilii responsionem interpretor, quae multum salis perderet, si esset ex poeta

69. Salsa sunt etiam, quae habent suspicionem ridiculi absconditam, quo in genere est illud Siculi, cui quum familiaris quidam quereretur, quod diceret, uxorem suam suspendisse se de ficu: *Amabo te,* inquit, *da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos.* In eodem genere est, quod Catulus dixit cuidam oratori malo; qui quum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit hunc, videreturne misericordiam movisse: *Ac magnam quidem*, inquit. *Neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.* Me quidem hercule valde illa movent stomachosa, et quasi submorosa ridicula; non quum a moroso dicuntur; tum enim non sal, sed na-

quodam sumta, nec ipsius ingenio et ex tempore nata. Versiculos quoque Lipsius Epist. V, 18, h. l. quaerebat, ideoque legendum putabat, *Quid tud Egilia.*

* *Da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos*) Quintil. Inst. Or. VI, 3: *Sed averti intellectus etiam aliter solet, quum ab asperioribus ad leniora deflectitur: ut qui interrogatus, quid sentiret de eo, qui in adulterio deprehensus esset,* tardum fuisse, *respondit. Ei confine est, quod dicitur per suspicionem; quale illud apud Ciceronem, querenti, quod uxor sua e fico se suspendisset, Rogo, des mihi surculum ex illa arbore, ut inseram. Intelligitur enim, quod non dicitur.* — Ex quo loco Manutius hic quoque non *seram*, sed *inseram* legendum censebat. Ernesti *seram* defendit; arbores enim, inquit, seruntur, quocunque modo manu humana fiant, ergo etiam surculi, qui proprie *pangi* dicuntur.

* *Da mihi ex ista arbore*) Hic est abscondita ridiculi suspicio; tegitur enim quod perspicaces satis intelligunt, hunc hominem uxoris mortem exoptare. Pryst.

In epilogo) Guelf. B, *epilogo* sine *in.*

Me quidem hercule valde illa) Guelf. B, C, *me quidem hercule etiam illa valde;* non male. Nam exemplum, quod sequitur, est ex alio genere.

* *Non quum a moroso dicuntur*) «Morosam istam et stomachosam naturam ac ridiculam sic reprehendit in consule Pisone lib. I ad Att. ep. 3: *Tamen cavillator illo genere moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur; facie magis quam facetiis ridiculus.* Et de eodem in Bruto cap. 67: *Habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limaverat, quod erat in reprehendendis verbis versutum et solers, sed saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum.*» Turneb. Male Ernesti correxit *quum non a moroso dicuntur*, qua in forma putabat aliud membrum, quod contrarium sit, sequi debere. Sed hoc alterum intelligi poterat, etiamsi non enuntiaretur.

tura ridetur. In quo, ut mihi videtur, persalsum illud est apud Novium:

Quid ploras, pater? —
Mirum ni cantem; condemnatus sum.

Huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac lenti: ut, quum Cato percussus esset ab eo, qui arcam ferebat, quum ille diceret, *Cave:* rogavit, *nunquid aliud ferret praeter arcam*

Etiam stultitiae salsa reprehensio; ut ille Siculus, cui praetor Scipio patronum causae dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum: *Quaeso*, inquit, *praetor*, *adversario meo da istum patronum*, *deinde mihi neminem dederis.*

Movent illa etiam, quae coniectura explanantur longe aliter, atque sunt, sed acute, atque concinne: ut, quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, quum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, et in eius tabulis ostenderet literas, *A. F. P. R.* idque di-

Ceterum conf. Heusingerum ad Cic. off. II, 24, 1.

* *Vt quum Cato*) Simile est illud Diogenis Sinopei apud Diog. Laërt. lib. VI: Πρὸς τὸν ἐντινάξαντα αὐτῷ τὴν δοκὸν, εἶτα εἰπόντα· Φύλαξαι· Πάλιν γάρ με, ἔφη, παίειν μέλλεις;

Vt, quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus.) Cf. Cic. Brut. c. 30.

* *Et in eius tabulis ostenderet literas*) « Quotidie rationem expensi et accepti veteres Romani fere conficiebant, ac negligens censebatur, qui tabulas non conficeret; sed quum rei plerumque ex suis tabulis damnarentur, tandem illa consuetudo desiit. Ergo M. Emilius Scaurus literas, quas repererat in tabulis P. Rutilii Rufi, ad suspicionem criminis interpretabatur, quod istud obscuris notis scripsisset, significantibus, a sequestribus et divisoribus ceterisque campestribus operis divisam per tribus pecuniam, Rutilii fide sumptam. Rutilius dicebat, ante factum fuisse, nec statim, sed postea in tabulas relatum, et in commentariis rationum domesticarum caput illud esse perscriptum serius. C. autem Canius, quem dicit Rufo advocatum fuisse, is est, quem lib. III de Offic. cap. 14, a Pythio argentario in hortorum emptione deceptum scribit. » TVRNEB.

* *Et in eius tabulis*) Veteres Romani (ut dixi ad cap. 23) tabulas rei familiaris suae conficere solebant: has et Rutilius ille Rufus confecit, et ex his in iudicium prolatis Aemilius Scaurus aliquid contra Rutilium attulit. Causa huiusmodi fuit: Scaurus

ceret esse: *Actum fide P. Rutilii;* Rutilius autem: *Ante actum, post relatum;* C. Canius, eques romanus, quum Rufo adesset, exclamat, neutrum illis literis declarari. *Quid ergo*, inquit Scaurus? — *Aemilius fecit, plectitur Rutilius.*

Ridentur etiam discrepantia. *Quid huic abest, nisi res et virtus?*

70. Bella etiam est familiaris reprehensio, quasi errantis: ut quum obiurgavit Albius Granium, quod, quum eius tabulis quiddam ab Albucio probatum vide-

et Rutilius una consulatum petebant; Scaurus vero, qui eum obtinuit, accusavit Rutilium ambitus, et ad id crimen probandum postulavit, ut Rutilii tabulae in iudicium afferrentur: in iis tabulis Rutilius retulerat ea, quae in sua petitione consulatus contigerant, puta turbas populi, suffragiaque non sine seditione quadam lata, et in fine addiderat quatuor has literas, *A. F. P. R.* Eas Aemilius Scaurus malo animo sic explicavit, *actum fide Publii Rutilii*, iisque inmi contendit id, quod actum fuerit et memoratum in Rutilii tabulis, actum fuisse auctoritate Rutilii eiusque sponsione, quasi eum promiserit vel pecuniam vel securitatem suffragia istiusmodi ferentibus. Rutilius vero dixit se his literis solum significasse, *ante factum, post relatum*, id est, ea quae in tabulis eius memorata praecesserant, ante (scilicet interiecto tempore) facta erant, quam ipse ea scripto mandasset. Interim Canius alio modo, quam vel Scaurus vel Rutilius, istas literas explicavit, sc. *Aemilius fecit, plectitur Rutilius*, id est, id in quo Scaurus Rutilium accusat, fecit Scaurus ipse, quamvis Rutilius ob id plectendus videretur. PEARC.

* *Quid huic abest, nisi res et virtus?*) Idem dictum laudat Quintil. VI, 3, 84, et refert ad genus decipiendi opinione, aut dicta aliter intelligendi.

* *Quid huic abest*) Acriter vituperatur, qui sic maligne laudatur, ut nihil ei dicatur deesse, nisi duo maxima, opes, et virtus. PAVST.

* *Vt quum obiurgavit Albius Granium*) Post verba *contra tabulas esse iudicatum* Albii dictum excidisse, primus vidit Ernesti. Mihi autem pro *Albucio* (vel *ab Albucio*, quod habent MSS. complures apud Pearcium) legendum esse videtur *a Mucio*. Cic. Brut. cap. 26: *Mucius autem augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium.* Nempe quum Scaevola esset ab Albucio repetundarum accusatus, et Granius absoluto Scaevola gauderet, putaretque, eius absolutionem tabulis suis effectam esse, neque intelligeret, contra tabulas esse indicatum, ideo eum Albius obiurgavit, vel, quod eum tardum in intelligendo diceret, vel, quod in tabulis conficiendis parum accuratum. Et fortasse pro *Albius* leg. *Albucius*.

Quod, quum eius) Delendum videtur *quum*.

retur, et valde absoluto Scaevola gauderet, neque intelligeret, contra tabulas esse iudicatum * *

Huic similis est etiam admonitio in consilio dando familiaris, ut, quum patrono malo, quum vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet, simulac domum redisset: *Perdam*, inquit, *vocem, si id fecero. — Melius est*, inquit, *quam reum.*

Bellum etiam est, quum, quid cuique sit consentaneum, dicitur: ut, quum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiae, quum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, *Vide*, inquit, *Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.*

Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter exspectationem; cuius innumerabilia sunt exempla, vel Appii maioris illius, qui in senatu, quum

Vt, quum patrono malo, quum vocem in dicendo obtudisset) Melius, ut opinor, scripseris: *qui vocem in dicendo obtudisset.*

* *Reo Bestiae*) « C. Mamilius, ut scribit Sallustius, trib. pl. rogationem ad populum promulgavit, quam et pertulit, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos, quique perfugas tradidissent, item, qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent; qua lege tres quaesitores creati asperre eam quaestionem exercuerunt, L.que Calpurnium Bestiam, virum consularem, qui bello Iugurthino ex consulatu Numidiam provinciam sortitus erat, condemnarunt, aliosque aliquot consulares. M. autem Aemilius Scaurus eo bello legatus Bestiae fuerat, et in periculo tum ei aderat. At C. Memmius, qui ante trib. pl. fuerat, ac nobilitati infestissimus erat, Bestiam accusabat. — » TVRNEB.

* *Praeter exspectationem*) Lepidus est in eo genere iocus ille Tullii in eius vita relatus a Plutarcho. Victo Pompeio, quum Nonius spe esse bona iuberet tamen, aquilas enim in castris Pompeii septem superesse: Recte tu istuc quidem, inquit, si cum Graeculis bellum gereremus. PAVST.

* *Appii maioris*) Appius Claudius Pulcher quaestor provinciae fuit anno V. C. 638, ante Christum 116, maior est appellatus, ut discerneretur ab Appio Claudio iuniore, qui pater fuit Clodii illius Ciceronis inimici. ID.

ageretur de agris publicis, et de lege Thoria, et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent, *Non est*, inquit, *Lucilii pecus illud; erratis* (defendere Lucilium videbatur); *ego liberum puto esse; qua lubet, pascitur.* Placet etiam mihi illud Scipionis, illius, qui Ti. Gracchum perculit. Quum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mucium iudicem tulisset: *Eiero*, inquit; *iniquus est.* Quum esset admurmuratum: *Ah*, inquit, *P. C. non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus.* Ab hoc vero Crasso

* *Lege Thoria*) Haec lex a Sp. Thorio trib. pl. a. V. 646 lata, cuius fragmenta quaedam edidit Sigonius de antiquo iure Italiae lib. II, cap. 2; partim agros publicos vectigali levaverat, Cic. Brut. cap. 36; partim, ut ex ipsis illis fragmentis intelligitur, quaedam de pascuis caverat, vetueratque, ne agri publici a pecudibus privatorum depascerentur.

Lucilius) Nihil opus est cum Pighio *Luculli* nomen reponere. Quidni enim h. l. Lucilius satirarum scriptor significari possit? Nam si Cicero de alio quodam loquutus esset, praenomen saltem addidisset. *Luculli* tamen nomen praeferunt MSS. Harl. 1, et Mag. it. ed. Melanchth. et codex quidam a Pighio ad a. V.C. 638 laudatus.

* *Eiero*, inquit; *iniquus est*) Reiicio, inquit, iudicem iniquum. Nam eierare est tanquam iureiurando testari, se recusare. Quum autem Nasica eierasset iniquum Scaevolam, sequuta est admurmuratio omnium, propter eximiam de Scaevola aequitatis et probitatis opinionem. Praeter exspectationem tamen rursus eum omnibus Nasica iniquum eieravit, quod in consulatu causam publicam deseruisset, nec eam armis adversus Tiberium Gracchum defendisset, patribusque eius opem implorantibus negasset se quidquam vi esse acturum. TURNEB.

* *Ah, inquit, P. C., non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus*) Hoc dictum Turnebus ita accepit, quod, etsi omnium civium eximia esset de Scaevolae aequitate et probitate opinio, illum tamen propterea Scipio Nasica eierasset, quod in consulatu causam publicam deseruisset, nec eam adversus Tib. Gracchum defendisset, patribusque eius opem implorantibus negasset, se quidquam vi acturum. Quid autem, si *omnibus iniquus iudex* h. l. significet iudicem severissimum, nihil cuiquam condonantem, ideoque omnibus, reis scilicet, iniquum et parum optabilem?

* *Verum omnibus*) Nutabat Nasica intempestivam Scaevolae lenitatem, qua quum excipere mitius vellet Gracchum, toti reip. iniquus erat. Tib. Gracchus corrupta largitionibus plebe perniciem senatui moliebatur, Mucius consul, cunctis censentibus, ut armis rempublicam tueretur, negavit se quidquam vi acturum. Tum Scipio Nasica, Quoniam, inquit, consul, dum iuris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus romanum imperium corruat; ego.met

nihil facetius. Quum laesisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset: *Potest fieri*, inquit, *Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit.* Annuit Silus. *Potest etiam, ut tu non recte intellexeris.* Id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret. *Potest etiam fieri*, inquit, *ut omnino, quod te audisse dicis, nunquam audieris.* Hoc ita praeter exspectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret. Huius generis est plenus Novius, et iocus est familiaris: *Sapiens si algebis, tremes;* et alia permulta.

71. Saepe etiam facete concedas adversario id ipsum, quod tibi ille detrahit: ut C. Laelius, quum ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis maioribus: *At hercule*, inquit, *tu tuis dignus.* Saepe etiam sententiose ridicula dicuntur; ut M. Cincius, quo die legem de donis et muneribus tulit, quum C. Cento prodiisset, et satis contumeliose, *Quid fers, Cinciole?* quaesisset: *Vt emas*, inquit, *Cai, si uti velis.*

privatus voluntati vestrae me ducem offero. Animatis hac voce bonis civibus, Gracchum oppressit anno V. C. 621, ante Christum 133 (Valer. Maxim. lib. III, cap. 2). Pᴀᴠsᴛ.

Et iocus est familiaris) Guelf. B, C, *est locus, est familiaris.* Turnebus legendum putabat: *est iocus, est familia, sapiens si algebis, tremes.* Lambinus malebat, *est locus, est familia.* Mihi tamen verum videtur: *et iocus est familiaris; sapiens si algebis, tremes*; ut Cicero significet, iocosum hoc dictum: *Sapiens si algebis, tremes*, a Novio inventum, post, ut saepe fit, in iocum familiarem abiisse.

* *De donis et muneribus*) Caius Cincius, vir aetatis Lucilianae, ut Macrobius scribit, legem tulit Muneralem, qua cavebatur, ne quis ob causam orandam munus aut donum caperet. De ea loquitur Plautus, quum scribit: *Neque Muneralem legem, neque Lenoniam, rogata necne fuerit, flocci aestumo.* Eam legem admodum senex suasit Fabius Maximus. Verba huius legis quaestionem attulerunt, quid donum a munere differat. Labeo genus esse donum ait a donando dictum, speciem munus. Nam munus esse donum cum causa, ut puta natalitium, nuptiarum: et quale patronorum fuerit honorarium. Tᴜʀɴᴇʙ.

* *Quid fers, Cinciole*) Contumelia inest in diminutione, et contemptio, quam etiam voce adiuverat. Iᴅ.

* *Vt emas, Cai*) Ducta est haec sententia ab iis, qui quum nolunt viciuis commodare vasa utenda, respondent, Eme si uti vis: quam ad

Saepe etiam salse, quae fieri non possunt, optantur: ut M. Lepidus, quum, ceteris se in campo exercentibus, in herba ipse recubuisset: *Vellem hoc esset*, inquit, *laborare*.

Salsum est etiam, quaerentibus et quasi percontantibus lente respondere, quod nolent: ut censor Lepidus, quum M. Antistio Pyrgensi equum ademisset, amicique quum vociferarentur, et quaererent, quid ille patri suo responderet, cur ademptum sibi equum diceret, quum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset: *Me istorum*, inquit, *nihil credere*.

Colliguntur a Graecis alia nonnulla, exsecrationes, admirationes, minationes. Sed haec ipsa mihi videor multa in genera descripsisse. Nam illa, quae verbi ratione et vi continentur, certa fere ac definita sunt:

dona et munera patrociniorum, quibus ditatus erat Cento, traduxit Cincius: illius perstringens operam venalem. Sese enim ait laturum, ne quis ei quid donet. Id.

Vt emas) scil. nec *exspectes*, *donec tibi candidatus suffragiorum causa munera ferat*.

Nolent) Haud scio an legendum sit *nolint*.

* *Pyrgensi*) Pyrgi, quam romanam coloniam facit Livius, Tusciae urbs est, quam coniicit Albertus nunc dici *S. Marinello*. Pavst.

Amicique quum vociferarentur) Malim particulam *quum*, haud satis commode hic repetitam, cum Lambino delere.

* *Me istorum*) Id est, dicat patri suo, me non credere ipsum talem esse, qualem praedicatis, scilicet parcissimum, modestissimum, frugalissimum. Ernest.

* *Execrationes*) Execrationes, ut, *Abi quo lubet. Iupiter te Diique perdant.* Plautus in Aulularia. Admirationes, ut, *Iupiter supreme, serva, me, measque auges opes, Maximas opimitates, opiparasque offers mihi: Laudem, lucrum, ludum, iocum, festivitatem, ferias, Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium.* Plautus in Captivis Act. IV, Scen. 1. Minationes, quarum lepidum exemplum eiusdem comoediae scena consequente Plautus idem subministrat: *Meus est ballista pugnus, cubitus catapulta est mihi, Humerus aries; tum genu ad quemque iecero, ad terram dabo. Dentilegos omnes mortales faciam, quemque offendero.* Haec et similia, quae in mimis plurima occurrunt, quum de levissimis plerumque fiant causis, risu excipiantur. Pavst.

Multa in genera) Sic Guelf. A, probante Heusingero ad Cic. Off. I, 6, 4. Vulg. *nimis multa*.

quae plerumque, ut ante dixi, laudari magis, quam rideri solent. Haec autem, quae sunt in re, et in ipsa sententia, partibus sunt innumerabilia, generibus pauca. Exspectationibus enim decipiendis, et naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis, et similitudine turpioris, et dissimulatione, et subabsurda dicendo, et stulta reprehendendo, risus moventur. Itaque induendus est is, qui iocose vult dicere, quasi natura quadam apta ad haec genera, et moribus, ut ad cuiusque modi genus ridiculi vultus etiam accommodetur: qui quidem quo severior est, et tristior, ut in te, Crasse, hoc illa, quae dicuntur, salsiora videri solent.

72. Sed iam tu, Antoni, qui in hoc deversorio ser-

* *Et naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis*) Librarii incuria omissa Guelf. A verba *irridendis, ipsorum ridicule.* Ceterum de sensu recte Pearcius: « subintelligitur, inquit, *naturis*, et sensus est, quum simulemus, nos aut submorosos esse, aut stultos etc. quorum habes exempla cap. 68, 69. *Ipsorum* autem significat *suorum* vel *nostrorum.* Sic in Bruto c. 49: *quid enim est superioris aetatis, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur, nec aliorum, nec ipsorum?* Quintil. lib. XI, c. 1: *Nam ipsos, ut Demosthenes ait, erubescere etiam, quum ab aliis laudabimur, decet.* Nihil igitur opus est ea coniectura, quam protulit Lambinus: *suis ipsorum ridicule indicandis.* Immo Quintil. luculente hanc explicationem confirmat, lib. VI, c. 3, ubi ad hunc locum spectans iisdem fere verbis utitur: *Aut ex aliis*, inquit, *risum petimus, aut ex nobis, aut ex rebus mediis. Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut elevamus, aut repercutimus, aut eludimus. Nostra ridicula indicamus, et, ut Ciceronis verbo utar, dicimus aliqua subabsurda.* In his verbis si Quintilianum hoc modo corrigas: *nostra ridicule indicamus*; iisdem verbis utrique utentur, et mutuam sibi operam praestabunt.

Similitudine turpioris) Guelf. A, C, *similitudine turpiore.*

* *Itaque induendus est is, qui iocose vult dicere, quasi natura quadam apta ad haec genera*) Dedi *induendus* pro vulg. *imbuendus.* Nam ut dicitur *personam induere*, sic hoc loco *induendus est natura*, scil. quae non est iocantis propria, sed simulata.

Qui in hoc diversorio) Vulg. abest *in*, quod inserui, quia sic est supra c. 57 fin. nec ad sensum abesse potest.

* *Hoc deversorio sermonis*) Qua sermonem absolverat Antonius metaphora cap. 57: *defessus iam labore atque itinere disputationis, requiescam in Caesaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio*, eadem desinit hic Caesar; ac vereri se dicit, ne

monis mei libenter acquieturum te esse dixisti, tanquam in Pomptinum deverteris, neque amoenum, neque salubrem locum, censeo ut satis diu te putes requiesse, et iter reliquum conficere pergas.

Ego vero, atque hilare quidem a te acceptus, inquit, et quum doctior per te, tum etiam audacior factus sum ad iocandum. Non enim vereor, ne quis me in isto genere leviorem iam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, et Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protulisti. Sed habetis ea, quae voluistis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum et cogitandum fuit. Nam cetera faciliora sunt, atque ex iis, quae iam dicta sunt, reliqua nascuntur omnia. Ego enim quum ad causam sum aggressus, atque omnia cogitando, quoad facere potui, persequutus; quum et argumenta causae, et eos locos, quibus animi iudicum concilientur, et illos, quibus permoventur, vidi atque cognovi: tum constituo, quid habeat quaeque causa boni, quid mali. Nulla enim fere res potest in dicendi disceptationem aut controversiam vocari, quae non habeat utrumque; sed, quantum habeat, id refert. Mea autem ratio in dicendo haec esse solet, ut, boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem; ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream: a malo autem vitioque causae ita recedam, non ut id me defugere appareat, sed ut totum, bono illo ornando et augendo dissimulatum, obruatur. Et, si causa est in argumentis,

sit inamoenum hoc sermonis sui deversorium, sed potius simile Pontinarum paludum, iniucundarum, ac minime salubrium. PAVST.

* *Pontinum*) In Volscorum finibus sunt Pontinae paludes Campaniam versus. Hodie dicuntur *Aufente palude.* Est et Pontinus ager. In.

Atque ex iis, quae iam dicta sunt) Guelf. A, *atque ex his, quae dicta sunt.*

Defugere) Sine causa hoc verbum hic ineptum esse iudicat Ernesti. Est enim *defugere* callide se rei cuidam aut negotio subtrahere.

* *Dissimulatum obruatur*) Guelf.

firmissima quaeque maxime tueor, sive plura sunt, sive aliquod unum; sin autem in conciliatione, aut in permotione causa est, ad eam me potissimum partem, quae maxime commovere animos hominum potest, confero. Summa denique huius generis haec est, ut, si in refellendo adversario firmior esse oratio, quam in confirmandis nostris rebus, potest, omnia in illum conferam tela; sin nostra facilius probari, quam illa redargui possunt, abducere animos a contraria defensione, et ad nostram conor traducere. Duo denique illa, quae facillima videntur, quoniam quae difficiliora sunt, non possum, mihi pro meo iure sumo. Unum, ut molesto aut difficili argumento aut loco nonnunquam omnino nihil respondeam. Quod forsitan aliquis

B, C, *dissimulatum ante obruatur.* Iterum frustra haesit Ernesti in v. *dissimulatum.* Antonius enim dicit, se a malo vitioque causae sic recedere, non, ut id se defugere et callide evitare appareat, sed potius, ut totum bono illo, in quo haereat et commoretur, ornando et augendo obruatur dissimulatum, h. e. ita silentio praeteritum, quasi id malum, quod causam suam premat, ipse orator non senserit.

* *In conciliatione*) Ad obtinendam Ligarii causam reo conciliandus erat Caesar; hoc ita mirifice praestitit Cicero, ut scriptam in Ligarium sententiam de manibus Caesaris dicendi vi ac suavitate extorserit orator. Pryst.

* *In permotione*) In quo genere praecipua pars orationis pro Milone versatur. Quam eloquenter, maxime in peroratione, commovet iudicum animos! Id.

* *Si in refellendo adversario*) Ita Tullius in Miloniana probat struxisse potius insidias Clodium Miloni, quam Milonem Clodio. In Ligariana in Tuberonem accusatorem eiusdem, aut etiam gravioris culpae invidiam derivat, cuius reum peragebat Ligarium. Id.

* *Sin nostra facilius probari*) Clodianorum argumenta non poterat facile dissolvere Tullius Milonis patronus; ab iis auditoris animum avocat: et in his potissimum duobos immoratur, in rep. semper licuisse pestiferum civem de medio tollere, et Clodium insidias Miloni fecisse. Id.

Conor traducere) Guelf. A, *conor deducere.* B, *cogor traducere.* Pearcius post Lambinum, quia antea sit *conferam*, hic quoque coniunctivum ponendum esse *coner traducere*, arbitratur. Recte, si Cicero hoc membrum a priore suspendere voluerit. Fieri tamen potest, ut in altero membro novam constructionem inchoaverit, quod est gratae scilicet negligentiae.

iure irriserit. Quis enim est, qui id facere non possit? Sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate disputo, confiteorque me, si quae premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar; sed adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam, et pugnae similem fugam: consistere vero in meo praesidio sic, ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse videar. Alterum est illud, quod ego oratori maxime cavendum, et providendum puto, quodque me sollicitare summe solet; non tam ut prosim causis, elaborare soleo, quam ut ne quid obsim: non quin enitendum sit in utroque; sed tamen multo est turpius oratori, nocuisse videri causae, quam non profuisse.

73. Sed quid hoc loco vos inter vos, Catule? an haec, ut sunt contemnenda, contemnitis?

Minime, inquit ille: sed Caesar de isto ipso quiddam velle dicere videbatur.

Me vero lubente, inquit Antonius, dixerit, sive refellendi causa, sive quaerendi.

Tum Iulius, Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui, qui de te oratore sic praedicarem, unum te in dicendo mihi videri tectissimum, propriumque hoc esse laudis tuae, nihil a te unquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. Idque memoria teneo, quum mihi sermo cum hoc ipso Crasso, multis audientibus, esset

* *Sed ne reiecto quidem scuto*) Ad consuetudinem spectat eorum, qui in praelio fugientes clypeos suos in tergum reducebant, ne aversi vulnerarentur; neque enim solum clypeum abiicere, sed in tergum reiicere, imbecillitatis fuit. Frequentissime apud Homerum hic mos contumelia notatur. Pearc.

In dicendo) Haud scio an Cicero potius scripserit, *in cedendo*, quod ad continuandam in hac allegoria similitudinem aptius videtur.

Tectissimum) Tectus dicitur Antonius, quia nunquam obfuit ei, pro quo dixit. Sic lib. III, c. 9 genus dicendi Antonii fuit *praemunitum et ex omni parte septum*.

de te institutus, Crassusque plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixisse me, cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam, quod non solum quod opus esset, diceres, sed etiam, quod non opus esset, non diceres. Tum illum mihi respondere memini, cetera in te summe esse laudanda; illud vero improbi esse hominis, et perfidiosi, dicere quod alienum esset, et nocere ei, pro quo quisque diceret. Quare non sibi eum disertum, qui id non faceret, videri, sed improbum, qui faceret. Nunc, si tibi videtur, Antoni, demonstres velim, quare tu hoc ita magnum putes, nihil in causa mali facere, ut nihil tibi in oratore maius esse videatur.

74. Dicam equidem, Caesar, inquit, quid intelligam: sed et tu, et vos omnes hoc, inquit, mementote, non me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed de exercitationis et consuetudinis meae mediocritate. Crassi quidem responsum excellentis cuiusdam est ingenii ac singularis; cui quiddam portenti simile esse visum est, posse aliquem inveniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obessetque ei, quem defenderet; facit enim de se coniecturam; cuius tanta vis ingenii est, ut neminem, nisi consulto, putet quod contra seipsum sit dicere. Sed ego non de praestanti quadam et eximia, sed prope de vulgari et communi prudentia

* *Quod non opus esset*) Vulgaris in speciem, at revera magna laus: ——*Dicenda tacendaque calles.* (Pers. Sat. IV.) Pruſt.

Pro quo quisque) Guelf. B, C, *pro quo quis*. Sed bene monet Heusingerus, eleganter, quando de persona incerta sermo sit, pronomen *quisque* vicem sustinere pronominis *ipse* vel *ille*, ut saepius apud Cic.

Vos omnes hoc) Guelf. B abest *hoc*.

Cuius tanta vis ingenii) Guelf. A, *cui tanta vis ingenii*.

· *De vulgari et communi prudentia disputo. Ita apud Graecos*) Guelf. A: *et communi lingua disputata apud*. Vulg. *de vulgari et communi prudentia disputo. Vt apud Graecos*. Pearclus delevit *ut*, in quatuor MSS. non repertum; otiosam scil. particulam esse putans. Quod recte negavit Ernesti; (comparatur enim Themistocles cum Crasso); et verba *sed ego*—

disputo. Ita apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themistocles; ad quem quidam doctus homo atque in primis eruditus accessisse dicitur, eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus esse se traditurum; quum ille quaesisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset; et ei Themistoclem respondisse, gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci, quae vellet, quam si meminisse, docuisset. Videsne, quae vis in homine acerrimi ingenii, quam potens et quanta mens fuerit? qui ita responderit, ut intelligere possemus, nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, unquam effluere potuisse: quum quidem ei fuerit optabilius, oblivisci posse potius, quod meminisse nollet, quam quod semel audisset vidissetve, meminisse. Sed neque propter hoc Themistoclis responsum, memoriae nobis opera danda non est, neque illa mea cautio et timiditas in causis, propter praestantem prudentiam Crassi, negligenda est. Vterque enim istorum non mihi attulit aliquam, sed suam significavit facultatem. Etenim permulta sunt in causis, in omni parte orationis circumspicienda, ne quid offendas, ne quo irruas. Saepe aliquis testis aut non laedit, aut minus laedit, nisi lacessatur; orat reus, urgent advocati, ut invehamur, ut maledicamus, denique ut interrogemus. Non moveor, non obtempero, non satisfacio, neque tamen ullam assequor laudem. Homines enim imperiti facilius, quod stulte dixeris, reprehendere, quam, quod sapienter tacueris,

disputo parentheseos signis inclusit. Nobis tamen *Ita apud Graecos*, quod est in MS. Erl. aptissimum hic videtur.

Pollicitus esse) Guelf. A, B, C, *pollicitum esse*, ut vulg. Bene autem, grammatica ratione sic postulante, Manutius, Lambinus, Ernesti correxerunt *pollicitus*.

Se traditurum) Guelf. A abest *se*.

laudare possunt. Hic quantum sit mali, si iratum, si non stultum, si non levem testem laeseris! habet enim et voluntatem nocendi in iracundia, et vim in ingenio, et pondus in vita; nec, si hoc Crassus non committit, ideo non multi, et saepe committunt. Quo quidem mihi videri turpius nihil solet, quam quum ex oratoris dicto aliquo, aut responso, aut rogatu, sermo ille sequitur: *Occidit ille. — Adversariumne? — Immo vero, aiunt, se, et eum, quem defendit.* Hoc Crassus non putat nisi perfidia accidere posse: ego autem saepissime video in causis aliquid mali facere homines minime malos.

75. Quid? illud, quod supra dixi, solere me cedere, et, ut planius dicam, fugere ea, quae valde causam meam premerent? quum id non faciunt alii, versanturque in hostium castris, ac sua praesidia dimittunt: mediocriterne causis nocent? quum aut adversariorum adiumenta confirmant, aut ea, quae sanare nequeunt exulcerant? Quid? quum personarum, quas defendunt, rationem non habent; si, quae sunt in his invidiosa, non mitigant extenuando, sed laudando et efferendo invidiosiora faciunt: quantum est in eo tandem mali? Quid? si in homines caros, iudicibusque iucundos, sine ulla praemunitione orationis acerbius et contumeliosius invehare: nonne abs te iudices abalienes? Quid?

Occidit ille) Guelf. A, B, C omittunt *ille*; rectius fortasse. Nam statim praecedit *ille*, ut insuaviter hic repetatur; et ad brevitatem dicti melius abest. Si tamen est a Cicerone, *ille* h. l. ut saepe pro personae incertae nomine proprio ponitur, *il tale o la tale.*

Immo vero, aiunt) Hoc *aiunt* ex glossa fluxisse suspicor. Nam, qui hic respondet, ipse iudicabat, imprudentem oratorem se et eum, quem defenderat, occidisse, non ab eo, quod alii de ea re dicerent, pendebat.

Dimittunt) Pulchre pro *omittunt.* Comparavit Heusingerus Cic. pro Planc. c. 39 extr.

Quae sanare nequeunt) Guelf. B, C, *quae sanari nequeunt.*

Quantum est in eo tandem mali) Sic edit. Omnib. Vulg. omittitur *est.*

si quae vitia, aut incommoda sunt in aliquo iudice uno aut pluribus, ea tu, in adversariis exprobrando, non intelligas, te in iudices invehi: mediocre peccatum est? Quid? si, quum pro altero dicas, litem tuam facias, aut laesus efferare iracundia, causam relinquas: nihilne noceas? In quo ego, non quo libenter male audiam, sed quia causam non libenter relinquo, nimium patiens et lentus existimor: ut, quum te ipsum, Sulpici, obiurgabam, quod ministratorem* peteres, non adversarium. Ex quo etiam illud assequor, ut, si quis mihi maledicat, petulans, aut plane insanus esse videatur. In ipsis autem argumentis si quid posueris aut aperte falsum, aut ei, quod dixeris, dicturusve sis, contrarium, aut genere ipso remotum ab usu iudiciorum ac foro: nihilne noceas? Quid multa? omnis cura mea solet in hoc versari semper (dicam enim saepius), si possim, ut boni aliquid efficiam dicendo; sin id minus, ut certe ne quid mali.

76. Itaque nunc illuc redeo, Catule, in quo tu me paulo antea laudabas, ad ordinem collocationemque rerum ac locorum. Cuius ratio est duplex: altera, quam affert natura causarum; altera, quae oratorum iudicio et prudentia comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut concludamus, atque ita peroremus: hoc dicendi generis natura ipsa praescribit. Vt vero statuamus, ea, quae probandi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus:

* *Ministratorem*) Ministrator is fuit, qui in causis advocato sive patrono soleret subiicere ea, quae pro reo dicenda essent. Sic in Orat. pro Flacco cap. 22: *Hic mihi Macandrius, quasi* ministrator etc. PEARC.

Hoc dicendi generis natura) Vulg. *hoc dicendi genus natura.* Guelf. A. *hoc dicendi natura.*

id est vel maxime proprium oratoris prudentiae. Multa enim occurrunt argumenta; multa, quae in dicendo profutura videantur. Sed eorum partim ita levia sunt, ut contemnenda sint: partim, etiam si quid habent adiumenti, sunt nonnunquam eiusmodi, ut insit in iis aliquid vitii, neque tanti sit illud, quod prodesse videatur, ut cum aliquo malo coniungatur. Quae autem sunt utilia, atque firma, si ea tamen (ut saepe fit) valde multa sunt: ea, quae ex iis aut levissima sunt, aut aliis gravioribus consimilia, secerni arbitror oportere, atque ex oratione removeri. Equidem quum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quam expendere.

77. Et quoniam (quod saepe iam dixi) tribus rebus homines ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permovendo, una ex omnibus his rebus res prae nobis est ferenda, ut nihil

* *Proprium oratoris prudentia*) Quintilian. lib. VII praefatione: *Vt opera exstruentibus satis non est saxa atque materiam, et caetera aedificanti utilia congerere, nisi disponendis iis collocandisque artificum manus adhibeatur: sic in dicendo quamlibet abundans rerum copia, cumulum tantum habeat atque congestum; nisi illas easdem dispositio in ordinem digestas, atque inter se commissas devinxerit.*

* *Multa enim occurrunt argumenta*) De usu ac dispositione argumentorum recte Quintilianus lib. V, cap. 12: *Firmissimis argumentorum, singulis instandum, infirmiora congreganda sunt: quia illa per se fortia non oportet circumstantibus obscurare, ut qualia sunt appareant: haec imbecilla naturâ mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere, quia magna sunt, valebunt, quia multa sunt: quae ad eiusdem rei probationem omnia spectant: ut si quis hereditatis gratia hominem occidisse dicatur. Hereditatem sperabas, et magnam hereditatem, et pauper eras, et tum maxime a creditoribus appellabaris, et offenderas eum, cuius heres eras, et mutaturum tabulas sciebas. Singula levia sunt et communia: universa vero nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine.* PRVST.

Multa, quae in dicendo profutura videantur) MS. Mag. teste Pearcio delet *multa*; et sane commodius abfuerit, ut uno tenore legas: *multa enim occurrunt argumenta, quae in dicendo profutura videantur.*

Quae autem sunt utilia) Guelf. A, *quae autem utilia sunt*, melius fortasse.

* *Res prae nobis*) Recte profitetur orator velle se auditores docere. *An-*

aliud, nisi docere velle videamur: reliquae duae, siculi sanguis in corporibus, sic illae in perpetuis orationibus fusae esse debebunt. Nam et principia et ceterae partes orationis, de quibus paulo post pauca dicemus, habere hanc vim magnopere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agetur, movendas permanare possint. Sed his partibus orationis, quae etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen et commovendo proficiunt plurimum, quamquam maxime proprius est locus et in exordiendo, et in perorando; degredi tamen ab eo, quod proposueris atque agas, permovendorum animorum causa, saepe utile est. Itaque vel narratione exposita, saepe datur ad commovendos animos degrediendi locus; vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, si habet eam causa dignitatem atque copiam, ut recte id

madverti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes ..... Itaque mihi certum est hanc eandem distributionem invidiae et criminum, sic in defensione servare, ut omnes intelligant nihil me nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo. Cic. pro Cluentio c. 1. At nemo nisi inepte dixerit, Nunc mihi vestra severitas, iudices, excitanda est, nunc mihi conciliandi sunt vestri animi. Pryst.

* *Digredi tamen*) Vbi rem atrocem narraveris, aut argumentis confirmaveris, digredi, et eam amplificare iuverit. Exempla subministrat una Ciceronis oratio pro Roscio Amerino. Post narrationem digreditur: *Quid primum querar? aut unde potissimum, iudices, exordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam?* etc. Post refutationem iterum ad exaggerandum parricidarum supplicium divertit: *O singularem sapientiam, iudices! nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse, et eripuisse, qui repente coelum, solem, aquam, terramque ademerunt* etc. Rursus ubi caedis crimen in adversarios probavit magis convenire, invehitur in Chrysogonum: *Hicne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? o rem miseram atque acerbam!* etc. Tandem in peroratione mirabiles animorum motus excitat. *Ex Strebaeo.* Id.

Vtroque loco) Guelf. B omittitur *loco.*

Vt recte id fieri possit) Olim vulgo: *recte id fieri potest*; Lambinus autem vidit, in verbis *si habet eam causa dignitatem atque copiam* pronomen *eam* necessario requirere, ut sequatur *ut — possit.*

fieri possit : eaeque causae sunt ad agendum, et ad ornandum gravissimae atque plenissimae, quae plurimos exitus dant ad eiusmodi degressionem, ut his locis uti liceat, quibus animorum impetus eorum, qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur. Atque etiam in illo reprehendo eos, qui, quae minime firma sunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui, si quando (id quod mihi nunquam placuit) plures adhibent patronos, ut in quoque eorum minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur : cui si initio satisfactum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum. Male enim se res habet, quae non statim, ut dici coepta est, melior fieri videtur. Ergo ut in oratoribus optimus quisque, sic et in oratione, firmissimum quodque sit primum ; dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quae excellent, serventur etiam ad perorandum ; si quae erunt mediocria (nam vitiosis nusquam oportet esse locum), in mediam turbam atque in gregem coniiciantur. Hisce omnibus rebus consideratis, tum

Ad agendum) Hanc lectionem Ernesti adversus Pearcium, qui reposuit *ad augendum*, argumentis, ut opinor, non satis idoneis defendit. Ait enim, *gravissimae* referri ad *agendum*, *plenissimae* ad *ornandum*, quasi vocabulum *gravissimae* non item bene ad *augendum* possit referri. E locis a Pearcio pro correctione sua laudatis maximam vim habet lib. II, c. 19: *alii iubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa digredi.*

Et ad ornandum) Guelf. A, *et ad orandum.*

Qui audiunt) Sic Guelf. A, B, C.

* *Ea prima collocant*) *Quaesitum etiam*, inquit Fabius lib. V, cap. 12, *potentissima argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos; an summo, ut inde dimittant; an partita primo summoque, ut Homerica dispositione*, Iliados IV, ubi imbecilliores Nestor in medio collocat, *in medio sint infirma, an a minimis crescant. Quae prout ratio causae cuiusque postulabit, ordinabuntur, uno, ut ego censeo, excepto, ne a potentissimis ad levissima decrescat oratio.* PRVST.

Sit in reliqua causa) Guelf. C, *reliqua causa sit.*

Vt ea, quae excellent) Guelf. A, *ut ea que excellunt.*

Nusquam esse oportet locum) Guelf. C, *nusquam esse locum oportet.*

denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, aut commune.

78. *Principia* autem dicendi semper quum accurata et acuta et instructa sententiis, apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio oratoris in principio, quod continuo eum, qui audit, permulcere atque allicere debet. In quo admirari soleo, non equidem istos, qui nullam huic rei operam dederunt, sed hominem in primis disertum atque eruditum, Philippum, qui ita solet ad dicendum surgere, ut, quod primum verbum habiturus sit, nesciat; et ait idem, quum brachium concalefecerit, tum se solere pugnare; neque attendit, eos ipsos, unde hoc simile ducat, illas primas hastas ita iactare leniter, ut et venustati vel maxime serviant, et reliquis viribus suis consulant. Neque est dubium, quin exordium dicendi vehemens et pugnax non saepe esse debeat: sed si in ipso illo gladiatorio vitae certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quae non ad vulnus, sed ad speciem valere vi-

* *Postremum soleo cogitare*) Ab Antonii sententia discrepat Quintilianus lib. III, cap. 9. Etsi enim antequam quidquam scribatur, totum causae genus quid prosit, quid noceat, accurate velit expendi, *non ideo tamen*, inquit, *eos probaverim, qui scribendum quoque prooemium novissime putant. Nam ut conferri materiam omnem oportet, et, quid quoque loco sit opus, constare debet, antequam dicere, aut scribere ordiamur: ita incipiendum ab iis quae prima sunt. Nam nec pingere quisquam aut fingere coepit a pedibus: nec denique ars ulla consummatur ibi, unde ordiendum est.* Pavst.

Vulgare aut commune) Sic Guelf. B.

* *Accurata et acuta*) Haec ita debent observari, ut ars maxime lateat; quam si adverterit auditor, iam tum ab exordio sese praemunit adversus oratorem, a quo fucum pati veretur Pavst.

Quo ferro decernitur) Guelf. B. C, *quod ferro decernitur.* Sic etiam MSS. Mag. Norf. probante Pearcio. Ernesti cur dixerit, libros hic nihil iuvare, equidem non assequor.

deantur; quanto hoc magis in oratione est spectandum, in qua non vis, potius delectatio postulatur? Nihil est denique in natura rerum omnium, quod se universum profundat, et quod totum repente evolet. Sic omnia, quae fiunt; quaeque aguntur acerrime, lenioribus principiis natura ipsa praetexuit. Haec autem in dicendo non extrinsecus alicunde quaerenda, sed ex ipsis visceribus causae sumenda sunt. Idcirco tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, considerandum est, quo principio sit utendum. Sic et facile reperientur. Sumentur enim ex iis rebus, quae erunt uberrimae vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas dixi degredi saepe oportere. Ita et momenti aliquid afferent, quum erunt paene ex intima defensione deprompta, et apparebit ea non modo non esse communia, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quae tum agatur, effloruisse.

79. Omne autem principium aut rei totius, quae agetur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam et munitionem, aut quoddam ornamentum et

In qua non vis, potius delectatio postulatur) Sic legendum esse Heusingerus vidit. Vulg. *in qua non vis potius, sed delectatio postulatur.* Pearcius auctoritate novem MSS. recepit: *in qua non vis potius quam delectatio postulatur.*

* *Lenioribus principiis*) Violentissima quaeque minime subito impetu erumpunt, sed ab initiis plerumque tenuioribus; ex scintilla magnum incendium excitatur. Vapores sursum attolluntur a sole, concrescunt in nubeculas, cogantur nubes, accenduntur, colliduntur, en tonitru: ardor emicat, en fulgur: prorumpit ignis, et obvia quaeque disiicit, en fulmen. Ferocissimis belluis nascentibus nihil mitius, paulatim immanitate efferantur etc. Prust.

Alicunde) Sic Guelf. A, B, C. At edd. vett. item MSS. Io. Nov. Cant. habent *aliunde*, quod Pearcius recepit. Quod autem is usus est loco Ep. ad Fam. V, 13: *non aliunde pendere, neque extrinsecum haasbere suspens, rationes bene maleque vivendi*, bene monuit Ernesti, hic aliam rationem esse. Ibi enim synonyma esse, diversis formis dicta, hic verba deinceps posita *extrinsecus aliunde* tautologiam facere, quum sensu differre debeant.

Quae erunt uberrimae) Guelf. B C, *quae sunt uberrimae.*

dignitatem. Sed oportet, ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia proportione rerum praeponere. Itaque in parvis atque in frequentibus causis ab ipsa re est exordiri saepe commodius. Sed quum erit utendum principio (quod plerumque erit), aut ex reo, aut ex adversario, aut ex re, aut ex iis, apud quos agetur, sententias duci licebit. Ex *reo* (reos appello, quorum res est), quae significent virum bonum, quae liberalem, quae calamitosum, quae misericordia dignum, quae valeant contra falsam criminationem; ex *adversario*, iisdem ex locis fere contraria. Ex *re*, si crudelis, si infanda, si praeter opinionem, si immerita, si misera, si ingrata, si indigna, si nova, si quae restitui sanarique non possit; ex *iis* autem, *apud quos agetur*, ut benevolos beneque existimantes efficiamus: quod agendo efficitur melius, quam rogando. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam: sed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. Nam et attentum, monent Graeci, ut principio faciamus iudicem, et docilem; quae sunt utilia, sed non principii magis propria, quam reliquarum partium; faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxime sunt, quum omnia exspectant, et

* *Vt aedibus ac templis*) Quemadmodum palatiis ac templis vestibula quae eorum magnificentiae respondeant, plebeiis autem aedibus nulla praeponuntur, ita in causis gravioribus operae pretium est adhibere exordia, quae in parvis sunt omittenda. Pavst.

Itaque in parvis atque in frequentibus causis) Sic Victor. Alii, ut Omnib. *itaque in parvis atque frequentibus causis*. Et *frequentes* causas interpretatur Strebaeus causas leviores, quae saepius occurrant. Pearcius et post eum alii ediderunt *atque infrequentibus causis*, h. e. parum frequentatis, ad quas audiendas propter levitatem pauci convenire soleant.

* *Sed non principii*) Totum illud ex Aristotele depromptum est lib. III Rhetor. cap. 14: *Attentos facere omnium orationis partium commune est. Vbivis enim relaxant animum magis, quam quum incipiunt audire. Quamobrem ridiculum est id in exordio praecipere, ut attenti tum maxime sint auditores.* Pavst.

dociles magis initiis esse possunt. Illustriora enim sunt, quae in principiis, quam quae in mediis causis dicuntur, aut arguendo, aut refellendo. Maximam autem copiam principiorum ad iudicem aut alliciendum, aut incitandum, ex iis locis trahemus, qui ad motus animorum conciendos inerunt in causa; quos tamen totos in principio explicari non oportebit, sed tantum impelli primo iudicem leviter, ut iam inclinato reliqua incumbat oratio. Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tanquam citharoedi prooemium affictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. Nam nonnulli, quum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam sibi fieri nolle videantur. Atque eiusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitum, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur, sed ut ipsis sententiis, quibus proluserunt, vel pugnare possint.

80. *Narrare* vero rem quod breviter iubent, si brevitas appellanda est, quum verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio; sin tum est brevitas, quum tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est: sed saepe obest vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem, quae narrationis est maxima, ut iucunda, et ad persuadendum accommodata sit, tollit. Vt illa:

Nam is postquam excessit ex ephebis,

quam longa est narratio! mores adolescentis ipsius, et servilis percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma,

Maximam autem copiam) Sic Guelf. A.

Trahemus) Ita Guelf. A.

Leviter) Guelf. C, *leniter*.

Aliquando id opus est) opus h. l. i. q. *utile*. Ed. Omnib. *nonnunquam id opus est*.

Nam is postquam) Terent. Andr. I, 1.

et lamentatio sororis, reliqua, pervarie iucundeque narrantur. Quod si hanc brevitatem quaesisset,

> Effertur; imus; ad sepulcrum venimus;
> In ignem posita est,

decem versiculis totum conficere potuisset. Quamquam hoc ipsum: *Effertur*, *imus*, concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati. Quod si nihil fuisset, nisi: *In ignem posita est;* tamen res tota cognosci facile potuisset. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus; et est probabilius, quod gestum esse dicas, quum, quemadmodum actum sit, exponas; et multo apertius ad intelligendum est, si consistitur aliquando, ac non ista brevitate percurritur. Apertam enim narrationem tam esse oportet, quam cetera; sed hoc magis in hac elaborandum est, quod et difficilius est, non esse obscurum

Effertur; imus) Sic Terent. Andr. I, 1, 90, non *effertur funus*, ut h. l. est in Edit. Omnib.

Ad sepulcrum venimus; in ignem imposita est) Ter. Andr. I, 1, 101, 102.

* *Decem versiculis*) Sic Guelf. A, omissis verbis *his fere*, quae vulgo praeponebantur. Et iam Lambinus *his fere*, vel, ut in aliis edd. erat, *in his fere*, delendum censuit. Mirum est, Ernestium adeo a vero h. l. sensu aberrasse, ut eum correctione sua *his fere decem verbis totum conficere potuisset*; prorsus corrumperet. Cicero nimirum hoc significat, Terentium, si hanc ubique brevitatem quaesisset, quae est in verbis: *Effertur*, *imus*, *ad sepulcrum venimus*, *in ignem posita est*, decem versiculis totam narrationem conficere potuisse, quae nunc circiter 90 versibus constat. Neque vero hi versiculi, *Effertur*, *imus* etc. quod Ernesti putabat, compendium totius narrationis dici possunt. Nihil enim hic de moribus adulescentis, nihil de Chrysidis vultu et forma refertur, sed tantum de exseqoiis agitur.

* *Quodsi nihil fuisset — facile potuisset*) Nimirum haec referuntur ad versiculos illos, *Effertur*, *imus* etc. in quibus, etsi concisa sunt singula, tamen Terentius, si unice voluisset brevitati servire, totam rem, qua de agitur, nempe funus Chrysidis, potuisset his verbis designare *in ignem posita est*.

Si consistitur aliquando) Sic legendum vidit Heusingerus. Victorius correxerat, *si sic consistitur aliquando*, idque Ernesti recepit.

Quam ceterae) Sic Guelf. B, C, ed. Camerar. Godofr. Gronov.

in re narranda, quam aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut in perorando; et maiore periculo haec pars orationis obscura est, quam ceterae; vel quia, si quo alio in loco est dictum quid obscurius, tantum id perit, quod ita dictum est: narratio obscura totam occaecat orationem: vel quod alia possis, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius; narrationis unus est in causa locus. Erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur. Sed quando utendum sit, aut non sit narratione, id est consilii. Neque enim si nota res est, nec si non dubium, quid gestum sit, narrari oportet, nec si adversarius narravit, nisi si refellemus. Ac, si quando erit narrandum, nec illa, quae suspicionem et crimen efficient, contraque nos erunt, acriter persequamur; et quidquid poterit, detrahamus: ne illud, quod Crassus, si quando fiat, perfidia, non stultitia fieri putat, ut causae noceamus, accidat. Nam ad summam totius causae pertinet, caute, an contra

Narrationis) Alii, ut Strebaeus, *narrationi.*

Conservato) Lambin. *servato.*

Nota res est, nec si non dubium) Recte Ernesti edidit *nec si non dubium* ex ed. s. l. et a. Lips. al. Videndum tamen, an melius fuisset cum Lambino edere, *nec dubium.* Nam quum nota res est gesta, tum non dubium est, quid gestum sit, ideoque hoc unum idemque est. Itaque si legatur: *neque enim si nota res est nec dubium quid gestum est narrari oportet*, unum hoc praeceptum est omittendae narrationis, quum ea nihil opus sit: sin legatur *nec si non dubium*, fiunt duo praecepta de eadem re.

Narrari oportet) Guelf. A, B, *narrare oportet.*

Nec si adversarius narravit) Lambin. *nec si adversarius iam narravit.*

* *Caute, an contra*) Est hoc Rhetorum prudens omnino de narratione praeceptum. Si tota sit pro nobis, acriter praecipuis quibusque partibus instandum erit, ut iudex bonitatem causae facilius intelligat, meminerit, credat: si tota sit pro adversariis, quaedam verbis elevanda sunt, luxuria hilaritatis, avaritia parsimoniae, negligentia simplicitatis nomine lenietur. Effugienda praeterea est omnis calliditatis suspicio: nunquam enim diffidit magis iudex, quam quum praesentit dici aliquid fictum. Itaque det operam orator, ut omnia potius a causa, quam ab oratore profecta credantur. Quod si minime fuerit verisimilis nostra narratio, fatendum

demonstrata res sit; quod omnis orationis reliquae fons est narratio.

81. Sequitur, ut *causa* ponatur: in quo videndum est, quid in controversiam veniat. Tum suggerenda sunt *firmamenta* causae coniuncte, et infirmandis contrariis, et tuis confirmandis. Namque una in causis ratio quaedam est eius orationis, quae ad probandam argumentationem valet. Ea autem et confirmationem et reprehensionem quaerit: sed quia neque reprehendi, quae contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque haec confirmari, nisi illa reprehendas, idcirco haec et natura et utilitate et tractatione coniuncta sunt. Omnia autem *concludenda* plerumque rebus augendis, vel inflammando iudice, vel mitigando; omniaque quum superioribus orationis locis, tum maxime extremo ad mentes iudicum quam maxime permovendas, et ad utilitatem nostram vocandas, conferenda sunt.

82. Neque sane iam causa videtur esse, cur secernamus ea praecepta, quae de *suasionibus* tradenda sunt, aut *laudationibus*. Sunt enim pleraque communia; sed tamen suadere aliquid, aut dissuadere gravissimae mihi videtur esse personae. Nam et sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus; et honesti, et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit. Atque haec in senatu minore appa-

est vix credibile id esse, sed tamen verum, et eo maius habendum crimen: nescire nos quomodo factum sit, aut quare, mirari, sed probaturos. Denique tum optime dicit orator, quum videtur vera dicere. Consule Quintil. lib. IV, cap. 2. Prust.

* *Demonstrata*) i. e. *narrata*; ut lib. I, c. 31, *rem demonstrandam*, de narratione.

Nam et sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus; et honesti, et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit) Nisi transponenda censeas verba priora sic: *nam consilium explicare suum de maximis rebus, et sapientis est, et honesti, et diserti*, certe in verbis *consilium explicare suum de maximis rebus* subiectum est

ratu agenda sunt; sapiens enim est consilium; multisque aliis dicendi relinquendus locus. Vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio. Concio capit omnem vim oratoris, et gravitatem, varietatemque desiderat. Ergo in suadendo nihil est optabilius, quam dignitas. Nam qui utilitatem putat, non, quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur, videt. Nemo est enim, praesertim in tam clara civitate, quin putet expetendam maxime dignitatem: sed vincit utilitas plerumque, quum subest ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri. Controversia autem inter hominum sententias, aut in illo est, utrum sit utilius: aut etiam, quum id convenit, certatur, utrum honestati

totius enuntiationis; ita ut deinde *mente providere* ad *sapientem*, *auctoritate probare* ad *honestum*, *oratione persuadere* ad *disertum* referatur.

Sapiens enim est consilium) Haec Ernesti insititia putabat, sine causa. Nam duo sunt, quae faciant, ut in suasoriis coram senatu habitis minore apparatu opus sit: primum, quod sapiens est consilium, et sapientibus viris utilitatem rei paucis demonstrasse sufficit; alterum, quod multis aliis dicendi relinquendus est locus, ideoque brevis esse debet oratio. Idem fere Quintil. XI, 1 sic enuntiat, aliud gravitatem senatoriam, aliud auram popularem postulare.

Dicendi relinquendus locus) Guelf. C, *dicendi relinquendus est locus*.

Vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio) Ita Manutius et Lambinus optime rescripserunt: eamque lectionem Pearcius complurium MSS. auctoritate firmavit, insuperque similibus hisce Quintiliani locis illustravit. Inst. Or. III, 1: *In ceteris admiscere tentavimus aliquid nitoris non iactandi ingenii gratia.* XI, 1: *Inprimis igitur omnis sui vitiosa iactatio est, eloquentiae tamen in oratore praecipue.* Adde ad Herenn. II, 30.

* *Ergo in suadendo nihil est optabilius, quam dignitas*) Non intelligitur oratoris dignitas, sed dignitas in rep. servanda, ad quam suasor populum in concione impellit.

* *Nam qui utilitatem putat*) Recte hoc Ernesti de rhetoris opinione intelligendum esse monuit.

* *Non quid maxime*) Qui putat melius esse utilitati servire, is non attendit, quid iis faciendum sit, qui suadent universe (ii enim quae sunt honestissima velle ac suadere debent) sed tantum spectat quid interdum aliquis ex ipsis faciat. Contingit enim aliquando, ut is qui suadet, utilitatem spectet in suadendo, sed est tamen verum dignitatem praecipue ac vulgo spectandam esse. Ceterum ab hac sententia discedit Tullius in Partitione, ubi utilitatem dignitati praefert. Pavst.

* *Putat*) scil. optabiliorem esse.

potius, an utilitati consulendum sit. Quae quia pugnare saepe inter se videntur, qui utilitatem defendit, enumerabit commoda pacis, opum, potentiae, vectigalium, praesidii militum, ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellet, maiorum exempla, quae erunt vel cum periculo gloriosa, colliget; posteritatis immortalem memoriam augebit; utilitatem ex laude nasci defendet, semperque eam cum dignitate esse coniunctam. Sed quid fieri possit, aut non possit, quidque etiam sit necesse, aut non sit, in utraque re maxime est quaerendum. Inciditur enim omnis deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur: et qui id docuit, non videntibus aliis, is plurimum vidit. Ad consilium autem de republica dandum, caput est, nosse rempublicam; ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis; qui quia crebro mutantur, genus quoque orationis est saepe mutandum. Et quamquam una fere vis est eloquentiae, tamen quia summa dignitas est populi, gravissima causa reipublicae, maximi motus multitudinis, genus quoque dicendi grandius quoddam et illustrius esse adhibendum videtur: maximaque pars orationis admovenda est ad animorum motus nonnunquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in spem, aut in metum,

Consulendum sit) Guelf. B, *sit consulendum.*

Potentiae) Vulg. additur *pecuniae.* Id recte abest Guelf. A, etiam Heusingero probante.

Praesidii militum) Hoc Ernesti fatetur sibi suspectum esse. Certe sine interpunctione scribendum est, non, ut Aldus, commate interiecto, *praesidii, militum.*

Impellet) Sic Guelf. B, C. Victor. recte. Vulg. *impellit.*

Inciditur enim omnis deliberatio) Sic Guelf. A recte, ut Lambin. At B, *inciditur enim deliberatio.* Vulg. *inciditur enim omnis iam deliberatio.*

* *Probabiliter*) Firmatur auctoritate Tullii interpretatio nostra. Probabilis erit narratio, inquit lib. de Partitione, *si cum hominum opinione, auctoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta.* PAVST.

aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos; saepe etiam a temeritate, iracundia, spe, iniuria, invidia, crudelitate revocandos.

83. Fit autem, ut, quia maxima quasi oratori scena videatur concio, concionis natura ipsa ad ornatius dicendi genus excitetur. Habet enim multitudo vim quandam talem, ut, quemadmodum tibicen sine tibiis canere, sic orator, nisi multitudine audiente, eloquens esse non possit. Et quum sint populares multi variique lapsus, vitanda est acclamatio adversa populi, quae aut orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur; aut hominum offensione, vel invidia, quae aut iusta est, aut ex criminatione atque fama; aut res si displicet; aut si est in aliquo motu suae cupiditatis aut metus multitudo. His quatuor causis totidem medicinae opponuntur: tum obiurgatio, si est auctoritas; tum admonitio, quasi lenior obiurgatio; tum promissio, si audierint, probaturos; tum deprecatio, quod est infimum, sed nonnunquam utile. Nullo autem loco plus faceliae prosunt, et celeritas, et breve

Vim quandam talem) Abest *talem* Guelf. B.

Nisi multitudine audiente) Sic Guelf. B, C, melius vulgato *sine multitudine audiente.*

* *Acclamatio*) In rep. Romana, maxime libera, acclamabat populus' alias in gratiam oratoris, ut patet ex Philippica 4: *Nunc vero multo sum erectior, quod vos quoque hostem illum esse tanto consensu, tantoque clamore approbavistis*: alias adversum clamorem tollebat, quod expertus est Cicero dum diceret pro Rabirio perduellionis reo: *Nihil me clamor iste commovet, sed consolatur, quum indicat esse quosdam cives imperitos, sed non multos. Nunquam, mihi credite, pop. Romanus hic qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur.* STREBAEVS.

Orationis) Quaedam edd. *oratoris.*

His quatuor) Sic Guelf. A. Vulg. *Hisque quatuor.*

* *Et celeritas*) Aptius forsan legatur *et hilaritas.* Etsi enim lib. I, c. 5 dicitur *celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi*, id tamen aptius dicitur, quam ista sic composita: *celeritas et breve aliquod dictum.* Et *hilaritas* bene respondet sequentibus verbis: *commode ac breviter et*

aliquod dictum, nec sine dignitate, et cum lepore. Nihil enim tam facile, quam multitudo, a tristitia, et saepe ab acerbitate, commode ac breviter et acute et hilare dicto deducitur.

84. Exposui fere, ut potui, vobis in utroque genere causarum, quae sequi solerem, quae fugere, quae spectare, quaque omnino in causis ratione versari. Nec illud tertium *laudationum* genus est difficile, quod ego initio quasi a praeceptis nostris secreveram; sed et quia multa essent orationum genera et graviora et maioris copiae, de quibus nemo fere praeciperet, et quod nos laudationibus non ita multum uti soleremus, totum hunc segregabam locum. Ipsi enim Graeci, magis legendi, et delectationis, aut hominis alicuius ornandi, quam utilitatis huius forensis causa, laudationes scriptitaverunt; quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander, aliique laudantur; nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est. Sed tamen,

acute et hilare dicto. Strebaeus tamen h. l. sic exposuit: Est et quintum remedium, facetiarum urbanitas, sive cavillationes erunt in perpetua narratione, sive dicacitas, quae celeritatem habet, et brevi dicto perstringit.

Nec illud tertium laudationum genus) Tertium laudationum genus est idem quod: *tertium genus orationum, quod est laudationum.* Pearcius apte comparavit locum III, 32: *Tertius ille modus transferendi verbi late patet.*

* *A praeceptis nostris*) Errabat Strebaeus, quum haec non ad Antonii praecepta, sed ad rhetorum pertinere putabat.

Quia multa essent) Sic necessario ob consecutionem temporum legendum. Vulgo *quia multa sunt.*

Magis legendi, et delectationis) Haud scio an potius legendum sit *magis legendi delectationis — causa.*

* *Testimonii brevitatem*) Hoc est, sunt breves ac pressae, veluti testimonia. PRVST.

Quae ad orationis laudem) Sic etiam Guelf. A, B, C. Ernesti coniiciebat legendum esse: *quae ad orationis laudem.* Et sic edd. nonnullae.

quoniam est utendum aliquando, nonnunquam etiam scribendum; vel ut P. Tuberoni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Laelius, vel ut nosmetipsi, ornandi causa, Graecorum more, si quos velimus, laudare possimus; sit a nobis quoque tractatus is locus. Perspicuum est igitur, alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiae, ceteraque quae fortuna dat, aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se veram laudem, quae deberi virtuti uni putatur; sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus haec sunt naturae et fortunae bona: in quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae; ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. Virtus autem, quae est per se ipsa laudabilis, et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes; quarum alia est alia ad laudationem aptior. Sunt enim aliae virtutes, quae videntur in moribus hominum, et quadam comitate ac beneficentia positae; aliae, quae in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus, iucunda est auditu in laudationibus: omnes enim hae virtutes non tam ipsis, qui eas in se

* *Nonnunquam etiam scribendum*) Ernesti suspicatur excidisse *ad* ante *scribendum*, q. d. interdum nobis est utendum hoc genere etiam ad scribendum, non modo ad dicendum.

Possimus) Sic Guelf. A, B. At C, *possumus*.

Virtus autem quae est) Guelf. A, *virtus autem est*.

Quarum alia est alia ad laudationem aptior) Guelf. A, B, C, *quarum alia est ad virtutem aptior*. Manutius recte edidit: *alia est alia ad laudationem aptior*. Sic III, 14. *Sed tamen est species alia magis alia formosa et illustris*.

Non tam ipsis, qui eas in se habent) Guelf. B, C, *non tam ipsis, qui eas*

habent, quam generi hominum fructuosae putantur. Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues et pro nihilo putantur, et in excogitando vis quaedam ingenii, et ipsa eloquentia admirationis habet non minus, iucunditatis minus; ipsos enim magis videtur, quos laudamus, quam illos apud quos laudamus, ornare ac tueri. Sed tamen in laudando iungenda sunt etiam haec genera virtutum. Ferunt enim aures hominum, cum illa, quae iucunda et grata, tum etiam illa, quae mirabilia sunt in virtute, laudari. Et quoniam singularum virtutum sunt certa quaedam officia ac munera, et sua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude iustitiae, quid cum fide, quid cum aequabilitate, quid cum eiusmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Itemque in ceteris res gestae ad cuiusque virtutis genus et vim et nomen accommodabuntur. Gratissima autem laus eorum factorum habetur, quae suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac praemio; quae vero etiam cum labore et periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum; quod et dici ornatissime possunt, et audiri facillime. Ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi aut laboriosa, aut periculosa, aut certe gratuita. Magna etiam laus, et admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos,

habent. Id imitati sunt Lambinus et Pearcius. At Guelf. A, *non tam ipsis*, omissis reliquis.

Et pro nihilo) Guelf. A, B, C, *ac pro nihilo.*

Quam illos, apud quos laudamus) Haec verba in quatuor Codd. a Grutero collatis aberant; et sane elegantius absint, propterea quod verba *ipsos enim magis videtur, quos laudamus, ornare ac tueri*, facile intelliguntur ex iis, quae praecesserunt, omnes enim hae virtutes non tam ipsis, *qui eas in se habent, quam generi hominum fructuosae putantur.*

Ipsi aut laboriosa) Sic Guelf. A. *ipsi autem aut laboriosa* Guelf. C. — Ernesti edidit: *ipsi autem laboriosa*; quod non displicet. E. T.

Magna etiam laus) Sic Guelf. A, C. Vulgo *magna etiam illa laus.*

Tulisse casus sapienter adversos)

non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtuti praemia, res gestae iudiciis hominum comprobatae; in quibus etiam felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio tribui laudationis est. Sumendae autem res erunt aut magnitudine praestabiles, aut novitate primae, aut genere ipso singulares. Neque enim parvae, neque usitatae, neque vulgares, admiratione, aut omnino laude dignae videri solent. Est etiam cum ceteris praestantibus viris comparatio in laudatione praeclara.

85. De quo genere libitum est mihi paulo plura, quam ostenderam, dicere, non tam propter usum fo-

Lambin. *tulisse casus patienter adversos*; minus eleganter: nam qui sapienter fert casus, etiam patienter fert; patientia autem non semper est cum sapientia coniuncta.

Decreta virtuti praemia) Vulg. *virtutis*, quod Pearcius defendit adversus Lambinum, qui correxit *virtuti*.

* *Res aut magnitudine praestabiles* etc.) Egregium aliquod factum ad laudem amplificandi Aristoteles in libris Rhetoricorum octo rationes aperit. 1. Si quis solus rem gesserit. 2. Si quis primus. 3. Si quis cum paucis. 4. Si quis praecipue. 5. Si quis tempore opportuno. 6. Si quis crebro. 7. Si quis ideo novos honores adeptus sit. 8. Si quis ita comparetur cum viris illustribus, ut praeferatur. Pavst.

* *Comparatio*) Quam eloquenter adhibuit incertus auctor panegyrici Constantino Augusto n. 5: *Magnus Alexander, quum praeter Macedonas suos cunctae Graeciae universo Illyrico innumerabilem delectum posset indicere, nunquam maiores quadraginta millium copias duxit, inhabile regenti ratus quidquid excederet, et turbam potius, quam exercitum. Tu vero etiam minoribus copiis bellum multo maius aggressus es; tanto scilicet tua virtute propria potior, quanto ille numero instructior. Et ille quidem contra leves Medos, et Parthorum arma volatica, et Asiaticos optantes mutare servitium rem gessit praelii unius eventu: tibi vincendi erant milites, pro nefas! paulo ante Romani, armis omnibus more primae classis armati, et pro facinorum conscientia nunquam nisi morte cessuri.* Aliquando etiam heroes cum diis comparantur: *An quemadmodum educatus institutusque sis, praedicabo in illo limite, in illa fortissimarum sede legionum, inter discursus strenuae iuventutis, et armorum sonitus tuis vagitibus obstrepentes? Finguntur haec de Iove, sed de te vera sunt, Imperator.* Mamertinus in panegyr. Maximiano. Id.

rensem, qui est a me in omni hoc sermone tractatus; quam ut hoc videretis, si laudationes essent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, esse necessariam. Iam vituperandi praecepta contrariis ex vitiis sumenda esse perspicuum est. Simul est illud ante oculos, nec bonum virum proprie et copiose laudari, sine virtutum, nec improbum notari ac vituperari, sine vitiorum cognitione, satis insignite atque aspere posse. Atque his locis et laudandi et vituperandi saepe nobis est utendum in omni genere causarum.

86. Habetis, de inveniendis rebus, disponendisque quid sentiam. Adiungam etiam de *memoria*, ut labore Crassum levem, neque ei quidquam aliud, de quo disserat, relinquam, nisi ea, quibus haec exornentur.

Perge vero, inquit Crassus. Libenter enim te cognitum iam artificem, aliquandoque evolutum illis integumentis dissimulationis tuae, nudatumque perspicio, et quod mihi nihil, aut quod non multum relinquis, percommode facis, estque mihi gratum.

Iam istuc quantum tibi ego reliquerim, inquit Antonius, erit in tua potestate. Si enim vere agere volueris,

Proprie) Hoc idem est, quod sequens *insignite*; nempe qui aliquem *proprie* laudat, is laudes suas ex ipsis eius, quem laudat, moribus haurit; qui *insignite* vituperat, sic vituperat, ut hominis vera ac propria vitia tangi auditores intelligant.

Insignite) Hoc unice verum. Victor. *insigniter*.

Nisi ea, quibus) Guelf. B, C, *nisi ea, quibus rebus*. Et sic Victor. Si *rebus* placeat, scribendum est, *nisi quibus rebus haec exornentur*.

Evolutum) Guelf. C, *evelatum*. Sic ed. Omnib.

Nudatumque) Guelf. A, *nudatum te*.

Aut quod non multum) Guelf. A, *aut non multum*, verius fortasse.

* *Si enim vere agere volueris, omnia tibi relinquo*) Haud recte ista cepit Strebaeus, quasi Antonius dicere voluerit, se aut nihil dixisse, quod recte probeque dictum sit, aut saltem quod non multo melius agat Crassus. Imo vero hoc significat ille: Si vere agere volueris i. e. serio et pro rerum dignitate, omnia tibi relinquo, quia multo maius et difficilius est de elocutione praecipere,

omnia tibi relinquo. Sin dissimulare, tu quemadmodum his satisfacias, videris. Sed, ut ad rem redeam, non sum tanto equidem ingenio, quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem, quam memoriae, malim: gratiamque habeo Simonidi illi Ceo, quem primum ferunt artem memoriae protulisse. Dicunt enim, quum coenaret Crannone in Thessalia Simonides apud Scopam, for-

quam de inventione, dispositione, memoria, quas partes tractandas sibi sumserat Antonius.

Non sum tanto ego, inquit, ingenio) Guelf. B omittit *inquit*, nec sane, cur illud hic repetatur, video. An Cicero scripsit: *non sum tanto equidem ingenio?* — Valde arridet haec conjectura, et cohibere me nequeo, quin eam in textum recipiam. E. T.

* *Simonidi*) Simonides poëta Lyricus, oriundus ex Cea, quae maris Aegaei insula Euboeam inter et Boeotiam sita est, floruit, Eusebio teste, Olympiade 61, annis ante Christum 530. Pavst.

Ceo) Guelf. A, B, C, *Chio*.

* *Dicunt enim, quum coenaret Crannone in Thessalia Simonides apud Scopam*) Quintil. Inst. or. XI, 2, 11: *Artem autem memoriae primus ostendisse dicitur Simonides, cuius vulgata fabula est. Quum pugili coronato carmen, quale componi victoribus solet, mercede pacta scripsisset, abnegata ei pecuniae pars est, quod more poëtis frequentissimo digressus, in laudes Castoris et Pollucis exierat; quapropter partem ab iis petere, quorum facta celebrasset, iubebatur; et persolverunt, ut traditum est. Nam quum esset grande convivium in honorem eiusdem victoriae, atque adhibitus ei coenae Simonides, nuntio est excitus, quod eum duo iuvenes equis advecti, desiderare maiorem in modum dicebantur. Et illos quidem non invenit, fuisse tamen gratos erga se deos, exitu comperit. Nam vix eo limen egresso, triclinium illud supra convivas corruit, atque ita contudit, ut non ora modo oppressorum, sed membra etiam omnia requirentes ad sepulturam propinqui nulla nota possent discernere. Tum Simonides dicitur memor ordinis, quo quisque discubuerat, corpora suis reddidisse. Est autem magna inter auctores dissensio, Glauconi Carystio, an Leocrati, an Agatharcho, an Scopae scriptum sit id carmen; et Pharsali fuerit haec domus, ut ipse quodam loco significare Simonides videtur, atque Apollodorus, et Eratosthenes, et Euphorion, et Larissaeus Eurypylus tradiderunt, an Cranone, ut Apollas Callimachus, quem sequutus Cicero hanc fabulam latius fudit. Scopam nobilem Thessalum periisse in eo convivio constat; adiicitur sororis filius; putant et ortos plerosque ab illo Scopa, qui maior aetate fuerit. Quamquam mihi totum de Tyndaridis fabulosum videtur; neque omnino huius rei meminit usquam poëta ipse, profecto non taciturus de tanta sua gloria.* Ceterum scripturam *Cranone* meliorem esse docuit Drakenborchius ad Liv. lib. XXXVI, c. 10.

tunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa, poëtarum more, in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium eius ei, quod pactus esset pro illo carmine, daturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos aeque laudasset, peteret, si ei videretur. Paulo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: iuvenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent: surrexisse illum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse. Quos quum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur, ordinem esse maxime, qui memoriae lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quae memoria tenere vellent, effingenda animo atque in his locis collocanda; sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conservaret, res autem ipsas rerum effigies notaret, atque ut locis pro cera; simulacris pro literis uteremur.

87. Qui sit autem oratori memoriae fructus, quanta

Id carmen) Guelf. B, *illud carmen*.

* *Tyndaridis*) A Tyndaro Oebaliae rege, coniuge Ledae, appellati sunt Tyndaridae Pollux et Helena, exclusi ex ovo, quod ex Iove Leda conceperat: item Castor et Clytemnestra, ex altero ovo exclusi, quod eadem ex Tyndaro conceperat. PAVST.

Ad ianuam) Guelf. A, *ad ianuas*.

Magnopere evocarent) Guelf. A, *magno opere vocarent*. B, C, *magnopere vocarent*.

* *Pro cera*) In tabulis cera obductis scribere solebant Romani. Certa loca animo designata, v. g. aedes, templum, porticus etc. erunt nobis pro tabulis et papyro: rerum imagines, v. g. pugna, funus, statua etc. erunt pro literis et characteribus. PA.

utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere quae didiceris in accipienda causa, quae ipse cogitaris? omnes fixas esse in animo sententias? omnem descriptum verborum apparatum? ita audire vel eum, unde discas, vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere? Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt, quid, et quatenus, et quomodo dicturi sint, cui responderint, quid supersit: iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt. Quare confiteor equidem, huius boni naturam esse principem, sicut earum rerum, de quibus ante loquutus sum, omnium: sed haec ars tota dicendi, sive artis imago quaedam est et similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cuius in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quae sunt orta iam in nobis et procreata, educet atque confirmet. Verumtamen neque tam acri memoria fere quisquam est, ut, non dispositis notatisque rebus, ordinem verborum aut sententiarum complectatur: neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine et exercitatione

Omnem descriptum) Guelf. A, *omne scriptum.*

Vnde discas) Guelf, B, C, Victor. aliique *unde dicas.* At enim hoc nec latiuum est, el sensu satis apto caret; *unde discas* refertur ad reum, cuius causa erat. Rei enim solebant tabulas, decreta, responsa ad oratorem deferre. II, 27: Oratores autem, ut Antonius solebat II, 24, operam dabant, ut de sua re quisque se ipse doceret. Idem hoc ipso capite nominavit *dicere in accipienda causa.* Strebaeus tamen lectionem *unde dicas* sic interpretatur: ita audire tuum litigatorem sedentem in subselliis, et tuos monitores, qui causam suggerunt a tergo, et advocatos, qui interim consilium subministrant primas habenti ac residenti in media causa, dum audiuntur laudatores reorum, dum literae recitantur, dum monitores et iurisperiti nonnihil interloquuntur.

Cui responderint) Sic recte Guelf. B, C. Vulgo *quid responderint.*

Ordinem verborum ac sententiarum) Guelf. A, *ordinem verborum aut hominum aut sententiarum.* In MS. Mag. teste Pearcio, it. in Edd. Ven. Mediol. legitur *verborum atque sententiarum.*

adiuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis affigi nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa; acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi; quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res caecas, et ab aspectus iudicio remotas, conformatio quaedam, et imago, et figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti vix possemus, intuendo quasi teneremus. His autem formis atque corporibus, sicut omnibus, quae sub aspectum veniunt, admonetur memoria nostra atque excitatur; sed locis opus est. Etenim corpus intelligi sine loco non potest. Quare ne in re nota et pervulgata multus et insolens sim, locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis; ima-

Affigi) Sic Asc. Steph. MS. Harl. 2 in marg. idque iure recepit Pearcius. Guelf. A, B, C, *effingi*, quod non est admittendum, etsi est in plerisque edd. Nam h. l. non agitur de imaginum in animis efformatione, sed de imaginibus sic animo imprimendis, ut memoriae inhaereant, nec facile oblivione deleantur. Frustra igitur Ernesti lectionem *effingi* defendit.

Ea, quae perciperentur — si etiam) Guelf. A, *si ea, quae perciperentur — etiam*.

Vix possemus) Sic Guelf. A, B, C, recte. Vulg. *non possemus*.

Quae sub adspectum veniunt — sed locis opus est) Verba *admonetur memoria nostra atque excitatur*, in multis edd. omissa, ex antiquioribus restituit Ernesti, quo in lectione tamen particula *autem* inter *his* et *formis* haud satis convenit antecedentibus. Quum enim iam antea de vi imaginum ad memoriam dictum esset, exspectabatur, ut sic oratio continuaretur: *His igitur formis*, non *his autem formis — admonetur memoria nostra*. Quamquam ne Aldi quidem lectio, quam Pearcius aliique tenuerunt, aspernenda est: *his autem formis atque corporibus, sicut omnibus, quae sub adspectum veniunt, sedes opus est*. Nizolius postrema verba sic refert: *sicut omnibus rebus, quae sub adspectum veniunt, sedes opus est*; alibi autem: *sicut omnibus rebus, quae sub adspectum veniunt, sede opus est*.

Quare ne in re nota et pervulgata multus et insolens sim) Guelf. B, *quare in re n. et p. ne multus et insolens sim*.

Locis est — possint) Haec exscripsit Quintil. XI, 2, 22.

Explicatis) Guelf. A, *et explicatis*.

Imaginibus autem agentibus) In

ginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere, celeriterque percutere animum possint. Quam facultatem et exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur, et similium verborum conversa et immutata casibus, aut traducta ex parte ad genus notatio, et unius verbi imagine totius sententiae informatio, pictoris cuiusdam summi ratione et modo, formarum varietate locos distinguentis.

88. Sed verborum memoria, quae minus est nobis

edd. Quintiliani nonnullis XI, 2 legitur *imaginibus aliquid agentibus*; et auct. ad Herenn. III, 22 praecipit, *ut non mutas nec vagas, sed aliquid agentes imagines ponamus*. Attamen non est quod h. l. *aliquid* pro *autem* reponamus. Nam *agentes* h. l. idem est atque *actuosae*, in aliqua actione constitutae.

* *Similium verborum*) Dabit facultatem ad recordandum notatio et animadversio verborum similium, quorum unum alterius memoriam revocabit propter similitudinem: meminisse vis hominis qui vocatur Leo? leonem feram animo effinge. Memoriam item excitat casuum in eisdem verbis varietas, ut ipsum legumen et Piso vir consularis. Nec non verba, quae partem significant, totum exhibebunt, ut cicer Ciceronem, lac Lactantium. Species genus repraesentabit, ut canis animal. Denique unius verbi imagine totius sententiae recordatio recurrit. Imago terrae menti impressa revocare poterit versum hunc integrum: *Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.* Pryst.

Pictoris cuiusdam summi ratione) Guelf. A, Erl. *pictoris cuiusdam summa ratione*; quod placuit Ernestio, etsi vix dici potest, quid hic *summa ratio* significet. — Hoc loco usus est Wielandus, summorum poëtarum nostrorum facile doctissimus, ut demonstraret, artem, quam dicunt *perspectivam*, non ab omnibus quidem Graecis pictoribus ignoratam, sed tamen eam scientiam summorum tantum pictorum fuisse. Vid. eius operum a Goeschenio luculentissime typis editorum tom. VI Supplem. p. 67. Quod etsi ille ingeniose et acute, ut solet, exposuit, mirum tamen est, quid Ciceroni in mentem venerit, ut rationem illam artis mnemonicae imaginibus per loca dispositis, cum arte pictoris formarum varietate locos distinguentis compararet. Exigua certe est inter utramque artem similitudo, et quo maiorem summorum pictorum artem animo complectaris, eo frigidior videtur eius cum arte illa memoriae collatio.

Verborum memoria maiore imaginum varietate distinguitur) Suspectum est mihi verbum *distinguitur*, utpote non satis aptum, et librarii forsan errore ex antecedentibus repositum. Aptius h. l. esset *definitur*, vel *designatur*.

* *Sed verborum memoria etc.*) Vt hunc locum intelligamus, observandum est, *imagines* aliud quiddam significare ac simulacra et similitudinem. Non enim necesse est, ut *ima-*

necessaria, maiore imaginum varietate distinguitur. Multa enim sunt verba, quae, quasi articuli, connectunt membra orationis, quae formari similitudine nulla possunt; eorum fingendae nobis sunt imagines, quibus semper utamur. Rerum memoria propria est oratoris: eas singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, et obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines, et divina prope memoria, Athenis Charmadam; in Asia, quem vivere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum; quorum uterque tanquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quae meminisse vellet, perscribere. Quare hac exercitatione

gines semper similes sint iis rebus, quas ad memoriam adiuvandam repraesentant. Dicet igitur Antonius, multa verba, ut adverbia, praepositiones etc. similitudine nulla significari posse. Si igitur eorum meminisse velimus, necesse est in prompta habere quam plurimas quasi arbitrarias imagines, quae, quamvis nihil simile habeant, longo tamen usu perceptae ea verba, quibus opus est, ob oculos nostros ponant. Hanc autem veram esse interpretationem confirmant verba Quint. lib. II, c. 2: *Mitto, quod quaedam* (verba) *nullis simulacris significari possunt; habeamus enim sane, ut qui notis scribunt, certas* imagines *omnium* etc. PEARC.

Fingendae nobis sunt) Ed. Omnib. *fingendae sunt nobis.*

* *Eam singulis personis bene positis* etc. Personae in hoc loco significant imagines, facies fictas. Sic Lucret. I, 4, II, 29. PEARC.

Quod per se natura tenere potuisset) Guelf. B, C, *quod per se natura ipsa tenere potuisset.*

Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis; sed certe, si latet, evocanda est) Quoniam *eruere* semper apud Ciceronem est, id quod latet investigare, et in lucem protrahere, offendi aliquis hic possit verbis *non eruenda memoria est*, qui meminerit supra c. 87, (p. 370, vs. 13 sqq.) Ciceronem dixisse: *Sed haec ars tota dicendi, sive artis imago quaedam est et similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cuius in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quae sunt orta iam in nobis et procreata, educet atque confirmet.* Bene tamen se habet h. l. *eruendi* verbum. Sicut enim recte diceretur: *Fodiendo eruenda non sunt metalla, ubi nulla sunt*; sic h. l. *exercitatione hac non eruenda memoria est, si est nulla naturalis*; q. d. ineptum esset exercitatione eruere

non eruenda memoria est, si est nulla naturalis: sed certe, si latet, evocanda est.

89. Habetis sermonem bene longum hominis, utinam non impudentis: illud quidem certe non nimis verecundi; qui quidem, quum te, Catule, tum etiam L. Crasso audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. Nam istorum aetas minus me fortasse movere debuit. Sed mihi ignoscetis profecto, si modo, quae causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis.

Nos vero, inquit Catulus, (etenim pro me hoc, et pro meo fratre respondeo) non modo tibi ignoscimus, sed te diligimus, magnamque tibi habemus gratiam; et cum humanitatem et facilitatem agnoscimus tuam, tum admiramur istam scientiam et copiam. Equidem etiam hoc me assequutum puto, quod magno sum levatus errore, et illa admiratione liberatus, quod multis cum aliis semper admirari solebam, unde esset illa tanta tua in causis divinitas. Nec enim te ista attigisse arbitrabar, quae diligentissime cognosse, et undique collegisse, usuque doctum partim correxisse video, partim comprobasse. Neque eo minus eloquentiam tuam, et multo magis virtutem et diligentiam admiror, et simul gaudeo, iudicium animi mei comprobari, quod

velle memoriam, si est nulla naturalis; ars enim et exercitatio non possunt eruere, quae non sunt ab natura ingenita et procreata.

Si est nulla naturalis) Victor. *si est ulla naturalis*, sensu inepto.

Illud quidem certe) Malim *illud certe*. Nam *quidem* statim recurrit. Ernesti *illud quidem* delendum censebat.

Quum te, Catule, audiente) Sic Guelf. A, B, C probante Heusingero.

Respondeo) Guelf. A, *spondeo*.

Quod multis cum aliis semper admirari solebam) Haec verba, nisi negligentiae scriptoris tribuere velis, interpolatoris manum prodere videntur. Certe nemo ea desideraret, si scriptum in codd. esset sic, *Equidem etiam hoc me assequutum puto, quod magno sum levatus errore, et illa admiratione liberatus, unde esset illa tanta tua in causis divinitas.*

Et multo magis) Aptius h. l. videtur: *sed multo magis.*

semper statui, neminem sapientiae laudem et eloquentiae sine summo studio et labore et doctrina consequi posse. Sed tamen quidnam est, quod dixisti fore ut tibi ignosceremus, si cognossemus, quae te causa in sermonem impulisset? Quae est enim alia causa, nisi quod nobis et horum adolescentium studio, qui te attentissime audierunt, morem gerere voluisti?

Tum ille, Adimere, inquit, omnem recusationem Crasso volui, quem ego paulo sciebam vel pudentius, vel invitius (nolo enim dicere de tam suavi homine, fastidiosius) ad hoc genus sermonis accedere. Quid enim poterit dicere? consularem se esse hominem et censorium? eadem nostra causa est. An aetatem afferet? quadriennio minor est. An se nescire? quae ego sero, quae cursim arripui, quae subsicivis operis (ut aiunt), iste a puero, summo studio, summis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit. Etenim me dicentem qui audierit, nemo unquam tam sui despiciens fuit, quin speraret aut melius, aut eodem modo se posse dicere; Crasso dicente, nemo tam arrogans, qui similiter se unquam dicturum esse confideret. Quamobrem, ne frustra hi tales viri venerint, te aliquando, Crasse, audiamus.

90. Tum ille, Vt ita ista esse concedam, inquit, Antoni, quae sunt longe secus, quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici possit, reliquisti? Dicam enim vere, amicissimi homines, quod sentio.

Sed tamen quidnam est) Guelf. A, *sed quidnam est.*

Quod dixisti) Sic Guelf. A; *quod tu dixisti* Guelf. B. Vulg. *id quod dixisti.* Heusingerus suspicabatur legendum esse: *quid est quod dixisti* —.

Consularem se esse hominem) Gu. A, B, C, *consularem se hominem,*

An se nescire) Guelf. B, C, *an se haec nescire*, verius, ut opinor.

Longe secus) Guelf. A, *valde secus.*

Quid mihi tu tandem) Guelf. A, *quid mihi tandem.*

Vt cuiquam homini) Abest *homini* Guelf. B.

Saepe ego doctos homines, — quid dico saepe? immo nonnunquam; saepe enim qui potui, qui puer in forum venerim, neque inde unquam diutius, quam quaestor afuerim? sed tamen audivi, ut heri dicebam, et Athenis quum essem, doctissimos viros, et in Asia istum ipsum Scepsium Metrodorum, quum de his ipsis rebus disputaret. Neque vero mihi quisquam copiosius unquam visus est, neque subtilius in hoc genere dicendi, quam iste hodie, esse versatus. Quod si esset aliter, et aliquid intelligerem ab Antonio praetermissum, non essem tam inurbanus, ac paene inhumanus, uti eo gravarer, quod vos cupere sentirem.

Tum Sulpicius, An ergo, inquit, oblitus es, Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi eius distinctionem atque ornatum relinqueret?

Hic ille, Primum, quis Antonio permisit, inquit, ut partes faceret, et, utram vellet, prior ipse sumeret? Deinde, si ego recte intellexi, quum valde libenter audirem, mihi coniuncte est visus de utraque re dicere.

Ille vero, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit, neque eam laudem, ex qua eloquentia nomen ipsum invenit.

Immo nonnunquam) Guelf. A, *immo nunquam*; C, *immo vero nonnunquam*.

* *Instrumentum*) Instrumentum oratoris hic vocatur, quod adhibetur ad docendum, conciliandum et movendum; haec sibi sumpserat Antonius explicanda, quae Crasso expolienda et exornanda reliquerat. PAVST.

Vt et partes faceret, et, utram) Ed. Omnib. *ut partes faceret, ut utram*, qua in lectione primo loco *e* non male supprimitur.

Ex qua eloquentia nomen ipsum invenit) Si particulam *neque* ita accipias, ut *ornamenta orationis* ab *ea laude, ex qua eloquentia nomen ipsum invenerit*, disiungantur, ornamenta orationis ad elocutionem, illa altera autem laus ad pronuntiationem et actionem referenda esset; quia tamen alibi Cicero, ut Orat. cap. 19, oratorem non inventorem, aut compositorem, aut actorem, sed potius ab eloquendo Graece ῥήτορα et Latine eloquentem dictum esse monuit, satius est h. l. particulam *neque* ut ἐπεξηγητικῶς positam intelligere, ita

Verba igitur, inquit Crassus, mihi reliquit Antonius, rem ipse sumsit.

Tum Caesar, Si, quod difficilius est, id tibi reliquit, est nobis, inquit, causa, cur te audire cupiamus: sin, quod facilius, tibi causa non est, cur recuses.

Et Catulus, Quid? quod dixisti, inquit, Crasse, si hic hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihilne ad fidem putas pertinere?

Tum Cotta ridens, Possem tibi, inquit, Crasse, concedere; sed vide, ne quid Catulus attulerit religionis. Opus hoc censorium est. Id autem committere, vides quam sit homini turpe censorio.

Agite vero, ille inquit, ut vultis. Sed nunc quidem quoniam id temporis est, surgendum censeo, et requiescendum; post meridiem, si ita vobis est commodum, loquemur aliquid, nisi forte in crastinum differre mavultis.

Omnes se vel statim, vel, si ipse post meridiem mallet, quamprimum tamen audire velle dixerunt.

ut ornamentis orationis in sententiis et verbis illa ipsa laus censeatur, ex qua eloquentia nomen suum invenerit. In Guelf. A est: *ex qua eloquentia nomen suum invenit.* Et sic Lamb. Forsan Cicero scripsit: *ex qua eloquentia nomen ipsa suum invenit.*

Si hic hodie apud te) Guelf. A, *si hodie apud te.*

Nihilne ad fidem putas pertinere?) Sic Guelf. B, C probante Heusingero. Vulg. *Nihilne ad fidem tuam p. p.*

Opus hoc censorium est) Guelf. A, *hoc opus censorium est.* Est autem opus censorium, dignum censoris animadversione. Male Harlesius de infamia censorum peierantium aut fidem frangentium intellexit.

Id autem committere, vides quam) Sic Guelf. A, idque melius quam vulg. *vide quam*

Ille inquit) Guelf. *inquit*, omisso *ille*, haud scio an rectius.

M. TVLLII
CICERONIS
DE ORATORE

LIBER TERTIVS

SVMMARIVM

Prooemium L. Licinium Crassum, subita morte vix decem diebus post eum diem, qui hoc et superiore libro continetur, extinctum, reliquorumque virorum, qui tum cum eo postremum fere colloquuti erant, tristes horribilesque casus deplorat, cap. 1-4.

Sequitur Crassi disputatio, de ornamentis orationis totaque elocutione. In qua primum docet, neque verborum ornatum inveniri posse, non partis sententiis, neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum, cap. 5-6.

Deinde breviter proponit, quid sentiat de universo genere dicendi. Nimirum esse, ut in ceteris artibus, sic in eloquentia multa genera inter se dissimilia, neque tamen non laudanda. Quare nisi omnia, quae propositurus sit, ab auditoribus probentur, cogitandum esse, id a se genus exprimi, quod maxime sibi ipsi probetur, cap. 7-9.

Optimum deinde dicendi modum hoc requirere demonstrat, ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicatur. De latine loquendi ratione agitur cap. 10-12; *de plana dictione*, cap. 13. *Sequitur locus de ornate dicendo: ubi primum Crassus a proposito degres-*

sus docet, cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi olim a Graecis uno sapientiae nomine coniunctam fuisse, a Socrate autem sapienter sentiendi et ornate dicendi scientiam, re cohaerentes, primum esse separatas, unde discidium illud linguae et cordis exstiterit, absurdum et inutile, et reprehendendum, ut alii iuvenes sapere, alii dicere docerent. Perfecto oratori tamen aut Aristotelicam aut Academicam philosophiam complectendam esse, cap. 14–19. *Neque vero absterrendos esse eloquentiae studiosos nimia philosophiae difficultate. Omnes enim artes aliter ab iis tractari, qui eas ad usum transferant, aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita aliud sint acturi*, cap. 20–23. *Iam docet, ad ornate dicendum primum apparatu rerum opus esse*, cap. 24; *tum orationem genere primum et quasi colore quodam et succo suo ornari, genusque dicendi eligendum esse, quod non delectet solum, sed etiam sine satietate delectet*, cap. 25–26; *summam vero laudem esse eloquentiae, amplificare rem ornando, ornatissimas autem orationes esse, quae a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferant et convertant*, cap. 27–31. *Inde rursus degreditur disputatio ad laudandos Graecos veteres, qui sapientiam ab eloquentia haud seiunxerint*, cap. 32–35; *a qua degressione Crassus per Cottam et Sulpicium revocatus*, cap. 36, *pergit de ornatu orationis praecipere. Et quidem primo de ornatu orationis ex singulis verbis agit: in quo verba propria, prisca, nova, translata denique spectantur*, cap. 37–42. *Deinde de ornatu ex continuatione verborum; ubi primum agitur de collocatione*, cap. 43; *deinde de numero oratorio*, cap. 44–51; *postremo de ornatu ex figuris verborum et sententiarum*, cap. 52–54.

Sequitur locus de apte dicendo, sed breviter tractatus, cap. 55. *Vltimo autem loco Crassus de actione disputat*, cap. 56 sqq.; *et primum quidem de pronunciatione*, cap. 56–58; *tum de gestu*, cap. 59; *postremo de voce*, cap. 60. *In clausula totius libri gratias Crasso Catulus agit, et quum generis sui Hortensii mentionem fecisset, huius eloquentiam Crassus laudat, Cottamque et Sulpicium cohortatur, ut omni studio elaborent, ne ab illo adolescente, qui eorum aetati succrescat, superentur.*

Instituenti mihi, Quinte frater, eum sermonem referre, et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi, morte exstincta subita est, vix diebus decem post eum diem, qui hoc et superiore libro continetur. Vt enim Romam rediit extremo scenicorum ludorum die vehementer commotus ea oratione, quae ferebatur habita esse in concione a Philippo, quem dixisse constabat: *videndum sibi aliud esse consilium; illo*

* *Extremo scenicorum ludorum die*) Eo enim tempore colligendi sui causa Crassus cum Antonio reliquisque in Tusculanum se receperat. Per *scenicos ludos*, romanos intellige, ut ex primo libro palam est: qui et Circenses et Magni appellati. Hosce a regibus institutos scribit Asconius et *magnos* appellatos, quod magnis impensis primum facti, idest, ducentis millibus nummum, vel quia diis magnis sacri, id est, Laribus urbis Romae. Eosdem cum Consualibus facit, quod videtur etiam indicare S. Cyprianus lib. de Spectac. *Romulus*, inquit, *Conso, quasi consilii Deo, ob rapiendas Sabinas, Circenses primus consecravit.* Tamen ex veteri Calendario diversis temporibus celebratos illos ludos colligimus. Nam Consualia XII Calendas Septemb. vel potius XVIII Augusti, hoc est XV Cal. Septemb. ut docet Plutarchus in Romulo, *Raptus*, inquit, *ille patratus est 18 die Sextilis, qui nunc Augustus, in quo Consualia hodie quoque celebrantur.* Iam vero in eodem Calendario ludi Romani leguntur, pridie Nonas Septembres. Quod autem non nemo ludos illos Magnos seu Romanos a Tarquinio institutos asseril, si quidem primitus ab eo factos intelligat, non obscure errat, quum Livius lib. I contrarium asserat his verbis: *Ludos opulentius instructiusque, quam priores Reges fecit*, etc. Ceterum quum ante hi ludi *Circenses* essent, hoc est gladiatorii, atque a *scenicis* distinguerentur, postea etiam factos scenicos, et ex hoc loco colligitur, et Augustinus etiam indicat lib. I de Civitate Dei, cap 32. Celebrabantur ii ludi primo quidem uno vel altero die, tum triduo, deinceps pluribus diebus. PEARC.

* *A Philippo*) de gravi illa Philippum consulem inter et Drusum tribunum plebis contentione, egimus in notis ab lib. I de Orat., cap. 7. PRVST.

* *Aliud esse consilium*) Per vocem *consilium* (pro qua alii edidere *concilium*) intellige coetum vel congregationem, sive eos qui consulunt,

senatu se rempublicam gerere non posse; mane idibus Septembris et ille et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. Ibi quum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus. Hic, quamquam hoc inter homines sapientissimos constare vidi, Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisse, ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum audivi, ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Deploravit enim casum atque orbitatem senatus; cuius ordinis a consule, qui quasi parens bonus, aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis; neque vero esse mirandum, si, quum suis consiliis rempublicam profligasset, consilium senatus in republica repudiaret. Hic quum homini et vehementi et diserto et in primis forti ad resistendum, Philippo, quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille, sed graviter exarsit, pignoribusque ablatis Crassum instituit coërcere.

non id quod consulentes sequuntur. Pearc.

Videndum sibi aliud esse consilium) Guelf. A, *videndum sibi esse aliud consilium.*

Gerere) Sic recte pleraeque edd. quaedam aliae *regere.*

Hic, quamquam hoc inter homines sapientissimos constare vidi, Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisse, ut nunquam dixisse melius putaretur) Vulgo legitur ordine perplexo: *Hic, ut saepe inter homines sapientissimos constare vidi, quamquam hoc Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut nunquam melius dixisse putaretur.* In Guelf. A est, *Hunc saepe inter*, omisso ut. In B, *Hic et saepe inter.* Guelf. C, *semper fere contigisse constabat.*

* *In republica*) Scil. gerenda, id quod optime convenit Philippi cos. verbis supra commemoratis, *illo senatu se rempublicam gerere non posse.* Vulgo *a republica.*

Sed graviter exarsit) Sic Ernestii auctoritate rescripsi pro vulg. *et graviter exarsit*; quod post *non tulit* minus commodum videbatur.

* *Pignoribusque ablatis*) Val. Maximus lib. VI. cap. 2 dicit: *Phi-*

Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur, quum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. « An tu, quum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris, eamque in conspectu populi Romani concideris, me his pignoribus existimas posse terreri? Non tibi illa sunt caedenda, si L. Crassum vis coërcere; haec tibi est incidenda lingua; qua vel evulsa spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. »

2. Permulta tum vehementissima contentione animi, ingenii, virium, ab eo dicta esse constabat; sententiamque eam, quam senatus frequens sequutus est ornatissimis et gravissimis verbis: « Vt populo Romano satis-

lippum consulem iussisse lictorem manum L. Crassu iniicere. Iste consul iubendo bona Crassi fisco addici, decrevit eum multare: *pignora* vero ea, quae sic a magistralu caperentur et *auferrentur*, *dicebantur fuisse *concisa*, vel *caesa*, ut in sequentibus patet. PEARC.

Efferebantur) Ernesli conj. *ferebantur.* Illud tamen cur mutemus, causa non est, sive pro *efferendo ex senatu narrabantur*, sive pro *laudabantur*, *extollebantur* positum putes. Crassi dictum memorat quoque Valerius Max. VI, 2.

* *Sibi illum consulem*) Tutum hoc breviter refert Valerius Maximus lib. VI, cap. 2: *L. Philippus cos. adversus senatum libertatem exercere non dubitavit: nam segnitiem pro rostris exprobrans, alio sibi senatu opus esse dixit: tantumque a poenitentia dicti abfuit, ut etiam L. Crasso summae dignitatis et eloquentiae viro, id in curia graviter ferenti manus iniici iuberet. Ille, reiecto lictore, Non es, inquit, mihi, Philippe, consul, quia hec ego quidem tibi senator sum.* PR.

Caedenda) Sic Guelf. A, B, C probante Heusingero. Et sic. Ald. et seqq. Ernesti ex edd. pr. restituit *concidenda.*

Si L. Crassum) Sic Guelf. A. Vulgo praenomen omittitur.

Haec tibi est incidenda lingua; qua vel evulsa) Sic optime Guelf. A, nam in vulg. *haec tibi est excidenda lingua, qua vel evulsa*, nulla est gradatio a minore ad maius, quum tamen particula *vel* significat. Idem enim est *excidere linguam* et *evellere.* — Non erat, cur lectioni *excidenda* substitueretur *incidenda*; optime enim ea lectio, meo quidem iudicio, se tueri potest. ED. TAVR.

Contentione) Sic quoque Guelf. A, B, C, idque unice verum, et verbum in hac re proprium. Non igitur erat quod Ernesti ex editt. quibusdam primis *concitatione* praeferendum existimaret.

* *Sententiamque eam, quam*) In senatusconsultis eius nomen, qui sententiae princeps esset, inscribebatur: quod ex Cicerone et Asconio constát. Factum esse idem Athenis

fieret, nunquam senatus neque consilium reipublicae, neque fidem defuisse,» ab eo dictam; et eundem (id quod in auctoritatibus praescriptis exstat) scribendo affuisse. Illa tanquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio, quem quasi exspectantes, post eius interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Namque tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consequutum esse audiebamus; ex quo quum cohor-

ex Demosthene colligimus, et ex Plutarcho. Petav.

Id quod in auctoritatibus praescriptis exstat) « Vulgo *perscriptis* : sed edit. Ven. et Mediol. habent *praescriptis*, quod Manutius etiam ex antiquo Borromaei libro reponit; et ut erat Rom. Antiquitatis peritissimus, probat ea SCta solita esse dici *praescripta*, in quibus senatorum nomina praescribebantur, et ad hanc rem citat Festi verba: *Aut si non tot sint senatores, quo numero liceat praescribi Senatusconsulta*, etc. Sic Cic. epist V, 2: *Illud Senatusconsultum, quod eo die factum est, ea praescriptione est, ut* etc. In Orat. II de leg. Agrar. *a quibus ei locus primus in indice et praescriptione legis concessus est.* Porro per *auctoritates praescriptas* non verba ipsa SCti intelliguntur, sed catalogus nominum scriptorum ante verba SCti, quae nomina ei suam auctoritatem dabant. — Adde quod MSS. Bal. et Mead. habent *praescriptis*: et MS. Nov. olim non habuit *perscriptis*, sed hoc verbum nuperae manui debetur. » Hactenus Pearcius, et is quidem rectissime.

* *In auctoritatibus perscriptis*) Auctoritates hic pro decretis seu senatusconsultis ne simpliciter acceperis: nam aliud auctoritas vocatur, aliud senatusconsultum fuit, ut erudite Sigonius observavit ad IV Livii. Nam senatusconsultum magis ratum erat, quam auctoritas. Si enim vel senatorum numerus iustus defuisset, vel magistratus intercessisset: decretum quidem perscribebatur, ut senatorum de ea re iudicium exstaret: nondum tamen ratum erat; sed auctoritas tantum dicebatur. Idipsum fiebat, si vel non idoneo tempore, vel non legitimum in locum senatus convocaretur: quae omnia diserte explicat Dio lib. IV. Petav.

Illa tanquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio, quem quasi exspectantes) Vulgo *quam quasi exspectantes.* At quomodo cycnea vox, i. e. ultima Crassi ab eo, qui post eius interitum in curiam veniret, poterat *exspectari*? Nec proficitur aliquid, si cum Gesnero in Thes. L. L. legamus *quam quasi exceptantes.* Multo minus *quam quasi respectantes* probaverim, quod Heusingero in mentem venit. Itaque fidenter equidem rescripsi *quem quasi exspectantes.* Nempe hominem desideratissimum quasi exspectabat Cicero, quum post eius interitum venisset in curiam, ita ut ipsum eius vestigium, in quo ille postremum institisset,

ruisset, cum febri domum rediit, dieque septimo lateris dolore consumtus est. O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones! quae in medio spatio saepe franguntur et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Nam, quamdiu Crassi fuit ambitionis labore vita districta, tamdiu privatis magis officiis et ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut reipublicae dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum, omnium concessu, ad summam auctoritatem dabat, is eius omnem spem atque omnia vitae consilia morte pervertit. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus, sed ii tamen rempublicam casus sequuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam,

contueretur. Fit enim amoris ac desiderii affectu, ut eos, quos vivos amavimus ac coluimus, in ipsis illis locis, ubi eorum memoria succurrit, requiramus et quasi exspectemus.

Lateris dolore consumtus est) Guelferb. B, C, ut Victor. *est lateris dolore consumtus*, sonantius decurrente periodi clausula.

* *Lateris dolore*) Πλευρῖτιν appellant Graeci inflammationem membranae, quae costas succingit, ortam ex contentione. Pavst.

Contentiones) Sic etiam Guelf. A, B, C. Nec opus est optimam lectionem, ut Ernestio visum, in *cogitationes* mutare; etsi *inanes cogitationes* orat. pro Mil. cap. 34 occurrunt.

* *Quae in medio spatio saepe franguntur, et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt*) Eadem res duabus allegoriis illustrata, altera a stadio, altera a navigatione petita. In Guelf. B, C est: *aut ante in ipso cursu* etc. Quod si placeat, diversam utriusque allegoriae vim et sensum dicas, ut prior impedita tantum consilia, posterior autem prorsus perversa designet.

Districta) Guelf. A, *distracta*.

* *Aut reip. dignitate*) i. e. ut recte Ernesti interpretatur, dignitate e rep. bene gesta.

* *Ab honorum perfunctione*) L. Licin. Crassus Cos. fuerat A. V. C. 658. Procos. in Gallia A. V. C. 659. Censor cum Domitio Ahenobarbo A. V. C. 660 et sq. Itaque annus 662 primus erat a perfunctione honorum omnium, non, ut Ernesti, memoria lapsus, scripsit, a consulatu. Cf. Sigon. in Fast. ad a. 661.

* *Vidit flagrantem bello Italiam*) Bellum sociale intelligit, de quo Appianus lib. I de Bell. civilibus, et alii. Concitatum autem est pos;

non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non exsilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum eius caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria praestitisset.

3. Sed quoniam attigi cogitatione vim varietatemque fortunae, non vagabitur oratio mea longius, atque eis fere ipsis definietur viris, qui hoc sermone, quem referre coepimus, continentur. Quis enim non iure beatam L. Crassi mortem illam, quae est a multis saepe

Drusi mortem, quoniam Latini socii oblatam sibi spem civitatis impetrare non poterant. PETAV.

* *Non ardentem invidia senatum*) Quanam invidia? eiusdem, opinor, criminis, quod scelus nefarium subinde vocat. Sollicitati scilicet ad defectionem Latini nominis. De quo ita Appianus: Sublato per insidias Druso, qui Latinos ad spem civitatis impulerat, equites, ut senatum ulciscerentur, Q. Valerium, vel potius, ut Latini scriptores appellant, Varium, tribunum plebis subornant, qui rogationem ferret ad populum de iis, quorum ope et consilio Latini socii concitati essent: (in quo lapsus est Strebaeus, qui quaestionem illam contra Italos exercendam fuisse dicit) qua per vim lege lata, constitutaque quaestione, multis statim ex senatoribus diem dixerunt. Quam ut infamiam fugerent, sponte urbe cessere plerique, interque alios Aurelius Cotta, et eversor ille Corinthi Mummius. Nisi forte aberravit in hoc quoque vocabulo Appianus, atque ut antea Valerium Vario, ita hic Memmio substituit Mummium. Facti mox populum poenituit. Ὁ τε δῆμος ἤχθετο, τοιῶνδε καὶ τοσῶνδε εἰργασμένων ἀνδρῶν ἀθρόως ἀφαιρούμενος. Vbi pro τοσῶν corrigendum videtur τόσα, ut stet sententia. Populus vero dolebat, talibus viris, quique tantas res egerant, simul omnibus spoliatus. IDEM.

* *Non luctum filiae*) Nempe luctum filiae Liciniae, quae P. Scipioni Nasicae nupserat, ob maritum exsilio multatum.

* *C. Marii fugam*) Mithridatici belli gerendi provinciam Syllae ereptam in se transtulit Marius, ope C. Sulpicii tribuni plebis. Graviter id tulit Sylla, urbeque occupata occidit Sulpicium, Marium in fugam compulit; paulo post rediit Marius, totamque urbem rapinis ac caedibus foedavit, anno V. C. 666, ante Christum 88 (Plutarchus, Appianus, Florus, etc.). PETAV.

Atque eis fere ipsis definietur viris) Guelf. B, C, *atque is fere ipsis definietur viris.*

Referre coepimus) Guelf. A, *referre suscepimus.*

defleta, dixerit, quum horum ipsorum sit, qui tum cum illo postremum fere colloquuti sunt, eventum recordatus? Tenemus enim memoria, Q. Catulum, virum omni laude praestantem, quum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur, esse coactum, ut vita se ipse privaret. Iam M. Antonii in his ipsis rostris, in quibus ille rempublicam constantissime consul defenderat, quaeque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita servata. Neque vero

* *Tenemus enim memoria*) Clarissimorum deinceps hominum necem atrocissimam proponit: eorum dumtaxat, qui in hoc dialugo inducuutur. In primis Catuli, qui Marii in consulatu collega, Cimbrici triumphi particeps fuit. In illa vero Mariana flamma multis nequidquam mortem illius deprecantibus, quum hoc solum Marius responderet, moriendum illi esse; recenti calce illito, multoque igni percalefactu cubiculu se inclusum peremit. Haec Valerius lib. IX, cap. 12., praeter supra citatos auctores. PETAV.

* *Vt vita se ipse privaret*) Q. Catuli mortem ut minime vulgarem Valerius Maximus refert lib. IX, cap. 12: *A Mario propter civiles dissensiones mori iussus, recenti calce illito, multoque igni percalefacto, cubiculo se inclusum peremit: cuius tam dira necessitas maximus Marianae gloriae rubor exstitit.* Idem tradit Appianus lib. I. Bellur civil. Tamen ignis haustu sese ludibrio hostium exemisse tradit Florus lib. III, cap. 21. PRVST.

* *M. Antonii*) Marius et Cinná urba putiti satallites ad Antonium occidendum submisere, qui eius eloquentia deliniti districtos gladios vaginis reddiderant: cum iis digressis Antonius crudele imperium anno V. C. 667, ante Christum 87 truculento ministerio peregit (Valer. Max. lib. VIII, cap. 9, Appian. Plutarch. *etc.*). IDEM.

* *Iam M. Antonii in his ipsis rostris*) De huius obitu adeundi iidem. Auget autem πάθος s loco. Huc facit illud Iuvenalis Sat. X, 121: — — *Nec unquam Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.* PETAV.

* *Manubiis*) *Manubiae appellatae sunt pecunia a quaestore ex venditione praedae redacta.* Gellius lib. XIII, cap. 24. PRVST.

* *Neque vero longe ab eo C. Iulii caput, hospiti Etrusci etc.*) Eodem tempore duo fratres C. et L. Iulii Caesares Syllam secuti, in via deprehensi trucidantur. Auctor est Appianus. Fugerant in tectum hospitis sui natione Etrusci, et humini perfido se commiserant. Detexit hospites, capita amputata, a Mariu in rostris posita. Locus, scelus hospitiia, fratrum communis calamitas hic ciet affectum. Sunt qui L. Caesarem domi interfectum ferant; quibus consonat illud Iustini; *Caesar et Fimbria in pena-*

longe ab eo C. Iulii caput, hospitis Etrusci scelere proditum, cum L. Iulii fratris capite iacuit, ut ille, qui haec non vidit, et vixisse cum republica pariter, et cum illa simul exstinctus esse videatur. Neque enim propinquum suum, maximi animi virum, P. Crassum, suapte interfectum manu, neque collegae sui, pontificis maximi, sanguine simulacrum Vestae respersum esse vidit; cui moerori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis, inimicissimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuisset. Non vidit eorum ipsorum, qui tum adolescentes Crasso se dicarant, horribiles miserosque casus. Ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus

tibus domorum suarum trucidantur. Streb.

Qui haec non vidit) Ernestio potius visum *viderit.*

* *Neque enim propinquum*) *Crassus*, inquit Appianus, *persequentibus cum filio sese militibus, filium quidem occidare antevertit: ipse vero ab insequentibus est occisus.* Videtur tamen falsus Appianus; vel quia de tanto viro nimium est atrox illud: vel quia nulla huius rei a Cicerone facta mentio est, quod certo, ad augendum πάθος, non erat omissurus; vel denique quoniam contrarium a Floro traditur. In primis lib. III, c. 21, Crassos patrem et filium in mutuo alterum alterius adspectu occisos ait. Sed idem, Epitome lib. LXXX: *Crassus*, inquit, *filius ab equitibus Fimbriae interemptus. Pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit*: quod postremum et verisimilius est, et Ciceroni consentaneum. Streb.

* *Neque collegae sui, pontificis*) Mucium Scaevolam intellige, qui a Mario iuniore caesus est: de quo Florus lib. III, cap. 21. Petav.

* *Vestae*) Quae fuit Saturni filia ex Ope: Vestae colendae dabant operam virgines, quibus credita erat cura ignis perpetui fovendi. Eius nomen Cicero I de Nat. Deor. derivat ἀπὸ τῆς ἑστίας, *a foco.* Paust.

Respersum esse) Melius fuerit *esse* cum Lambino delere.

* *Etiam C. Carbonis, inimicissimi*) Marianorum hic signifer ex Africa a Pompeio Romam ductus, et pro tribunali productus, quum ter consulatum gessisset, damnatus ab eodem est. Petav.

* *Ex quibus C. Cotta*) Hic in gravi illa senatorum invidia ab equitibus concitata, die sibi dicta, postquam in equites gravissima esset invectus, solum vertit. Sulpicius vero tribunus plebis fuit turbulentissimus, qui nefarias leges in gratiam Marii per vim tulerat, primoque adventu in urbem Syllae est interfectus. Meminerunt supra dicti auctores. Idem.

* *Depulsus per invidiam tribunatu*) h. e. repulsa a tribunatu, quem pe-

per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate. Sulpicius autem, qui in eadem invidiae flamma fuisset, quibuscum privatus coniunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate; cui quidem ad summam gloriam eloquentiae efflorescenti, ferro erepta vita est, et poena temeritatis non sine magno reipublicae malo constituta. Ego vero te, Crasse, cum vitae flore, tum mortis opportunitate, divino consilio et ortum et exstinctum esse arbitror. Nam tibi aut, pro virtute animi constantiaque tua, civilis ferri subeunda fuit crudelitas; aut, si qua te fortuna ab atrocitate mortis vindicasset, eadem esse te funerum patriae spectatorem coëgisset; neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam, propter admistam civium caedem, bonorum victoria moerori fuisset.

4. Mihi quidem, Quinte frater, et eorum casus, de quibus ante dixi, et ea, quae nosmetipsi ob amorem in rempublicam incredibilem et singularem pertulimus ac sensimus, cogitanti, sententia saepe tua vera ac sapiens videri solet, qui propter tot, tantos, tamque praecipites casus clarissimorum hominum atque optimorum

tebat, exclusus, non a tribunatu, quem iam gesserat, deiectus, ut Pearcius putabat.

Efflorescenti) Recepimus hoc auctore Ernestio, pro vulg. *florescenti*, quod habent quoque Guelf. A, B.

* *Non sine magno reip. malo*) Sulpicius tribunus plebis Syllae infensus leges in gratiam Marii tulerat. Sylla cum exercitu Romam, ex qua paulo ante fugerat, reversus occupavit. Sulpicius quidem in fuga occisus est, at elapsus Marius, et ex Africa revocatus, annitente Cinna consule Syllanos vicissim proscripsit, et quos sibi senserat infestos, incredibili reip. detrimento trucidari iussit. (Plutarchus, Florus etc.) PAVST.

Cum vitae flore) Gu. A, *tum vitae flore*, h. l. fortasse verius.

Subeunda fuit) A Lambin. *fuit subeunda.*

* *Vera ac sapiens*) Huic fratris sententiae non semper Cicero adhaesit: quanto sibi steterit cum Antonio dimicasse, vidit, sed serius, quum ab eius satellitibus obtruncatus est. PAVST.

Clarissimorum hominum atque optimorum virorum) Guelf. B, *clarissimorum virorum atque optimorum hominum.* Fortasse Cicero scripsit;

virorum me semper ab omni contentione ac dimicatione revocasti. Sed quoniam haec iam neque in integro nobis esse possunt, et summi labores nostri, magna compensata gloria mitigantur; pergamus ad ea solatia, quae non modo sedatis molestiis iucunda, sed etiam haerentibus salutaria nobis esse possunt; sermonemque L. Crassi reliquum ac paene postremum memoriae prodamus; atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio, meritam gratiam debitamque referamus. Neque enim quisquam nostrum, quum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur, non, quamquam illa scripta sunt divinitus, tamen maius quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur. Quod item nos postulamus non a te quidem, qui nobis omnia summa tribuis, sed a ceteris, qui haec in manus sument, ut maius quiddam de L. Crasso, quam quantum a nobis exprimetur, suspicentur. Nos enim, qui ipsi sermoni non interfuissemus, et quibus C. Cotta tantummodo locos ac sententias huius disputationis tradidisset, quo in genere orationis utrumque oratorem cognoveramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. Quod si quis erit, qui ductus opinione vulgi, aut Antonium ieiuniorem, aut Crassum pleniorem fuisse putet, quam quomodo a nobis uterque inductus est, is erit ex iis, qui aut illos non audierint, aut iudicare

clarissimorum atque optimorum virorum. Sic I, 45, *amplissimus quisque et clarissimis vir.*

Qui nobis omnia summa tribuis) Sic edd. vett. MSS. complures a Pearcio collati, it. cod. Erl. probantibus Lambino, Pearcio, Ernestio. Alii *qui nobis summa omnia tribuis.*

Audierint — possint) Recte hoc ex MS. Cant. praetulit Pearcius vulg. *audierit — possit*, quod ratio grammatica non patitur, quum haec verba referantur ad antecedens *ex iis qui.* MSS. Guelf. A, B, C tamen consentiunt cum vulgata; quae defendi possit, si Cicero scripserit: *is erit, qui aut illos non audierit, aut iudicare non possit.*

non possint. Nam fuit uterque (ut exposui antea) quum studio atque ingenio et doctrina praestans omnibus, tum in suo genere perfectus, ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret.

5. Vt igitur ante meridiem discesserunt, paululumque requierunt, in primis hoc a se Cotta animadversum esse dicebat, omne illud tempus meridianum Crassum in acerrima atque attentissima cogitatione posuisse, seseque, qui vultum eius, quum ei dicendum esset, obtutumque oculorum in cogitando probe nosset, atque in maximis causis saepe vidisset, tum dedita opera, quiescentibus aliis, in eam exhedram venisse, in qua Crassus lectulo posito recubuisset, quumque eum in cogitando defixum esse sensisset, statim recessisse, atque in eo silentio duas horas fere esse consumtas. Deinde quum omnes, inclinato iam in pomeridianum tempus die, venissent ad Crassum, Quid est, Crasse, inquit Iulius, imusne sessum? etsi admonitum venimus te, non flagitatum.

Tum Crassus: An me tam impudentem esse existimatis, ut vobis hoc praesertim munus putem diutius posse debere?

Quum studio atque ingenio) Guelf. A, *quum studio et ingenio*.

Hic ornatus) Guelf. A *ornatus* sine pronomine demonstrativo.

* *Exhedram*) Id est locum tricliuio et coenaculo similem: ubi non lecti ad dormiendum, sed sedes aut cathedrae ad sedendum, vel recumbendum otii causa apponerentur. De *exhedris* sic Vitruvius lib. V, cap. 11: *Constituantur in tribus porticibus exhedrae spatiosae, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedere possint*. Pearc.

* *Pomeridianum*) Ita Pearcius edidit, veteres plerasque edd. secutus, praecipue vero Ciceronis ipsius auctoritate ductus, qui Orat. cap. 47, *pomeridianas*, inquit, *quadrigas libentius dixerim, quam postmeridianas*.

Posse debere) Pearcius cum edit. Asceus. mavult *posse deberi*. Vulgata tamen non deterior, intellecto *me* ex iis, quae proxime antecedunt.

Quinam igitur, inquit ille, locus? an in media silva placet? Est enim is maxime et opacus et frigidus.

Sane, inquit Crassus. Etenim est in eo loco sedes huic nostro non inopportuna sermoni.

Quum placuisset idem ceteris, in silvam venitur, et ibi magna cum audiendi exspectatione consedit.

6. Tum Crassus, Quum auctoritas atque amicitia vestra, tum Antonii facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea causa libertatem recusandi; quamquam in partienda disputatione nostra, quum sibi de iis, quae dici ab oratore oporteret, sumeret, mihi autem relinqueret, ut explicarem, quemadmodum illa ornari oporteret: ea divisit, quae seiuncta esse non possunt. Nam quum omnis ex re atque verbis constet oratio, neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba removeris. Ac mihi quidem veteres illi, maius quiddam animo complexi, multo plus etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest; qui omnia haec, quae supra et subter, unum esse, et una vi atque una consensione naturae constricta esse dixerunt. Nullum est enim genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut, quo cetera si careant, vim suam atque aeternitatem conservare possint. Sed si haec maior esse

Quum sibi de iis, quae dici ab oratore oporteret, sumeret) Haud scio an legendum sit, *dicendum* vel *disserendum sumeret.*

* *Neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba semoveris*) Iniuria delendum censuit Lambinus verbum *subtraxeris*: recte enim dicitur res verbis, sicut sella sedentibus, subtrahi, quia verba sedem habent in rebus: contra, ut lumen semoveri solet, eleganter dicitur res lumen habere non posse, si verba semoveris.

* *Quae supra et subter, unum esse*) Quo refertur illud Platonis in Timaeo: Πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν προσειρήκαμεν, ἢ πολλοὺς καὶ ἀπείρους λέγειν ἦν ὀρθότερον; ἕνα, εἴπερ κατὰ τὸ παράδειγμα δεδημιουργημένος ἐστί. *An igitur recte unum mundum diximus, an plures et innumerabiles dicere rectius est? Unum certe dixero, si quidem ad exemplar factus est.* Pryst.

* *Sed si haec maior ratio videtur*)

ratio videtur, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi: est etiam illa Platonis vera, et tibi, Catule, certe non inaudita vox: Omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam

« Vulgo deest *si*, sed illo exsulante, quid vitiosius excogitari posset hac sententia? Quid menti Crassi magis contrarium? loquitur enim de quadam consensione inter se omnium partium naturae; hanc consensionem dicit maius quiddam videri, quam ut ab hominibus comprehendi possit Sed cap. 5 dixerat, veteres istam consensionem animo complexos fuisse. Quid igitur tam dissimile est, quam verba Crassi in hoc et priore capite? Editiones Gryphii, Steph. Ascens. et Strebaei, it. MSS. Bod. Norf. Bal. Mag. Nov. Mead. et Harl. 2 istud *si* recte exhibent (Accedunt Guelf. B, C). Crassus hic concedere videtur id, quod ipse sentit concedendum non esse, ut ad aliquid, quod magis inter omnes constet, delabatur, et sub finem huius sententiae iterum iisdem verbis utitur: *Sed si hoc quoque videtur esse altius, quam ut id nos humi strati suspicere possimus*, *illud certe tamen* etc. Vbi duae res notandae sunt: primum, ista vox *quoque* indicat, eandem loquendi formulam praecessisse, et in hoc loco repetitam esse; deinde post coniunctionem *si* in apodosi sententiae collocatur particula *tamen*. Totum igitur locum sic rescribendum censeo: *sed si haec maior esse ratio videtur, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi, est tamen illa Platonis vera* etc. » Hactenus Pearcius, cui de inserenda particula *si* prorsus assentior: non autem de argumentis, quibus utitur; neque de particula *etiam* in *tamen* mutanda. Cicero enim quum dicit: *sed si haec maior esse ratio videtur, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi*, non de omnibus hominibus, sed de hominibus sui temporis, vel suae nationis loquitur, quos antea *nostra ingenia* appellaverat, quosque veteribus illis opposuerat, quos ait maius quiddam animo complexos, quam quantum illorum ingeniorum acies intueri possit; itaque malim hoc nostro loco scribi: *sed si haec maior esse ratio videtur, quam ut nostrorum hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi*. Eosdem significat, quum paulo post dicit: *Sed si hoc quoque videtur altius, quam ut id nos humi strati suspicere possimus*. Scil. *humi stratos* appellat eos, qui ad sublimem illam Graecorum philosophiam, de una vi atque una consensione naturae, vel saltem de omnium artium inter se consensu mentes erigere haud possent.

* *Est etiam illa Platonis*) Apud Platonem saepius sophistae de rerum natura disputantes, res omnes unum quiddam esse contendunt, ut in Parmenide. Privatim vero quod ad scientias pertinet, affines illas esse, et naturali vinculo constrictas; sapientiamque ex omnibus conflatam tanquam partibus, in Epinomide fusius disserit. PETAV.

Omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium) Guelf. B, *omnem doctrinam et ingenuarum et humanarum artium*, qua in lectione placet illud, quod omittitur *harum*.

societatis vinculo contineri. Vbi enim perspecta vis est rationis eius, qua causae rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. Sed si hoc quoque videtur esse altius, quam ut id nos humi strati suspicere possimus, illud certe tamen, quod amplexi sumus, quod profitemur, quod suscepimus, nosse et tenere debemus. Vna est enim, quod et ego hesterna die dixi, et aliquot locis antemeridiano sermone significavit Antonius, eloquentia, quascunque in oras disputationis regionesve delata est. Nam sive de caeli natura loquitur, sive de terrae, sive de divina vi, sive de humana, sive ex inferiore loco, sive ex aequo, sive ex superiore, sive ut impellat homines, sive ut doceat, sive ut deterreat, sive ut concitet, sive ut reflectat, sive ut incendat, sive ut leniat, sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, sive secum, rivis est diducta oratio, non fontibus; et, quocumque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata. Sed quoniam oppressi iam sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum le-

* *Quod et ego hesterna die dixi*) Lib. I, cap. 14 sqq.

* *Et aliquot locis antemeridiano sermone significavit Antonius*) Vt lib. II, cap. 9 sqq.

* *Sive ex inferiore loco, sive ex aequo, sive ex superiore*) Quod dicit *ex inferiore loco*, intelligendum est de orationibus ad iudices: alterum *ex aequo* de orationibus in senatu; tertium *ex superiore loco* de orationibus in concione ad Quirites habitis.

* *Sive secum*) Haec ab interpolatore potius adiecta, quam a Cicerone profecta esse crediderim. Ridicula certe nobis videtur dicendi forma, *eloquentia secum loquens*; neque vero, etiamsi interdum homo secum ipse loquitur, in huiusmodi soliloquiis cernitur eloquentia omni instructu et ornatu comitata. Omnino tota illa appendicula *sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, sive secum* nescio quid φορτικὸν et molestum habet. Eloquentiae enim regiones iam erant tripliciter distributae, ab argumentis, ab auditoribus, ab effectu, ut iterum in his *sive ad multos* etc. ad auditores rediri minime placeat.

* *Rivis est diducta*) Recte *diducta*, metaphora enim sumta est a divortiis fluminum ex eodem fonte decurrentium. Male igitur edd. nonnullae *deducta*.

viter eruditorum, qui quae complecti tota nequeunt, haec facilius divulsa, et quasi discerpta contrectant; et qui, tanquam ab animo corpus, sic a sententiis verba seiungunt, quorum sine interitu fieri neutrum potest; non suscipiam oratione mea plus, quam mihi imponitur. Tantum significabo brevi, neque verborum ornatum inveniri posse non partis expressisque sententiis, neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum. Sed priusquam illa conor attingere, quibus orationem ornari, atque illuminari putem, proponam breviter, quid sentiam de universo genere dicendi.

7. Natura nulla est, ut mihi videtur, quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. Nam et auribus multa percipimus, quae, etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia saepe, ut id, quod proximum audias, iucundissimum esse videatur; et oculis colliguntur paene innumerabiles voluptates, quae nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent; et reliquos sensus voluptates oblectant dispares, ut sit difficile iudicium excellentis maxime suavitatis. At hoc idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes.

* *Non partis expressisque sententiis*) Vulgo *non partitis*, quod h. l. prorsus alienum est. De partitione hic non agitur, sed de inveniendis rebus, quae verbis exprimantur. Itaque fidenter rescripsi *partis*, quod a vulgata scriptura propius abest, quam Lambini coniectura propositum *repertis*.

* *Natura nulla est*) Generalem disputationem praemittit de eloquentiae et oratorum in dicendo varietate. Summa autem haec est. Quum una eademque sit ars dicendi, admirabilem tamen esse in eadem arte dissimilitudinem, pro eo quod alius alio in genere excellit: quod primo sensuum exemplo probat, qui quum singuli unum quiddam sint, variis tamen rebus afficiuntur, quae natura dispares, delectatione sunt non minus diversae. Idem in fingendi et pingendi arte declarat. PETAV.

* *Consimili laude dignentur*) Diversi colores visum, auditum canora vox sive gravis sive acuta, gustum acria et dulcia, odoratum quam dispares odores perinde fere oblectant. PAVST.

Oblectant) Indicativum e codd.

Vna fingendi est ars, in qua praestantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus; qui omnes inter se dissimiles fuerunt; sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Vna est ars ratioque picturae, dissimillimi tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, et tamen verum: quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quae quum in iisdem sententiis verbisque versetur, summas habet dissimilitudines; non sic, ut alii vituperandi sint, sed ut ii, quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in poëtis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius Acciusque dissimiles; quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur. Adspicite nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quaerimus,

MSS. Pearcius et Ernestius recte pro vulg. *oblectent* restituerunt. Sic enim postulat consecutio verborum *vocibus delectant — colliguntur.*

* *Myro, Polycletus, Lysippus*) Operae pretium est videre quemadmodum eundem locum tractet Quintilianus lib. XII, cap. 10, quaeque de statuariis habet Plinius lib. XXXV cap. 9, ubi prolixe admodum insignium sculptorum meminit. Pet.

Dissimillimique tamen) Malim *dissimillimi* abscissa copula.

Non sic, ut alii vituperandi sint) Lambinus emendavit: *non sic ut alii laudandi, alii vituperandi sint.* Pearcius, vel: *non sic, ut aliqui vituperandi sint*, vel: *sic, ut ulli.* In quibus *ulli* minime est admittendum. Vtrum verior sit Lambini ratio, an Pearcianum *aliqui*, non decerno. Alterutrum certe ad sensum necessarium esse video.

**Aeschylus*) Poëta tragicus, Olymp. 71, annis ante Christum 496, floruit Athenis, illiusque Cynegiri frater fuit, qui in pugna Marathonia incredibili fortitudine certavit, quocum et Aeschylus in acie stetit. Postea quum praedictae sibi ruinae metu in aperto loco consideret, casu testudinis, quam ex aëre demisit aquila, comminutis cervicibus, interiit aetatis anno 58. (*Suidas*) Pvst.

* *Sophocles*) Atheniensis, natus est anno II Olymp. 71, ante Christum 495. Fabulas scripsit centum viginti tres, et vicies quater victoriam reportavit. A Cicerone divinus poëta dicitur. Id,

quid intersit inter oratorum studia atque naturas. Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cuiusquam nisi sui similis? Gravitatem Africanus, lenitatem Laelius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo et canorum. Quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere princeps.

8. Sed quid ego vetera conquiram, quum mihi liceat uti praesentibus exemplis atque vivis? Quid iucundius auribus nostris unquam accidit huius oratione Catuli? quae est pura sic, ut latine loqui paene solus videatur; sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas ac lepos. Quid multa? istum audiens equidem sic iudicare soleo, quidquid aut addideris, aut mutaveris, aut detraxeris, vitiosius et deterius futurum. Quid? noster hic Caesar nonne novam quandam rationem attulit orationis, et dicendi genus induxit prope singulare? Quis umquam res, praeter hunc, tragicas paene comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scenica prope venustate tractavit; atque ita, ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur? Ecce praesentes duo prope aequales, Sulpicius

Istum audiens equidem) Abest *equidem* Guelf. C.

Quis unquam res, praeter hunc, tragicas paene comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scenica prope venustate tractavit) Interpolatori cuidam deberi suspiceris verba *tragicas paene comice*, nisi Ciceronem aestu cupiditatis rem exaggerandi abreptum dicas; quum enim deinde sequatur *scenica venustas*, quae non est nisi *comica*, vix tautologiae culpam scriptor effugisse videatur. Et profecto *tragicas res paene comice dicere* h. l. vix est eiusmodi, ut in lauda ponendum sit. Attamen ista verba iam Nonius Marcellus legit c. 11, ubi h. l. sic exscripsit: *Quis unquam res, praeter hunc, tragicas paene comice, tristes remisse, serias hilare* etc.

Tristes remisse, severas hilare) Pearcio placebat transpositio, quam suaserat amicus: *tristes hilare, severas remisse.* Vulgatum tamen haud deterius esse monuit Ernestius.

et Cotta. Quid tam inter se dissimile? quid tam in suo genere praestans? Limatus alter et subtilis, rem explicans propriis aptisque verbis. Haeret in causa semper, et, quid iudici probandum sit, quum acutissime vidit, omissis ceteris argumentis, in eo mentem orationemque defigit. Sulpicius autem fortissimo quodam animi impetu, plenissima et maxima voce, summa contentione corporis, et dignitate motus, verborum quoque ea gravitate et copia est, ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.

9. Ad nosmetipsos iam revertor (quoniam sic fuimus semper comparati, ut hominum sermonibus quasi in aliquod contentionis iudicium vocaremur): quid tam

* *Quid tam dissimile — in comparatione coniungar*) Lambinus h. l. sic refingendum censebat: *quid tam dissimile, quam ego in dicendo et Antonius? quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse praestantius, ego* (*quamquam memet mei poenitet*) *cum hoc tamen maxime in comparatione coniungor*; Pearcius vero: *quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse praestantius, ego autem — quamquam memet mei poenitet, cum hoc maxime tamen in comparatione coniungor*; quasi post *ego autem* suppressis quibusdam a Crasso verbis. Ernesti transpositionem a librariis factam esse putabat hoc modo reformandam: *quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse praestantius, ego, quamquam me méi poenitet, cum hoc maxime tamen in comparatione coniungar. Quid tam dissimile, quam ego in dicendo et Antonius?* At hac transpositione tantum abest ut proficiamus aliquid, ut potins orationem scabritia quadam augeamus. Cui haec placeat enim verborum continuatio: *quoniam sic fuimus semper comparati, ut — vocamur; quum ille — ego autem — cum hoc — in comparatione coniungar.* Quasi tu dicas: *comparati sumus, quum compararemur.* Sana potius hic sunt omnia, nec ullam locus mutationem desiderat. Cicero Crassi et Antonii exemplo docere volebat, oratores inter se dispares tamen, quum sint in suo genere perfecti, similiter laudari. Quaerentem igitur facit Crassum: *Quid tam dissimile, quam ego in dicendo et Antonius?* Iam addere debebat hanc sententiam: *et tamen uterque in suo genere perfectus* (ut paulo ante de Sulpicio et Cotta: *quid tam inter se dissimile? quid tam in suo genere praestans?*). Illam igitur sententiam, ne ambitiosius Crassus se ipsum laudaret, sed potius verecundius se ad Antonium demitteret, ita exprimit: *quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse praestantius, ego autem, quamquam me mei poenitet, cum hoc maxime tamen in comparatione coniungar*.

dissimile, quam ego in dicendo, et Antonius? Quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse praestantius; ego autem, quamquam memet mei poenitet, cum hoc maxime tamen in comparatione coniungar. Videtisne, genus hoc quod sit Antonii? forte, vehemens, commotum in agendo, praemunitum, et ex omni parte causae septum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans, honeste cedens, acriter insequens, terrens, supplicans, summa orationis varietate, nulla nostrarum aurium satietate. Nos autem, quicunque in dicendo sumus (quoniam esse aliquo in numero vobis videmur), certe tamen ab huius multum genere distamus: quod quale sit, non est meum dicere, propterea quod minime sibi quisque notus est, et difficillime de se quisque sentit; sed tamen dissimilitudo intelligi potest, et ex motus mei mediocritate, et ex eo, quod, quibus vestigiis primum institi, in iis fere soleo perorare; et quod aliquanto me maior in verbis, quam in sententiis eligendis

Et quod aliquanto me maior in verbis, quam in sententiis eligendis labor et cura torquet) A glossatoris manu inculcata opinor verba *quam in sententiis*, scilicet qui vellet explicare vim comparativi *maior*, nesciretque hunc referri ad Antonium, q. d, *et quod aliquanto me maior*, quam Antonium, *in verbis eligendis labor et cura torquet.* Apud Antonium enim, ut Cicero testatur in Bruto c. 37, *verba ipsa arant, non illa quidem elegantissimo sermone; itaque diligenter loquendi laude caruit; neque tamen est admodum inquinate loquutus, sed illa* (laude caruit), *quae propria laus oratoris est in verbis.* In Crasso vero laudabatur (ibid. cap. 38) *latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia;* idem erat (cap. 43) *et perornatus et perbrevis.* Crassus igitur urbanissime non solum post verba *me aliquanto maior* non addit *quam Antonium*, ne eum vituperare videatur, sed etiam laudem suam diligentioris verborum delectus sic extenuat hac forma loquendi *me cura et labor torquet*, ut eam paene in vitio ponere videatur. Ceterum h. l. interpolatorum sedulitas vel hoc indicio se prodit, quod edd. ante Aldum post *deligendis* addunt *quam eum*; ed. s. l. et a. et Lips. *quam Antónium.* Neque vero Crassus dicere poterat, se *sententiarum delectum* negligere; fuisset enim ridiculum, inanes aut futiles sententias lectissimis verbis exprimere velle.

labor et cura torquet, verentem, ne, si paulo obsoletior fuerit oratio, non digna exspectatione et silentio fuisse videatur. Quod si in nobis, qui adsumus, tantae dissimilitudines, tam certae res cuiusque propriae, et in ea varietate fere melius a deteriore, facultate magis quam genere, distinguitur, atque omne laudatur, quod in suo genere perfectum est: quid censetis, si omnes, qui ubique sunt, aut fuerunt oratores, amplecti voluerimus, nonne fore, ut, quot oratores, totidem paene reperiantur genera dicendi? Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, si paene innumerabiles sint quasi formae figuraeque dicendi, specie dispares, genere laudabiles: non posse ea, quae inter se discrepant, iisdem praeceptis, atque una institutione formari. Quod non est ita; diligentissimeque hoc est eis, qui instituunt aliquos, atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi ludo summorum in suo cuiusque genere

* *Ne, si paulo obsoletior fuerit oratio*) h. e. non satis exquisita et ornata.

Tantae dissimilitudines) Ernesti vel addendum, vel intelligendum esse monet *sunt.* Neutrum opus esse videtur, sed ἀπὸ τοῦ κοινοῦ huc quoque referendum *distinguitur* ex iis, quae proxime sequuntur.

* *Tam certae res cuiusque propriae*) h. e. tam indubitatum, singulorum oratorum singulas proprietates esse.

* *Et in ea varietate fere melius a deteriore, facultate magis quam genere, distinguitur*) Sensus est: Quum dicimus, alium oratorem meliorem esse, alium deteriorem, eo indicio non significamus, illius oratoris genus dicendi potius esse quam huius: in dispari enim genere possunt esse aeque laudabiles: sed intelligi volumus, illum oratorem facultate excellere, i. e. plus in suo genere valere, quam hunc in eo, quod sibi proprium habet. PEARC.

* *Vt, quot oratores*) Scil. perfecti, et in suo genere laudabiles. Nam de malis hic non agitur.

Discrepant) Ernesti scribere nos iubet *discrepent.* Vtrique hic, sed diversa ratione, locus est.

In una institutione) Suadente Schützio, praepositionem delevi cum Lamb. Steph. Gryph. Streb. aliisque. ED. TAVR.

Aliquos) Ernestio melius videbatur *alios*, quod tamen non est necessarium.

* *Ex eodem quasi ludo*) Ambiguum est, cur hoc loco *quasi* posue-

artificum et magistrorum exisse discipulos, dissimiles inter se, attamen laudandos, quum ad cuiusque naturam institutio doctoris accommodaretur. Cuius est vel maxime insigne illud exemplum (ut ceteras artes omittamus), quod dicebat Isocrates, doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere. Alterum enim, exsultantem verborum audacia, reprimebat, alterum, cunctantem et quasi verecundantem, incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod utriusque natura pateretur.

Haec eo mihi praedicenda fuerunt, ut, si non omnia, quae proponerentur a me, ad omnium vestrum studium, et ad genus id, quod quisque vestrum in dicendo probaret, adhaerescerent, id a me genus exprimi sentiretis, quod maxime mihi ipsi probaretur.

10. Ergo haec et agenda sunt ab oratore, quae explicavit Antonius, et dicenda quodam modo. Quinam igitur *dicendi* est *modus* melior (nam de actione post videro), quam ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcunque agetur, apte congruenterque dicamus?

xit Cicero, quo solet uti ad molliendam metaphoram paulo audaciorem. Supra autem lib. II, cap. 22 simpliciter dixerat *cuius e ludo — meri principes exierunt*. Itaque vel delendum opinor *quasi*; vel ad *eodem*, non ad *ludo*, referendum. Nempe ludus dicitur *quasi idem*, quum discipuli non uno eodemque tempore, sed alius post alium ab eodem magistro erudiuntur.

Neque eos similes effecit inter se) Guelf. B, *neque eos inter se similes effecit*.

* *Alteri affinxit*) Ephoro tardiori Isocrates magister stimulos admovebat, addebat aliquid, pictoris instar, qui additis ex arte coloribus tabulam perficit: contra, Theopompum animis iuveniliter exsultantem frenis coercebat, ipsi detrahebat aliquid, ut statuarius dum materiam informem deradendo expolit, simulacrum fabricatur. Pʀᴠsᴛ.

* *Ut plane*) h. e. quod post dicitur *dilucide*, sicut *latine dicere* idem est, quod statim dicit *pure*.

Atque eorum quidem, quae duo prima dixi, rationem non arbitror exspectari a me, puri dilucidique sermonis. Neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui nesciat; nec sperare, qui latine non possit, hunc ornate esse dicturum; neque vero, qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur haec, quae cognitionem habent facilem, usum necessarium. Nam alterum traditur literis, doctrinaque puerili; alterum adhibetur ob eam causam, ut intelligatur, quid quisque dicat; quod videmus ita esse necessarium, ut tamen eo minus nihil esse possit. Sed omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus et poëtis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes prope praeclare loquuti, quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem, poterunt loqui, nisi latine. Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce,

Dicere eum docere) Vulg. *docere eum dicere*. Verum in oppositione verborum *qui loqui nesciat*, necesse est *dicere* priorem locum obtineat. — Non opus est hac transpositione. Ed. T.

Nec sperare) Lambinus corrigebat *nec speramus*.

* *Nam alterum*) Nempe quomodo pure s. latine loquamur.

* *Traditur literis*) i. e. arte grammatica. Sic paulo post *scientia literarum*.

* *Loquendi elegantia*) Id h. l. nihil aliud significat, quam puritatem latini sermonis.

* *Tamen augetur legendis oratoribus et poëtis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes prope praeclare loquuti.*) Aut scripsit Cicero, aut scribere saltem debuit: *tamen augetur legendis veteribus oratoribus et poetis. Sunt enim illi, qui ornare nondum poterant* — Apertum enim est, eum hic veteres tantum poëtas et oratores commendare ad puritatem latini sermonis discendam; non promiscue omnes eosque recentiores, quorum erant, qui inquinate loquerentur. Suspicor *veteres* primum post *illi* e glossa fluxisse, quae deinde veram lectionem *veteribus* post *augetur legendis*, ut saepe factum, expulerit. Et paulo post Cicero dicit: *is qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus.*

* *Praeclare loquuti*) i. e. pure et latine.

quod ostendam: sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur, is, qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus.

11. Atque, ut latine loquamur, non solum videndum est, ut et verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat; et ea sic et casibus, et temporibus, et genere, et numero conseramus, ut ne quid perturbatum, ac discrepans, aut praeposterum sit: sed etiam lingua, et spiritus, et vocis sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius; nolo verba exiliter animata exire, nolo inflata, et quasi anhelata gravius. Nam de voce nondum ea dico, quae sunt actionis; sed hoc, quod mihi cum sermone quasi coniunctum videtur. Sunt enim certa vitia, quae nemo est, quin effugere cupiat: mollis vox, ut muliebris, aut quasi extra modum absona atqua ab-

Quod ostendam) Haec verba non iniuria offenderunt Ernestium. Cur enim hoc Cicero adderet, qui etsi eandem rem infra cap. 38 attingit, paucis tamen verbis perstringit. Equidem opinor a grammatico addita fuisse, qui lectorem ad cap. 38 ablegare vellet.

Lectissimis ut utatur, is, qui) Lamb. *lectissimis ut utatur iis, qui.*

* *Conseramus*) Sic emendandum duxi vulg. *consęremus*, quod minime est h. l. aptum. Cicero loquitur primum de recto usu simplicium verborum: deinde de vera et iusta verborum constructione, postulatque ut ea sic casibus, et temporibus, et genere, et numero conseramus, i. e. iungamus et construamus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit.

Exiliter animata) Sic necessario scribendum erat, pro vulg. *exiliter* *exanimata*, quod mirum est neminem ante Ernestium observasse.

* *Exiliter animata*) Qualia sunt eorum qui, ut loquar cum Persio: — *Tenero supplantant verba palato.* Pr.

* *Anhelata*) Catullus lepide ridet nescio quem Arium hoc vitio laborantem, qui *Chommoda dicebat, si quando commoda vellet dicere, et hinsidias Arius insidias*, etc. Idem.

Mollis vox ut muliebris) Quaedam edd. *mollis vox atque muliebris;* unde forsan legere aliquis malit: *mollis vox et muliebris*, quemadmodum Quintil. XI, 3, 32, *vocem mollem, effeminatam* deinceps ponit.

* *Aut quasi extra modum absona atque absurda*) Cave ne *modum* hic vel pro *ratione*, vel pro *mensura* accipias; utrobique enim inepte adderetur *quasi;* sed metaphora hic petita est a musicorum modis, et vox absona atque absurda dicitur

surda. Est autem vitium, quod nonnulli de industria consectantur. Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur; ut tuus, Catule, sodalis L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguae, sonoque vocis agresti; et illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum. Me autem tuus sonus et suavitas ista delectat; omitto verborum, quamquam est caput; verum id affert ratio, docent literae, confirmat consuetudo et legendi et loquendi; sed hanc dico suavitatem, quae exit ex ore: quae quidem, ut apud Graecos, Atticorum, sic, in latino sermone, huius est ur-

quasi abhorrere ab omnibus modis, quales sunt vocum in cantibus; (*una voce rauca, ingrata, nella quale, per così dire, punto havvi di musica.*)

* *Sodalis, L. Cotta*) Non ille intelligendus est, qui his in libris inducitur, sed alius, de quo mentio est in Bruto cap. 36. PETAV.

* *Gravitate linguae*) « Si vera est haec lectio, per *gravitatem linguae* intelligendum est id, quod contrarium est *linguae solutioni* (de qua noster lib. I, cap. 25). Interim vereor, ut haec lectio defendi possit; nullibi enim apud Ciceronem reperio *gravitatem*, quum ad dicendum refertur, non laudandi gratia usurpari; suspicor igitur legendum *pravitate linguae*. Crassus enim istud vocis vitium, quod hic in L. Cotta culpat, sic exprimit cap. sequenti, *cuius tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris*; et lib. II, cap. 22, haec noster coniungit, *oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur*. Cui addi debet illud Quintil. Inst. Or. lib. I, cap. 1: *multa linguae vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur*. » Hactenus Pearcius, qui apte quidem hic legi posse *pravitatem linguae*, bene demonstravit, necessario sic legendum esse nobis haud persuasit. Est autem *gravitas linguae* h. l. idem quod asperitas et rusticitas in exprimendis vocalibus, diciturque *gravitas linguae* eodem modo, quo *gravitas odoris*. Neque vero hic opponitur linguae solutioni, sed suavitati oris, quae vocalium aut omnino literarum sonos non vaste, non aspere, aut latius quam decet exprimit. De eodem L. Cotta Cic. in Bruto cap. 36: *de industria quum verbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico prosequebatur atque imitabatur antiquitatem*.

Verum id affert ratio, docent literae, confirmat consuetudo et legendi et loquendi) Quum *literae* h. l. ut supra cap. 10, significet artem grammaticam, difficile est dicere, quid sit *ratio*; itaque legendum puto: *verum id affert ratio, quam docent literae*; sicut infra de eadem re, *subtilior cognitio et ratio literarum*.

his maxime propria. Athenis iam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis et auctoritate: tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo, facile superabit. Nostri minus student literis, quam Latini. Tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est literarum, nemo est, quin literatissimum togatorum omnium, Q. Vale-

* *Athenis iam diu doctrina*) Ciceronis tempore Athenarum vetus illa gloria conciderat, nec quidquam praeter nomen atque memoriam restabat: regibus primo, Macedoniae praesertim, tum Romanis ipsis affligentibus. Quare peregrini in ea homines philosophiam atque eloquentiam profitebantur: ita tamen ut sola nominis auctoritate adducti, passim ex toto orbe, disciplinarum studio, Athenas navigarent diu etiam post Ciceronis aetatem. Apud Synesium exstat elegans epistola, qua insanem illam curiositatem lepide cavillatur. Sane fuisse Athenis certam quandam, eamque purissimam pronuntiandae linguae Graecae rationem, vel hoc unum indicio est, quod quum Theophrastus, vir alioqui Atticae eloquentiae consectator acerrimus, sed peregrinus, anum alloqueretur, pro hospite facile sit ab ea deprehensus. Idem Romae fuit, quod ad Latinam attinet, pronuntiandi principatus. Petav.

* *Quibus vacant cives*) i. e. quae ipsi Athenienses negligunt.

* *Quibus vacant cives, peregrini fruuntur*) *Quibus* est auferendi casus; et, *vacant cives* est, *vacui sunt*, sive *carent cives*: et, *fruuntur peregrini* opponitur, tanquam contrarium huic verbo, *vacant cives* (Vavassor, *De vi et usu* etc.)

* *Asiaticos*) Oratores ex Caria, Phrygia, et Mysia, quos in Oratore tradit Tullius adscivisse aptum suis auribus opimum quoddam, et tanquam adipatum dictionis genus. Pr.

* *Nostri*) h. e. cives Romani in ipsa urbe nati et educati, quos paulo post *urbanos* vocat.

* *In quibus minimum est literarum*) H. l. *literae* de omnium artium scientia, non de sola artis grammaticae cognitione intelligendum, ita tamen, ut ars grammatica simul comprehendatur. Q. Valerium Soranum enim, quem h. l. literatissimum togatorum omnium vocat, in Bruto cap. 46, ait doctum fuisse *Graecis literis et Latinis*.

* *Quin literatissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum — vincat*) Ernesti in clave Cic. putabat *togatorum* h. l. poni pro *Latinorum*; quod fieri non poterat, quum togati omnes appellarentur cives romani, sive essent Romae nati, sive Latini. Sed togati h. l. opponuntur *tunicato popello*, quem Horatius intelligit Ep.

rium Soranum, lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono facile vincat.

12. Quare quum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum: hanc sequamur; neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. Equidem quum audio socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes, ea tenent semper, quae prima didicerunt); sed eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Naevium videar audire; sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur; ex quo sic loquutum

I, 7, 65. Eundem significat auctor dial. de Oratoribus cap. 7 his verbis: *quos saepius vulgus imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat.* Itaque cum contemtu dicit Crassus *ex istis quos nostis urbanis*, notatque plebeculam Romanam, quae sermone et sapore vernacula facile Latinum hominem Q. Valerium Soranum, qui sit omnium togatorum, vel Romanorum, vel Latinorum civium literatissimus, lenitate vocis et oris pressu facile vincat.

* *Valerium Soranum*) Hunc suspicor eundem esse, qui ob evulgatum arcanum patriae nomen sit interfectus. Plinius lib. III, cap. 10 de Roma urbe loquens: *Cuius nomen dicere arcanis ceremoniarum nefas habetur: optimaque et salutari fide abolitum enunciavit Valerius Soranus, luitque mox poenas. Non alienum videtur hoc loco inserere exemplum religionis antiquae ob hoc maxime silentium institutae. Namque Dea Angerona, cui sacrificatur a. d. 12 Calendas Ianuarias, ore obligato obsignatoque simulacrum habet.* Frustra vero sunt qui nomen illud arcanum Valentiam fuisse putant. Constat enim ex Solino aliud nomen fuisse: apud quem idem quod apud Plinium legimus: nam postquam Romam antea Valentiam dictam meminit, subdit: *Traditur etiam proprium Romae nomen, verumtamen vetitum publicari.* PETAV.

* *Nihil animadverti possit*) H. e. nihil vituperari et tanquam censoria nota insigniri.

* *Facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant*) Videtur hoc sumpsisse ex Cratylo Platonis, in quo scriptum est: Γυναῖκες μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσι. VRSIN.

Vt nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur) Non erat, quod verbum *afferre* Ernestium offenderet; nec opus est *afferre videatur* in *animadvertatur* mutare.

esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter. Quare Cotta noster, cuius tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut *Iota* literam tollas, et *E* plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari.

Hic quum arrisisset ipse Sulpicius, Sic agam vobiscum, inquit Crassus, ut, quoniam me loqui voluistis, aliquid de vestris vitiis audiatis.

Vtinam quidem! inquit ille; id enim ipsum volumus, idque si feceris, multa (ut arbitror) hic hodie vitia ponemus.

At enim non sine meo periculo, Crassus inquit, possum, Sulpici, te reprehendere, quoniam Antonius mihi te simillimum dixit sibi videri.

Tum ille: Tu vero; quod monuit idem, ut ea, quae in quoque maxima essent, imitaremur; ex quo vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis imitatus, et pauca quaedam verba, et aliquem, si forte, motum.

* *Quare Cotta noster*) Iterum L. Cottam significat, cuius gravitatem linguae et sonum agrestem paulo ante reprehenderat; ne quis de C. Cotta, qui huic colloquio intererat, cogitet. Id vidit Pearcius, etsi erravit, quod huic C. Aurelio Cottae in Bruto tribui vocem magnam, suavem et splendidam putavit, quae laus ibi cap 55 potius Sulpicio tribuitur. Si Crassus hic C. Cottam voluisset notare, dixisset utique *hic noster Cotta*, ne quis eum cum L. Cotta supra memorato confundere posset. Semper enim fere additur *hic*, quum de praesentibus agitur. Sic I, 15, *huic Sulpicio*. I, 28, *hunc Cottam*. I, 35, *hunc Sulpicium*. II, 23, *hic noster Sulpicius*. III, 8, *huius Catuli*. Ibid. *noster hic Caesar*.

* *Tum ille: Tu vero; quod monuit idem*) Recepi Lambini emendationem omni exceptione maiorem. Vulg. *Tum quod monuit idem*, sine sensu. Heusingeri correctionem *Tum quod — ex eo vereor* cum Lambiniana comparatam nil moramur. *Tu vero* nimirum intelligendum est sic, ut tacite repetantur verba Crassi ultima: *Tu vero sine periculo me reprehendere potes*; *etsi Antonius me tibi simillimum dixit videri*, *propterea quod monuit idem*, *ut ea*, *quae in quoque maxima essent*, *imitaremur*; *ex quo vereor*, *ne nihil sim tui*, *nisi supplosionem imitatus*, etc. Prorsus isto modo *Tu vero* in responsione ponitur in Brut. cap. 85, ubi postquam At-

Ergo ista, inquit Crassus, quae habes a me, non reprehendo, ne me ipsum irrideam. Sunt autem mea multo et plura, et maiora, quam dicis. Quae autem sunt aut tua plane, aut imitatione ex aliquo expressa, de iis te, si qui me forte locus admonuerit, commonebo.

13. Praetereamus igitur praecepta latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit, et subtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, libri confirmant, et lectio veterum oratorum, et poëtarum. Neque vero in illo altero diutius

ticus dixerat: *Aliquoties sum conatus, sed interpellare nolui. Nunc quoniam ad perorandum spectare videtur sermo tuus, dicam, opinor, quod sentio;* respondet Cicero: *Tu vero, Tite.* scil. *potes dicere.*

Ne me ipsum irrideam) Pearcius corrigendum opinabatur *ne me ipse irrideam.* Id placebat Ernestio, sed frustra. Maior enim vis oppositionis h. l. est non in eo, qui irridet, sed in eo, qui irridetur; quod ipsi in mentem venit Ernestio.

* *Mea multo et plura, et maiora*) sc. vitia.

* *Aut tua plane*) H. e. vitia, quibus Sulpicius assueverat suapte sponte, non alium quem imitando.

* *Aut imitatione ex aliquo expressa*) i. *e.* ex alio quodam.

Praetereamus igitur praecepta Latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit, et subtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, libri confirmant, et lectio veterum oratorum et poëtarum) Veretur Ernesti, ne spurium sit *libri*, legendumque putat *confirmat lectio.* Sed *libri* et *lectio v. o. e. p.* per ἓν διὰ δυοῖν dictum esse potest, pro lectione librorum veterum oratorum et poëtarum; sicut paulo ante *cognitio et ratio literarum* est cognitio rationis literarum, i. e. scientia artis grammaticae. Si *libri* genuinum non esset, mallem equidem locum sic constituere: *quae puerilis doctrina tradit et subtilior ratio literarum, alit consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, confirmat lectio veterum oratorum et poetarum.*

* *Neque vero in illo altero diutius*) Secundam partem, quae erat de perspicuitate orationis, omittit, quoniam satis per se facilis est. Quaedam tamen, ex quibus haberi illa possit virtus dicendi, breviter enumerat. Sunt numero decem. Parit enim dilucidam orationem sermonis proprietas et puritas Latini, quae erat prima pars. 2. Voces usitatae, neque aut vetustate obsoletae, aut studio novitatis insolentes. 3. Proprie rem declarantes, accommodataeque rebus, quas significant; quum neque maiestatem earum minuunt, nec obruunt tenuitatem. 4. Resecanda omnis verbi ac sermonis ambiguitas. 5 Vitanda nimia verborum circuitio, quoniam auctore etiam Hermogene περιβολή, id est ambitus, et producta comprehensio cum perspicuitate repugnat. 6. Tollen-

commoremur, ut disputemus, quibus rebus assequi possimus, ut ea, quae dicamus, *intelligantur*. Latine scilicet dicendo, verbis usitatis, ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volemus, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. Quid multa? Tam facilis est tota res, ut mihi permirum saepe videatur, quum difficilius intelligatur, quid patronus velit dicere, quam si ipse ille, qui patronum adhibet, de re sua diceret. Isti enim, qui ad nos causas deferunt, ita nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Easdem res autem simulac Fusius, aut vester aequalis Pomponius agere coepit, non aeque, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo; ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia ac turba verborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem et tenebras afferat, atque ut quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere videantur. Verum, si placet, quoniam haec satis spero,

da similitudinis continuata translatio, hoc est, ne metaphorae nimium dilatentur, quoniam id in aenigma transiret. 7. Non debent minutatim conscindi sententiae, sed expleri, et ad iustam mensuram numeri atque sensus produci. 8. Temporum servanda distinctio est, ut suo quaeque tribuantur. 9. Concinna personarum distinctio servanda est. Postremo argumentorum ceterorumque omnium dirigendus est ordo. PETAV.

* *Non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur*) Recte Ernesti intp. allegoriis longioribus; hae enim saepe rem magis obscurant, quam illustrant.

Fusius) Pearcius correxit *Fufius*, idque est in codd. Pal. 4, 6, 8, 9, et Mead. Ernesti *Fufius* ne an *Furius* legendum esset dubitabat.

* *Verum, si placet, quoniam haec satis spero, vobis quidem certe maioribus, molesta et putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus*) Purgoldus opinabatur legendum esse *aliquanto operosiora*; coniectura speciosa quidem neque tamen vera. Etsi enim quae dicuntur initio c. 14, *Faciles enim — partes eae fuerunt duae*,

vobis quidem certe maioribus, molesta et putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus.

Atqui vides, inquit Antonius, quam alias res aga-

quas modo percucurri, vel potius paene praeterii, latine loquendi, planeque dicendi: reliquae sunt magnae, implicatae, variae, graves, facile alicui persuadere possunt, nullo modo haec, quae sequuntur, istis prioribus *odiosiora* dici posse, veram tamen Crassi mentem, omnemque orationis nexum diligentius intuenti veritas lectionis vulgatae sic elucebit, ut nihil correctione opus esse videatur. Crassus enim, qui omnem hanc rhetoricam de elocutione doctrinam pervulgatam esse videri vult, identidem veretur, ne amicis suis, maioribus praesertim, molesta sit de rebus minime reconditis disputatio. Sic iam lib. I, c. 31, diserat: *Atqui arbitror, Sulpici, quum audieris, non tam haec te admiraturum, quae dixero, quam existimaturum, tum, quum ea audire cupiebas, causam cur cuperes non fuisse; nihil enim dicam reconditum, nihil exspectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum.* Idem c. 36. ad Scaevolam conversus denuo fuerat contestatus. Hoc loco igitur, quum praecepta latine et plane dicendi breviter percucurrisset, quoniam haec, inquit, praecepta quidem, utpote vobis notissima, satis spero vobis molesta et putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora, i. e. magis etiam molesta et putida pergamus. Etsi enim istae partes, quas breviter tractavi, faciles, hac vero, ad quas nunc accedo, magnae, implicatae, variae et graves sunt, doctrina tamen harum rerum non minus quam illarum est pervulgata; nec tamen breviter exponi potest; quare illa, quae reliqua sunt, vereor ne vobis odiosiora sint, quam priora breviter percursa. Itaque infra c. 37, monenti Sulpicio, ut aliquando has quoque partes, explicaret, oggerit Crassus: *Pervulgatas res requiris, et tibi non incognitas.* Maxime autem lectionem *odiosiora* confirmat locus III, c. 55: *Sed tamen huius generis demonstratio est et doctrina ipsa vulgaris, usus autem gravissimus, et in hoc toto dicendi studio difficillimus.* Ex quo patet, quamvis hoc, quem tractamus, loco reliquae partes dicantur *magnae, implicatae, graves*, nihil tamen obstare, quo minus earum tractatio molesta, putida, odiosa dicatur hominibus scilicet, qui ista omnia dudum perdidicissent.

Vobis quidem certe maioribus) Olim in quibusdam edd. ut Victor. sic interpungebatur: *vobis quidem, certe maioribus*, minus bene. Sic enim *quidem* supervacuum esset. Immo suavius est, postquam dixerat: *quoniam haec satis spero*, suppressis verbis *omnibus qui me audiunt*, statim ad maiores convertere orationem, ubi *vobis quidem certe maioribus* idem significat, ac si dixisset: *si minus adolescentibus istis, tamen vobis profecto maioribus.*

Atqui vides — quam alias res agamus, quam te inviti audiamus) Vulgo legebatur: *quam alias res agamus*, quod Ernesti intelligebat *quum otium sit*; totumque locum sic interpretabatur: enimvero intelligere potes, nos te hoc tempore libenter audire, quum otium sit, quum alio etiam tempore, quum negotia habemus, tamen te audire parati simus. Verum *alias res agere*

mus, quam te inviti audiamus, qui adduci possumus (de me enim coniicio), relictis ut rebus omnibus te sectemur, te audiamus: ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de pervulgatis nova quaedam est oratio tua.

14. Faciles enim, inquit, Antoni, partes eae fuerunt duae, quas modo percucurri, vel potius paene praeterii, latine loquendi, planeque dicendi: reliquae sunt magnae, implicatae, variae, graves, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiae continetur. Nemo enim unquam est oratorem, quod latine loqueretur, admiratus: si est aliter, irrident; neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut, qui adessent, intelligerent quid diceret; sed contemsit eum, qui minus id facere potuisset. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui explicate, qui abundanter,

non est otiosum esse, sed potius parum attendere; itaque rescripsi: *vides quam alias res agamus, quam te inviti audiamus*. Haec scilicet εἰρωνικῶς dicta sunt, hoc sensu: immo vero te attentissime et lubentissime audimus. Eodem modo *alias res agere* usurpatur in Bruto c. 66: « ita furebat tamen, ut mirarere, *tam alias res agere populum*, ut esset insano inter disertos locus ». Auditorem autem ex fastidio oratoris alias res agentem graphice describit Cicero in Bruto c. 54: « itaque intelligens dicendi existimator non assidens, et attente audiens, sed uno aspectu et praeteriens de oratore saepe iudicat. Videt *oscitantem iudicem, loquentem cum altero*, nonnunquam etiam *circulantem, mittentem ad horas*... intelligit, oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis iudicum admovere orationem, tanquam fidibus manum. »

Qui distincte — conficiunt; id est qui dicunt ornate. Qui idem ita moderantur, ut rerum, ut personarum dignitates ferunt, et sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum et congruens nomino) Vulgo legebatur sic: *qui distincte — conficiunt*, id est quod dico ornate; *qui idem ita moderantur, ut — ferunt; ii sunt in eo genere laudandi laudis, quod — nomino*. Verum haec ita sonant, ac si Cicero definitiones voluisset afferre rationis ornate et apte dicendi, quod minime antecedentibus convenit. Erat enim quaestionibus hisce respondendum: *in quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intu-*

qui illuminate et rebus et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quemdam numerum versumque conficiunt; id est, qui dicunt *ornate*. Qui idem ita moderantur, ut rerum, ut personarum dignitates ferunt, et sunt in eo genere laudandi, quod ego *aptum* et congruens nomino. Qui ita dicerent, eos negavit adhuc se vidisse Antonius, et iis hoc nomen dixit eloquentiae solis esse tribuendum. Quare omnes istos, me auctore, deridete atque contemnite, qui se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum praeceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur, neque adhuc, quam personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Verum enim vero oratori, quae sunt in hominum vita, quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subiecta materies, omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. Est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus. Quamquam sunt omnes vir-

entur? etc. Hanc responsionem levi correctione efficimus. In qua tamen neminem velim offendat, quod interrogatione per singularem numerum, *in quo*, — *quem* — enuntiata, respondetur per pluralem. Gratam scilicet negligentiam agnoscimus.

In eo genere laudandi laudis) Fidenter delevi verbum *laudis*, iubente Ernestio, assentiente etiam Schützio; quamquam uterque retinuit. Ed. T.

Nomino) Sic rectius Ven. Mediol. Lamb. quam, ut alii, *nominem*.

Teneant — profiteantur) Non audiendus est Ernestius, qui putabat esse hic debere *tenerent — profiterentur*. Hoc tum valeret, si de tempore praeterito ageretur. Secus est, quum dicitur de tempore infinito et praesente.

Verum enim vero) Sic Guelf. C. recte. Vulgo *verum enim*.

Quamquam sunt omnes — summaque prudentia) Pessime huic loco consuluit Ernesti, quod eum totum parentheseos signis inclusit. Nam verba *quarum virtutum expertibus* etc. non cohaerent cum remotioribus illis: *est enim eloquentia una de summis virtutibus*, sed potius cum proxime antecedentibus: *hoc est magis probitate iungenda, summaque prudentia*, et huius utriusque virtutis expertibus negat Crassus esse tradendam dicendi copiam.

* *Una de—virtutibus*) Eloquentiam esse virtutem Fabius lib. II, cap. 20, sic probat: *Si consonare sibi*, inquit, *in faciendis ac non faciendis, virtutis est, quae pars eius prudentia vocatur, eadem in dicendis ac non dicendis erit. Et si virtutes sunt, ad quas nobis etiam, ante quam doceremur, initia quaedam ac semina*

tutes aequales et pares, sed specie tamen est alia magis alia formosa et illustris: sicut haec vis, quae scientiam complexa rerum, sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiant, quocunque incubuerit, possit impellere; quae quo maior est vis, hoc est magis probitate iungenda, summaque prudentia; quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus.

15. Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem, vimque dicendi, veteres Graeci sapientiam nominabant. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili et voluntate. Eadem autem alii prudentia, sed consilio ad vitae studia dispari, quietem atque otium sequuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt; quae vita propter tranquillitatem, et propter ipsius scientiae suavitatem, qua nihil est hominibus iucundius, plures, quam utile fuit rebus publicis, delectavit. Itaque, ut ei studio se excellentissimis ingeniis homines dediderunt, ex ea

sunt concessa natura, ut ad iustitiam, cuius rusticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago; nos esse sic ab initio formatos, ut possemus orare pro bonis, etiamsi non perfecte, tamen ut inessent quaedam (ut dixi) semina eius facultatis, manifestum est. PAVST.

Omnes virtutes aequales) Sequitur Stoicorum sententiam, qui et virtutes omnes et vitia esse aequalia sentiebant. Vide Paradoxa Ciceronis. IDEM.

* *Pittaci*) Pittacus Mitylenaeus, unus e septem Graeciae sapientibus, floruit Olympiade 14, et obiit anno III Olympiadis 52, annis ante Christum 570 (*Diogen. Laërt.*)

* *Fabricii*) C. Fabricii virtus potissimum enituit in bello Samnitico, quod gestum est ab anno V. C. 411 ad 481. Eum Pyrrhus admirans aliquando dixit: ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest (*Eutropius*).

* *Anaxagoras*) Patria Clazomenius, Periclis magister, natus Olympiade 70, annis ante Christum 498, inedia sibi

summa facultate vacui ac liberi temporis, multo plura, quam erat necesse, doctissimi homines, otio nimio et ingeniis uberrimis affluentes, curanda sibi esse, ac quaerenda, et investiganda duxerunt. Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi, et bene dicendi magistra; neque disiuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi: ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret *oratorem verborum, actoremque rerum*. Sed ut homines labore assiduo et quotidiano assueti, quum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se, aut ad talos,

necem conscivit annos natus 70 Olympiade 88, non 78, ut mendose legitur apud Laërtium. De quo plura Plutarchus in Pericle. IDEM.

Doctissimi homines, otio nimio et ingeniis uberrimis affluentes) Haec si abessent, nemo desideraret. Nam nihil aliud afferunt, nisi quod verbis: *ut ei studio se excellentissimis ingeniis homines dediderunt, ex ea summa facultate vacui ac liberi temporis*, iam esset expressum. Malim tamen scriptoris negligentiae potius, quam interpolatoris cuiusdam sedulitati tribuere.

Vt ille apud Homerum) Iliad. IX, 443.

**Homerum*) Hic poëtarum princeps aetate fuit ceteris omnibus longe superior, iam tum ab ipsis Salomonis temporibus celebris, annis ante Christum 1016. De huius origine contendunt septem urbes, Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenae. Hunc si quis caecum genitum putat, inquit Velleius lib. I, omnibus sensibus orbus est. PAVST.

Phoenix) Phoenicem Achillis magistrum sic inducit loquentem Homerus Iliados lib. IX: — Σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς — Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα, — Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. — *Tecum vero me misit senex eques Peleus . . . Propterea me misit, ut te docerem haec omnia, ut dicendi vi praestares, et operibus agendis excelleres.* IDEM.

**Pilam*) Hunc ludum sic describit Iulius Pollux lib. IX, cap. 7. Graeca brevitatis studiosi praetermittimus, quae Latine reddimus. Luditur, inquit, secundum multitudinem dispositis paribus ad pares: deinde mediam educunt lineam, quam scyrum appellant: huic imponitur pila: tum duas lineas post utrorumque ordinem describunt; vincunt qui pila missa alios ad aliam usque lineam pepulerint. Alio praeterea modo luditur, quum pila sursum proiecta ante debet excipi manu, quam terram attigerit, quod Homerus in Phaeacibus videtur intelligere. PAVST.

**Talos*) Vt ea quae de talis hic observamus, facilius intelligantur, haud

aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum: sic illi a negotiis publicis, tanquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut voluntate sua feriati, totos se alii ad poëtas, alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt; alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt, atque in iis artibus, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumserunt.

16. Sed quod erant quidam, iique multi, qui aut in republica propter ancipitem, quae non potest esse seiuncta, faciendi dicendique sapientiam, florerent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes, aut, qui mi-

abs re fuerit notam de tesseris sequentem praelegere. Tali quos Graeci dixere ἀστραγάλους, a tesseris differebant situ; neque enim quatuor insistebant lateribus, sed qua parte sinuata erant, et veluti concamerata, non stabant; numero scilicet quatuor aut plures adhibebantur; ornatu, nullis erant punctis inscripta, sed ipsa positura, auctore Polluce, numerorum vicem praestabat; iactu, qui fuit in talis Cous, Chius, Planus, Suppus, Venus, Canis, Basilicus, Vulturius. Felicissimus fuit iactus Cous, qui Latinis dicitur Venus, et Suppus, id est, qui cadit ex animi sententia, aeque faustus ac senio tesserae, tuncque contingebat, ut patet ex Luciano in Amoribus quum quaelibet talorum superficies dissimilis cadebat, Chius autem, quem Planum Latini vocant et Canem, refert ad unionem tesserarum; Basilicus cum Veneris, Vulturius cum Canis iactu congruit. Idem.

* *Tesseras*) Tesserae nomen accepere a voce Graeca τέσσαρες *quatuor*, non a quatuor lateribus, sex enim habent; sed quod figurae sint undecunque quadratae. Tesserarum ludum, quem Galli appellamus *le jeu des Dez*, inventum a Lydis Asiae populis Herodotus scribit. Tres tesseras punctis notatas ab unione ad senionem e cornu, quod et fritillum et pyrgum et pyxidem dixere, emittebant in tabulam: pro vario iactu varia fuit alea: cui ter sex puncta uno trium tesserarum iactu obvenerant, is, ut refert Zenobius, felicissime iecerat; contra, qui tria tantum puncta fuerat sortitus, vincebatur. Abibat victor qui plura puncta retulisset. Itaque quum tesserae iactus essent unio, binio, ternio, quaternio, quinio, senio; unio, qui et dictus est canis infaustissimus, faustissimus habebatur senio. Hinc Persius Sat. III... *Quid dexter senio ferret, — Scire erat in voto, damnosa canicula quantum — Raderet.* Non me tamen fugit aliquando senionem perinde ac canem fuisse damnosum, ut constat ex Suetonio in Augusto. Idem.

Novum sibi ipsi aliquem — Abest *ipsi* Guelf. B.

* *Theramenes*) Eius meminit Cicero in Bruto, cap. 7, et fusius Xenophon

mus ipsi in republica versarentur, sed huius tamen eiusdem sapientiae doctores essent, ut Gorgias, Thrasymachus, Isocrates: inventi sunt, qui, quum ipsi doctrina et ingeniis abundarent, a re autem civili et a negotiis, animi quodam iudicio, abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent; quorum princeps Socrates fuit, is, qui omnium eruditorum testimonio, totiusque iudicio Graeciae, quum prudentia et acumine et venustate et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps. Is iis, qui haec, quae nos nunc quaerimus, tractarent, agerent, docerent, quum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio, atque in iis exercitatio, *philosophia* nominaretur, hoc commune nomen eripuit, sapienterque sentiendi, et ornate dicendi scientiam, re cohaerentes, disputationibus suis separavit; cuius ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, quum ipse literam Socrates nullam reliquisset. Hinc discidium illud exstitit quasi linguae atque cordis, absurdum sane, et inutile, et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent. Nam,

Hist. Gr. l. 2. Notatur mobile illius et callidum ingenium vulgato ad id proverbio, Θηραμένης κόθορνος, quod genus istud calceamenti utrique pedi conveniret; quemadmodum et ille utrique parti accommodabat sese. PETAVIUS.

* *Thrasymachus*) Calcedonius, ait Suidas, is fuit sophista, qui primus periodum invenit, discipulus Platonis, et Isocratis: excellens opinione eloquentiae. Hinc proverbium apud Graecos: *Non difficilius esse rudere leonem, quam convincere Thrasymachum.* IDEM.

Quorum princeps Socrates fuit, is qui — omnium fuit facile princeps. Is iis qui haec — commune nomen eripuit) Vulgo: *quorum princeps Socrates fuit, is qui — princeps, is qui — eripuit*, qua in lectione *eripuit* dativo personae caret. Pearcius verbis *qui omnium — facile princeps* παρενθέτως positis, deinceps edidit: *iis qui haec.* Nos cum Ernestio signa parentheseos delevimus, et novae periodo *iis, qui haec* repetitum *is* praefiximus.

Alii dicere docerent) Post haec verba quaedam intercidisse suspicatus est Ernestius, neque vero iniuria. Nam

quum essent plures orti fere a Socrate, quod ex illius variis, et diversis, et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat; proseminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se, et multum disiunctae, et dispares, quum tamen omnes se Socraticos et dici vellent, et esse arbitrarentur.

17. Ac primo ab ipso Platone Aristoteles et Xenocrates; quorum alter Peripateticorum, alter Academiae nomen obtinuit; deinde ab Antisthene, qui patientiam, et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici; tum ab Aristippo, quem illae magis voluptariae disputationes delecta-

illa, quae sequuntur, non satis cohaerent, nisi hanc sententiam vel aliam eiusmodi praemiseris: *Et Socratici quidem, magistrum imitati, omnes eloquentiam a communi philosophiae nomine separaverunt, etsi inter se multum decretis et opinionibus disiuncti; praeterea etiam eo diversi, quod aliorum philosophia oratori coniunctior est, aliorum ad eloquentiam inutilior.*

* *Xenocrates*) Chalcedonius, Platonis discipulus, quem stimulo urgendum dicebat Plato, quum frenis indigeret Aristoteles. Admirabili fuit continentia, moderatione et integritate vitae. Quum noctu incidisset in pelvim, obiit anno aetatis 82, Olympiadis 110, a. ante Christum 339. (*Diogenes Laertius*). PRVST.

Quorum alter Peripateticorum, alter Academiae nomen obtinuit) Inepta sane loquendi forma: *Aristoteles Peripateticorum nomen obtinuit, Xenocrates Academiae nomen obtinuit*; quare nullus dubito, quin legendum sit: *ac primo ab ipso Platone Aristotelis, et Xenocratis, (scil. familia,* quod facile ex proxime antecedentibus intelligitur) *quarum altera Peripateticorum, altera Academiae nomen obtinuit*; nisi forte malis: *Ac primo ab ipso Platone Aristoteles et Xenocrates, quorum alter Peripateticorum, alter Academiae nomen instituit.* Sic fere Academ. Quaest. I, 4: *Platonis autem auctoritate — una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma* instituta *est*, *Academicorum et Peripateticorum.* Caeterum de vera nominis Peripateticorum origine cf. elegantissimam Huschkii disputationem Epist. crit. in Propert. p. 70, seqq.

* *Antisthene*) Hic Atheniensis, discipulus primum Socratis, quem confectis quotidie quadraginta stadiis audire solitus erat: tum Cynicorum auctor fuit. Floruit annis ante Christum circiter 211 (*Laërtius*). PRVST.

* *Cynici*) Philosophi sic dicti, teste Empirico, quod canum instar tuerentur bonos, malos invaderent: quamquam á Cynicis alieni eos nomen habuisse dicebant a canina impudentia. IDEM.

* *Aristippo*) Is Cyrenaeus e Cyrenaica Africae regione, Socratis sectam philosophus amplexus est, omni loco, tempori, ac personae serviebat; quare

rant, Cyrenaica philosophia manavit, quam ille, et eius posteri simpliciter defenderunt, ii, qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecundius id agunt, nec dignitati satisfaciunt, quam non aspernantur, nec voluptatem tuentur, quam amplexari volunt. Fuerunt etiam alia genera philosophorum, qui se omnes fere Socraticos esse dicerent; Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum; sed ea horum vi et disputationibus sunt iamdiu fracta et exstincta. Ex illis autem, quae remanent, ea philosophia, quae suscepit patrocinium voluptatis, etsi cui vera videatur, procul abest tamen ab eo viro, quem quaerimus, et quem auctorem

et Dionysio carus, et a Diogene regius canis dictus est. Inclaruit circa Olympiadem 95, annis ante Christ. 400 (*Laert.*) Voluptatem summum bonum, dolorem summum malum esse docuit, ut tradit Cicero lib. II Tuscul. Quaest. Idem.

* *Ii, qui nunc voluptate omnia metiuntur*) Nempe Epicurei; quorum ratio paulo post appellatur *philosophia, quae suscepit patrocinium voluptatis.*

Dicerent) Guelf. B, C, *dicebant.*

Eretricorum) Sic Guelf. B, C, alii *Eretriacorum.*

**Eretricorum*) A Menedemo Eretriate (Eretria autem Thessaliae urbs est) Eretrici Philosophi sunt appellati: quorum omne bonum, inquit Tullius lib. 4 Academ. Quaest. in mente positum, in mentis acie qua verum cerneretur. Septem dierum inedia mortem sibi conscivit, annos natus quatuor et octoginta. (*Laërtius*) Celebris fuit Olympiade 110, annis ante Christum 311. Pavst.

* *Herilliorum*) Herillus Carthaginensis philosophus summum bonum in cognitione et scientia posuit. (*Diogenes.*) Vixit annis ante Christum 209. Idem.

Megaricorum) Cicero lib. IV Academ. Quaest. ait, ab Euclide Megareo (Megara urbs est Achaiae) Megaricos philosophos appellatos, qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum, et simile, et idem, et semper. Megarici praeterea dicti sunt ἐριστικοί, sive contentiosi, ac demum διαλεκτικοί, quippe qui se dialecticae totos addicerent. Porro Euclides Socraticus floruit annis ante Christum 380 (*Laërtius*). Idem.

* *Pyrrhoneorum*) A Pyrrhone nomen habuere; qui ex Elide in Peloponneso oriundus, primo pictor, deinde philosophiae desiderio incensus contulit sese in Indiam, ibique se Gymnosophistarum et Magorum in disciplinam tradidit. Inde novum invexit philosophandi genus, auctor sectae Scepticae, quae in omnibus assensum sustinebat. Vixit annos prope nonaginta: floruit annis ante Christum circiter 320, de quo vide Diogenem. Pavst.

* *Sed ea horum vi*) I. e. illorum supra memoratorum.

publici consilii, et regendae civitatis ducem, et sententiae atque eloquentiae principem, in senatu, in populo, in causis publicis esse volumus. Nec ulla tamen ei philosophiae fiet iniuria a nobis. Non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet: sed in hortulis quiescet suis, ubi vult, ubi etiam recubans molliter et delicate nos avocat a rostris, a iudiciis, a curia, fortasse sapienter, hac praesertim republica. Verum ego non quaero nunc, quae sit philosophia verissima, sed quae oratori coniuncta maxime. Quare istos sine ulla contumelia dimittamus; sunt enim et boni viri, et quoniam sibi ita videntur, beati; tantumque eos admoneamus, ut illud, etiam si est verissimum, tacitum tamen, tanquam mysterium, teneant, quod negant versari in re publica esse sapientis. Nam si hoc nobis atque optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, id quod maxime cupiunt, otiosi.

18. Stoicos autem, quos minime improbo, dimitto tamen, nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci

Regendae civitatis) Ita recte edd. et Guelf. B, C.

**In c. publicis*) Nempe in iudiciis.

* *Non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet*) Ernesti haec sensum habere negat; quod mirum; imo magis etiam mirandum, suadere eum potuisse, ut legamus: *non enim revelletur inde, unde aggredi cupiet*, in quo certe nihil est, quod aptum sit loquentis consilio. Notum est, Epicureos statuisse, sapientem ad remp. non accessurum: itaque Crassus postquam dixit, hanc philosophiam procul abesse ab auctore publici consilii, et regendae civitatis duce, excusationem addit, se Epicureorum philosophiae iniuriam non facere, quia non repellatur inde, quo aggredi cupiat, i. e. ab hortis suis vitaque otiosa, sed potius excludatur tantum a rep. quam ipsa capessere non cupiat.

* *Irasci nesciunt*) Iram enim cadere in sapientem negant Stoici, quorum praecepta lepide colligit Cicero pro Murena. Horum praecepta sunt eiusmodi: *Sapientem gratia nunquam moveri: nunquam cuiusquam delicto ignoscere: neminem misericordem esse nisi stultum et levem: viri non esse neque exorari, neque placari: solos sapientes esse: si distortissimi sint, formosos: si mendicissimi, divites: si servitutem serviant, reges: nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exules, hostes, insanos denique esse dicunt: omnia peccata esse paria: omne delictum scelus esse nefarium: nec mi-*

nesciunt; atque hanc iis habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Sed utrumque est in his, quod ab hoc, quem instruimus, oratore valde abhorreat; vel quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt; neque tamen quemquam esse sapientem. Valde autem est absurdum, ei concionem aut senatum, aut ullum coetum hominum committere, cui nemo illorum, qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber esse videatur. Accedit, quod orationis etiam genus habent fortasse subtile, et certe acutum; sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, ieiunum, ac totum eiusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit. Alia enim et bona, et mala videntur Stoicis, ac ceteris civibus, vel potius gentibus; alia vis honoris, ignominiae, praemii, supplicii; vere, an secus, nihil ad hoc tempus; sed ea si sequamur, nullam unquam rem dicendo expedire possimus. Reliqui sunt Peripatetici et Academici; quamquam Academicorum nomen est unum, sententiae duae. Nam Speusippus Platonis sororis filius, et Xenocrates, qui Platonem audierat, et qui Xenocratem,

nus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit: sapientem nihil opinari, nullius rei poenitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. V. et Laërt. in Zenone. IDEM.

Hanc iis habeo gratiam) Victorius *hanc ab iis habeo gratiam.*

Vel quod omnes) Recte Ernesti: « Non sequitur aliud *vel*, sed tamen alterum sensu est in verbis: *accedit quod orationis genus* — Sunt enim duo, quae reprehendat; primum in rebus, alterum in verbis. Mutavit formam orationis propter longiorem interpositionem ».

* *Exile — inane, ieiunum*) Stoicorum genus dicendi appellatur *exile* ob nimiam brevitatem, *inane*, quia vim non habet, *ieiunum*, quod non est ornatum.

Ac totum eiusmodi) Ita recte correxit Ernesti vulg. *attamen eiusmodi.*

* *Speusippus*) Atheniensis post Platonem scholam rexit annis octo, 108 Olympiade, annis ante Christum 301, vir iracundiae, avaritiae, ac vo-

Polemo, et Crantor, nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magnopere dissensit; copia fortasse, et varietate dicendi pares non fuerunt. Arcesilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi possit; quem ferunt, eximio quodam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusque iudicium, primumque instituisse (quamquam id fuit Socraticum maxime), non, quid ipse sentiret, ostendere; sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare. Hinc haec recentior Academia emanavit, in qua exstitit divina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades;

luptati deditus, tristitia confectus ob paralisim dicitur sibi necem attulisse. (*Laërt*). Prust.

**Polemo*) Atheniensis ab impura ac libidinosa vita ad meliorem frugem traductus a Xenocrate, quem de temperantia disserantem adolescens audivit. Eius scholae regendae deinde successit Olympiade 116, anno ante Christum 316: tabe mortuus est admodum senex. (*Laërtius*) Idem.

* *Crantor*) Solis e Cilicia, unde oriundus erat, Athenas venit, ibique docenti Polemoni operam dedit. Ante magistrum discipulus obiit aquae intercutis morbo. (*Laërtius*) Idem.

Dissensit) Recte quidem Pearcius negat opus esse legere *dissensi*, vel *dissenserunt*, quia paulo post sequitur *fuerunt*: idem tamen falsa ratione utitur, quod in *fuerunt* Aristoteles comprehendatur; nam quum dicitur, *copia fortasse et varietate dicendi pares non fuerunt*, intelligitur, Speusippum, Xenocratem, Polemonem, Crantorem, quos ab Aristotele non magnopere dissensisse dixerat, eidem Aristoteli copia et varietate dicendi pares non fuisse.

**Arcesilas*) Qui Pitanae in Aeolide natus post varias peregrinationes Athenas se contulit, ubi Crantorem audiit. Primus induxit novum philosophandi genus, quo nihil sciri posse contendebat: quare et a Cicerone dicitur omnem evertisse philosophiam, et a Lactantio ignorantiae magister appellatur. Claruit circa Olympiadem 120, annis ante Christum 300. Obiit ex crapula aetatis anno 75 (*Diogenes*). Prust.

* *Ex variis Platonis libris*) Praecipue ex Phaedone. Idem.

* *Haec recentior Academia*) Secta philosophorum Academica triplex vulgo distinguitur: vetus Platonem habet auctorem, media Arcesilaum, nova Lacyden. Quae revera medium obtinet locum Arcesilai Academia, dicitur hic recentior, habita ratione Platonicae antiquioris Academiae, cuius paulo ante meminit Crassus. Idem.

cuius ego etsi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores certissimos laudare possum, et socerum meum Scaevolam, qui eum Romae audivit adolescens, et Q. Metellum L. F. familiarem meum, clarissimum virum, qui illum a se adolescente Athenis, iam affectum senectute, multos dies auditum esse dicebat.

19. Haec autem ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta divortia, ut philosophi, tanquam in superum mare Ionium defluerent, Graecum quoddam et portuosum; oratores autem in inferum hoc Tuscum et barbarum, scopulosum atque infestum laberentur, in quo etiam ipse Ulysses errasset. Quare, si hac eloquentia atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat, aut negare oportere, quod arguare, aut, si id non possis, tum ostendere, quod

* *Vt philosophi tanquam in superum mare Ionium defluerent*) Iure Ernesti vetuit, ne *Ionium*, ut nonnullis visum, pro glossa haberetur. Tota enim allegoria significat, postquam philosophia a rhetorica disiuncta esset, philosophos in Graecia mansisse, Rhetores autem in Siciliam inde a Corace et Tisia migrasse. In quo ut similitudo enim fluminibus ex Apennino partim in Ionium mare, partim in Tuscum mare labentibus constaret, Ciceronem non piguit et locorum situm, et ipsam rei veritatem aliquantulum detorquere. Certe de philosophis in Graecia viventibus non nisi contorte dici poterat, eos in Ionium mare defluxisse.

Graecum quoddam) Fortasse legendum *Graecum quidem*, ut vaga Ionii maris appellatio paulo magis definiatur.

Oratores autem) Sine dubio legendum *rhetores autem*. Nam primum tota haec disputatio ab illa sententia fluxit, per Socratem factum esse philosophiae et rhetoricae artis divortium, ita ut alii sapienter vivendi, alii ornate dicendi praeceptores existerent. Deinde oratores praestantissimi Graecorum omnes Athenis vixerunt, ut nullo modo eos in mare Tuscum et barbarum delapsos esse dici posset. Denique paulo post occurrunt *isti scriptores artis*, qui non sunt alii quam *rhetores*; quos hic ante nominatos esse oportebat. Saepissime autem a librariis vocabula *oratores* et *rhetores* permutata esse scimus.

Aut negare) Intelligitur *te*, sequitur enim *quod arguare*. Nihil igitur opus est *negari* rescribere.

* *Aut si id non possis*) Manutius dedit *possit*, eumque sequitur Ernesti, quia respondeat verbis *qui sciat*. At enim vero respondet verbo *arguare*. Totus locus ita explicandus est: qui sciat, aut *te* negare *oportere* quod

is fecerit, qui insimuletur, aut recte factum, aut alterius culpa, aut iniuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut necessario, aut non eo nomine usurpandum, quo arguatur, aut non ita agi, ut debuerit, ac licuerit; et, si satis esse putatis, ea, quae isti scriptores artis docent, discere, quae multo tamen ornatius, quam ab illis dicuntur, et uberius explicavit Antonius; sed si his contenti estis, atque iis etiam, quae dici voluistis a me, ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. Sin veterem illum Periclem, aut hunc etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenem, sequi vultis, et si illam praeclaram et eximiam speciem oratoris perfecti et pulchritudinem adamastis: aut vobis haec Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est. Namque (ut ante dixi) veteres illi usque ad Socratem, omnem omnium rerum, quae ad mores hominum, quae ad vitam, quae ad virtutem, quae ad rempublicam pertinebant, cognitionem et scientiam cum dicendi ratione iungebant; postea dissociatis (ut exposui) a Socrate disertis et doctis, et deinceps a Socraticis item omnibus, philosophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam; neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, nisi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur, ex quo promiscue haurirent, si manere in pri-

arguare, aut, si id negare non *possis* etc.

Aut alterius culpa aut iniuria) Planius esset auctore Pearcio: *aut alterius culpa et iniuria.*

Ad Socratem) Hanc lectionem unice veram, et edd. vett. et Mss. auctoritate comprobatam, postea multi editores pessime in *Isocratem* depravarunt; quod si in omnibus Mss. legeretur, non esset aiusmodi, ut ferri posset.

Dissociatis — a Socrate disertis et doctis) Vulg. vitiose *dissonati a Socrate diserti a doctis.* Lambinus correxerat: *dissociatis a Socrate disertis a doctis*, in quo Pearcius commodius *disertis et doctis.*

Ex quo promiscue haurirent) Lambinus correxit: *quum ex eodem fonte*

stina communione voluissent. Sed ut pontifices veteres, propter sacrificiorum multitudinem, tres viros epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti: sic Socratici a se causarum actores et a communi philosophiae nomine separaverunt, quum veteres dicendi et intelligendi mirificam societatem esse voluissent.

20. Quae quum ita sint, paululum equidem de me deprecabor, et petam a vobis, ut ea, quae dicam, non de memetipso, sed de oratore dicere putetis. Ego enim sum is, qui, quum summo studio patris in pueritia doctus essem, et in forum ingenii tantum, quantum ipse sentio, non tantum, quantum forsitan vobis videar, detulissem, non possim dicere, me haec, quae nunc complector, perinde, ut dicam discenda esse, didicisse; quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim, annosque natus unum et viginti, nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim; cui

promiscue haurire possent; sed salva est vulgata, modo post *mutuarentur* ellipsin verborum *ex fonte*, vel *ex thesauro* admiseris facile supplendorum. Sic ne excidisse quidem nonnulla cum Pearcio suspicandi locus.

* *Vt pontifices veteres*) Alio exemplo, quemadmodum discidium illud factum sit, ostendit. Epulones initio tres dumtaxat creati sunt, ut prodit Livius lib. XXXIII, Pomponius Laetus duos postea ait fuisse adiunctos, ut quinque essent. Postmodum denique ad septem pervenisse certum est. Plerumque enim septemviri epulonum commemorantur. Quanam vero de causa, et a quo sit numerus iste adauctus, incertum est. Munus illorum fuit publicis epulis praeesse, quae scilicet in ludis publicis praebebantur, ut ex Cicerone de Haruspicum responsis colligitur. PETAV.

De me deprecabor) Male Pearcius *mè deprecabor* praeferendum duxit. Nam *deprecari aliquem* dicitur de eo, cui delicti veniam a iudice expetimus; de quo hic non agitur. *De me* potius h. l. est *quod ad me attinet*.

Quantum forsitan vobis videar) Male post *quantum* repetitum *ipse* vero Ernestii arbitrio delevimus. Eodem iudice repetitum *tantum* melius abfuerit. *Videatur* autem pro *videar* non placet.

* *Annosque natus unum et viginti*) Auctor dial. de causis corr. Eloqu. c. 34, ait id factum esse nonodecimo L. Crassi anno. Verior tamen videtur Ciceroniana temporis notatio. Fortasse nonodecimo anno primum ad causas publicas accesserat Crassus; et triennio post Carbonem accusavit.

disciplina fuerit forum, magister usus, et leges et instituta populi Romani, mosque maiorum. Paulum sitiens istarum artium, de quibus loquor, gustavi, quaestor in Asia quum essem, aequalem fere meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum, de cuius memoria commemoravit Antonius; et inde decedens, Athenis: ubi ego diutius essem moratus, nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quae biduo serius veneram, succensuissem. Quare hoc, quod complector tantam scientiam vimque doctrinae, non modo non pro me, sed contra me est potius (non enim, quid ego, sed quid orator possit, disputo); atque hos omnes, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos. Scribunt enim de litium genere, et de principiis, et de narrationibus. Illa vis autem eloquentiae tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturae, quae mores hominum, quae animos, quae vitam continet, originem, vim, mutationesque teneat; eadem morem, leges, iura describat, rempublicam regat, omniaque, ad quamcunque rem pertineant, ornate, copioseque dicat. In quo genere nos quidem versamur tantum, quantum possumus, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum usu valemus:

* *Magister usus, et leges et instituta populi Romani, mosque maiorum*) Vix crediderim, *leges, instituta, morem* a Cicerone magistros oratoris dictos esse. Nam haec omnia discere debet orator, non ab iis tanquam a magistro erudiri. Fortasse scripserat auctor: *cui disciplina fuerit forum, magister usus,* doctrina *leges et instituta populi Rom. mosque maiorum.*

* *Mysteria*) Athenis maiora quidem erant Cereris, minora Proserpinae: quorum spectandi cupidissimus Crassus, quum biduo ante exhibita essent, non potuit ab Atheniensibus obtinere, ut ea referrentur. Prust.

Atque hos omnes) Nempe post *atque* ex verbis *contra me est potius* vel tacite repetendum *contra*, vel hic iterum scribendum.

Eadem morem) Sic legendum est, scil. *morem maiorum*, non ut vulg. *mores*, nam hi iam antea nominati erant.

Ad quamcunque rem pertineant) Hoc Ernesti dedit ex ed. s. l. et a. Med. Asceus. Vulg. *omnia, quae ad quamcunque rem pertineant.*

neque tamen istis, qui in una philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocarunt, multum sane in disputatione concedimus.

21. Quid enim meus familiaris C. Velleius afferre potest, quamobrem voluptas sit summum bonum, quod ego non copiosius possim vel tutari, si velim, vel refellere ex illis locis, quos exposuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Velleius est rudis, unusquisque nostrum versatus? Quid est, quod aut Sext. Pompeius, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panaetio vixit, M. Vigellius, de virtute hominum stoice possint dicere, qua in disputatione ego his debeam, aut vestrum quisquam concedere? Non est enim philosophia similis artium reliquarum. Nam quid faciet in geometria, qui non didicerit? quid in musicis? Aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem indicetur. Haec vero quae sunt in philosophia, ingeniis eruuntur, ad id, quod in quoque verisimile est, eliciendum acutis atque acribus, eaque excogitata oratione poliuntur. Hic noster vulgaris orator, si minus erit doctus, attamen in dicendo exercitatus, hac ipsa exercitatione communi istos quidem verberabit, neque se ab iis con-

Stoice) Optimam hanc lectionem Heusingeri ingenio debemus. Vulg. *Stoici.*

* *Haec vero quae sunt in philosophia, ingeniis, etc.*) Id est, in ceteris artibus tantum id scimus, quod didicimus: elementa vero, sive principia philosophiae natura nobis inserit: qui ingeniis acutis et acribus praediti sunt, facile ea, quae probabilia sunt in philosophia invenient, et, si iidem in dicendo exercitati sunt, ea oratione ornabunt. PEARC.

Eaque excogitata, oratione poliuntur) Hoc est, *quum fuerint excogitata*, s. quo verbo paulo ante usus erat, *ingenio eruta*, oratione poliuntur. Vulg. *eaque exercitata oratione poliuntur*, in quo *exercitata* non solum, quia statim sequitur *exercitatus* — *exercitatione*, auribus grave est, sed etiam vix latinum *exercitata oratio*. Itaque sine haesitatione correxi *excogitata*.

Hic noster) Bene Ernesti, quum vulgo legeretur *hic hic*, alterum *hic* delevit faventibus edd. vett. et codd. Mss. aliquot apud Pearcium.

Istos quidem) Vulg. additum no-

temni ac despici sinet. Sin aliquis exstiterit aliquando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque sententiam possit dicere, et in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arcesilae modo et Carneadis, contra omne quod propositum sit, disserat; quique ad eam rationem adiungat hunc rhetoricum usum, exercitationemque dicendi, is sit verus, is perfectus, is solus orator. Nam neque sine forensibus nervis satis vehemens et gravis, nec sine varietate doctrinae satis politus et sapiens esse orator potest. Quare Coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui evolent cla-

stros prorsus ineptum eiecimus, quod iam Ernestius uncis inclusit. Respicit *Stoicos*, quod tamen intelligi hic debet, non scribi.

Verberabit) Suspectum mihi est hoc verbum, utpote pro sententia nimis forte. Aptius esset *urgebit*.

In utramque sententiam) Vulg. *in utramque partem sententiam*. Rectius Aldina delet *partem*.

Hunc rhetoricum usum, exercitationemque dicendi) Vulgo post *usum* additur *moremque*, quod, ut superfluum glossema, Lambino auctore expunxi. Quid? quod verba quoque *hunc rhetoricum* vix a Cicerone profecta sunt. Nam non de declamatione in scholis rhetorum, sed de *usu forensi dicendi* loquitur, quod cap. 20 et 21 continuum attentius legenti facile patebit.

* *Coracem istum vestrum*) « Non satis constat, quo sensu dicatur illud *vestrum*; nemo enim eorum, qui aderant, Coracis praecepta sequebatur; Antonius I, 20, vocarat eum *Coracem nescio quem*, quibus verbis plane significat, Coracem nullo apud ipsum honore fuisse; aut igitur delendum videtur *vestrum*; aut legendum *Rhetorem*, vel, ut placuit cuidam amico meo, *veterem*; nam quia omnium rhetorum primus fuit, iure potuit *vetus vocari* » Haec Pearcius ad h. l. monuit; in quibus *Rhetorem* addi minime placet; si quid mutandum sit, malim *vestrum* deleri, quod tamen Ernesti sic defendit, ut sit i. q. *Coracem heri a vobis commemoratum*.

* *Quare Coracem istum*) Corax ille rhetor, et quem merito cum Graecis φερώνυμον appellares, hoc est dignum suo nomine, corvi scilicet garrulitate similem; rhetoricae etiam inventor dicitur apud Suidam. Sed eximiam hanc laudem obscuratam fuisse necesse est, quum ab eo natum sit, eodem teste, dictum illud: κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Mali corvi malum ovum. Coracis meminit Aristoteles lib. II Rhetor. et in epist. ad Alexandrum, quae operi rhetorico ad eum scripto praefigitur, ubi sese duo volumina mittere ait; unum a se, aliud a Corace scriptum. PETAV.

Excludere in nido, qui evolent) Lambinus *excludere, e nido qui evo-*

matores odiosi ac molesti; Pamphilumque nescio quem sinamus in infulis tantam rem, tanquam pueriles delicias aliquas, depingere: nosque ipsi hac tam exigua disputatione hesterni et hodierni diei totum oratoris munus explicemus, dummodo illa res tanta sit, ut omnibus philosophorum libris, quos nemo rhetorum istorum unquam attigit, comprehensa esse videatur.

22. Tum Catulus, Haudquaquam hercle, inquit, Crasse, mirandum est, esse in te tantam dicendi vel vim, vel suavitatem, vel copiam; quem quidem antea natura rebar ita dicere, ut mihi non solum orator summus, sed etiam sapientissimus homo viderere; nunc intelligo, illa te semper etiam potiora duxisse, quae ad sapientiam spectarent, atque ex his hanc dicendi copiam fluxisse. Sed tamen, quum omnes gradus aetatis recordor tuae, quumque vitam tuam ac studia considero; neque, quo tempore ista didiceris, video, nec magnopere te istis studiis, hominibus, libris, intelligo deditum. Neque tamen possum statuere, utrum magis mirer, te illa, quae mihi persuades maxima esse adiu-

lent, quod sane non est aspernandum.

* *Dummodo illa res tanta sit, ut omnibus philosophorum libris — comprehensa esse videatur*) Recte Pearcius exposuit: modo illa res credatur tanta esse, ut non minori spatio, quam omnibus philosophorum libris comprehendatur. Nempe hic aliis verbis exprimit eadem, quae supra cap. 20 sic enuntiaverat: *illa vis autem eloquentiae tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturae — — originem, vim, mutationesque tenent.*

* *Quos nemo rhetorum istorum attigit*) Nempe qualis Corax, Tisias, Pamphilus aliique fuere. Non enim dubitavimus Pearcii emendationem recipere, quum vulgo legeretur *oratorum*, quam lectionem frustra defendit Ernesti, quasi hic de discipulis Coracis, quos paulo ante *clamatores* appellavit, agatur. Manifestum vero est, Crassum de praeceptoribus artis Rhetoricae vulgaribus loqui, prorsus ut I, 19: *haec autem esse penitus in media philosophia abdita et retrusa, quam isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent.*

Intelligo deditum. Neque tamen) Recte sic interpunxit Ernesti. Nam in *neque tamen* novae est sententiae initium: non tertium aliquod superioris periodi membrum, quod illa duo *neque quo tempore*, — *nec magnopere* continuet.

menta, potuisse in tuis tantis occupationibus perdiscere; an, si non potueris, posse isto modo dicere. Hic Crassus, Hoc tibi, inquit, Catule, primum persuadeas velim, me non multo secus facere, quum de oratore disputem, ac facerem, si esset mihi de histrione dicendum. Negarem enim posse eum satisfacere in gestu, nisi palaestram, nisi saltare didicisset; neque, ea quum dicerem, me esse histrionem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. Similiter nunc de oratore, vestro impulsu, loquor, summo scilicet. Semper enim, quacunque de arte, aut facultate quaeritur, de absoluta et perfecta quaeri solet. Quare si iam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo. Quid enim nunc sim ineptus? Ita me existimari scio. Quod si ita est, summus tamen certe non sum. Neque enim apud homines res est ulla difficilior, neque maior, neque quae plura adiumenta doctrinae desideret. Attamen quoniam de oratore nobis disputandum est, de summo oratore dicam necesse est. Vis enim, et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis, et quanta sit, intelligi non potest. Me autem, Catule, fateor, neque hodie in istis libris et cum istis hominibus vivere; nec vero, id quod tu recte commeministi, ullum unquam habuisse sepositum tempus ad discendum, ac tantum tribuisse doctrinae temporis, quantum mihi puerilis aetas, forenses feriae concesserint.

23. Ac si quaeris, Catule, de doctrina ista quid ego sentiam, non tantum ingenioso homini, et ei, qui forum, qui curiam, qui causas, qui rempublicam spe-

Concesserint) Guelf. B, *concesserunt*.

Ac si quaeris) Sic Guelf. B, C, Nonnullae edd, ut Victor. *at si quaeris*.

ctet, opus esse arbitror temporis, quantum sibi ii sumserunt, quos discentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt; aliter ab iis, qui, ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi. Magister hic Samnitium et summa iam senectute est, et quotidie commentatur. Nihil enim curat aliud. At Q. Velocius puer addidicerat. Sed quod erat aptus ad illud, totumque cognorat, fuit, ut est apud Lucilium,

— — — quamvis bonus ipse
Samnis in ludo, ac rudibus cuivis satis asper;

sed plus operae foro tribuebat, amicis, rei familiari. Valerius quotidie cantabat. Erat enim scenicus. Quid faceret aliud? At Numerius Furius, noster familiaris,

Magister hic Samnitium et summa iam senectute est) Guelf. B, C, melius omittitur *et* ante *summa*. Ernesti illud addidit ex edit. Woldarf.

* *Magister hic Samnitium*) Quantum ab iis, qui artes transferunt ad usum, distent qui in earum cognitione conquiescunt, triplici probat exemplo. Primum est duorum lanistarum, qui tunc temporis celebres erant. Alter quidam, quem apprime novistis, magister Samnitium: id est, gladiatorum magister (Samnites enim, teste Festo, gladiatores) totus in arte sua occupatus, aliud nihil cogitat: alter, Q. Velocius, quantumvis artis numeros omnes calleret, et pugnando cederet nemini, tamen operam foro impendebat, amicis praestabat obsequium, at rem familiarem curabat. Secundum exemplum est Valerii et Furii, musicorum; hic interdum, ille quotidie cantabat. Tertium est Q. Tuberonis et Africani, qui philosophiae dabant operam: Tubero impallescebat illis studiis, quibus Africanus horis tantum subcisivis incumbebat. PAVST.

Est, et quotidie commentatur) Guelf. C, *est. Quotidie commentatur*, minus bene. Ceterum *commentatur* de studio exercendi artem ludicram armorum, sive gladiatoriam.

At Q. Velocius) Guelf. B, *atque puer velocius*. Sic Victor. Ernesti *Velonius* praefert, omninoque h. l. sic legendum putat: *Atque ea Q. Velonius — addidicerat*.

Sed quod) Lambinus deleverat *sed*; Pearcius malebat *et*. Neutrum placet. Particula *sed* h. l. idem valet, quod *sed tamen*, aut *attamen*.

* *Aptus ad illud*) Scilicet negotium, artem rudibus batuendi.

* *Samnis in ludo*) Bene monet Ernestius, Samnitem hic non significare gladiatorem proprie dictum, sed hominem in armorum arte ludicra sic exercitatum, ut cum quovis gladiatore contendere posset.

Cuivis satis asper) Hanc lectionem cum Ernestio praeferendam arbitror

quum est commodum, cantat. Est enim paterfamilias, est eques Romanus. Puer didicit, quod discendum fuit. Eadem ratio est harum artium maximarum. Dies et noctes virum summa virtute et prudentia videbamus, philosopho quum operam daret, Q. Tuberonem. At eius avunculum vix intelligeres id agere, quum ageret tamen, Africanum. Ista discuntur facile, si et tantum sumas, quantum opus sit, et habeas, qui docere fideliter possit, et scias etiam ipse discere. Sed si tota vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio et quaestio quotidie ex se gignat aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges. Ita fit, ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis, si usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria studiumque permaneat. Libet autem semper discere; ut, si velim ego talis optime ludere, aut pila, studio tenear, etiam fortasse, si assequi non possim. At alii, quia praeclare faciunt, vehementius, quam causa postulat, delectantur, ut

alteri *cuvis satis asper*, quam defendit Lipsius Lect. Ant. V, 2.

* *Philosopho*) Panaetium significari idoneis argumentis docuit van Lynden in diss. de Panaetio pag. 51.

Gignat) Guelf. B, C, *gignit*. Illud ob consecutionem modorum cum Ernestio recepi. Ut hic est *si nihil velis — ex se gignat*, sic paulo post: *si velim ego — studio tenear*.

Ita fit, ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis, si usus doctrinam confirmet) Vulg. *facilis usus doctrinam confirmet*, nec ad sensum apte, nam quid est *facilis usus*? nec vero superioribus convenienter. Antea enim dixerat: *Ista discuntur facile, si et tantum sumas, quantum opus sit, et habeas, qui docere fideliter possit, et scias etiam ipse discere*, His igitur respondent illa: *facilis* (est cognitio harum rerum), *si usus doctrinam confirmet*, et quae sequuntur. Ad illa *tantum sumas, quantum opus est*, referuntur haec: *mediocris opera tribuatur*; ad illa *habeas, qui docere fideliter possit*, refertur *doctrina*; denique illa *et scias etiam ipse discere* respondent verbis *usus, memoria, studium*.

Ut, si velim ego talis optime ludere, aut pila, studio tenear, etiam fortasse, si assequi non possim) Vulgo *aut pilae studio tenear*, quod nexum orationis pervertit; in *studio tenear* enim est apodosis relata ad *si velim*. Ergo emendavi *aut pila, studio tenear*. His verbis *studio tenear* confirmat ea, quae paulo ante dixerat: *libet autem semper discere*.

Titius pila, Brulla talis. Quare nihil est, quod quisquam magnitudinem artium ex eo, quod senes discunt, pertimescat. Namque aut senes ad eas accesserunt; aut usque ad senectutem in studiis detinentur; aut sunt tardissimi. Res quidem se mea sententia sic habet, ut, nisi quod quisque cito potuerit, nunquam omnino possit perdiscere.

Iam, iam, inquit Catulus, intelligo, Crasse, quid dicas; et hercule assentior. Satis video tibi, homini ad perdiscendum acerrimo, ad ea cognoscenda, quae dicis, fuisse temporis. Pergisne, inquit Crassus, me, quae dicam, de me, non de re putare dicere? Sed iam, si placet, ad instituta redeamus. Mihi vero, Catulus inquit, placet.

24. Tum Crassus, Quorsum igitur haec spectat, inquit, tam longa, et tam alte repetita oratio? Hae duae partes, quae mihi supersunt, illustrandae orationis, ac totius eloquentiae cumulandae, quarum altera ornate dici postulat, altera apte, hanc habent vim, ut sit quam maxime iucunda, quam maxime in sensus eorum, qui audiunt, influat, et quamplurimis sit rebus instructa. Instrumentum autem hoc forense, litigiosum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum sane atque mendicum est. Illud rursus ipsum, quod tradunt isti, qui profitentur se dicendi magistros, non multum est maius, quam illud vulgare ac forense. Apparatu

* *Nisi quod* etc.) Hoc efflatum Crassi non omnino verum esse, quotidiana experientia comprobatur. PAVST.

* *Hae duae partes*) Supra dixeral Crassus quatuor esse dotes orationis, eam esse debere latinam, dilucidam, ornatam, et aptam: de duabus primis disputavit; reliquas deinde persequetur. ID.

Quarum altera ornate dici postulat, altera apte) Concinniorem hunc verborum ordinem ex ed. Omnib. revocavi. Vulg. *quarum altera dici postulat ornate, altera apte.*

Non multum est maius) Sic editt. vett.

nobis opus est, et rebus exquisitis, undique collectis, arcessitis, comportatis, ut tibi, Caesar, faciendum est ad annum; ut ego in aedilitate laboravi, quod quotidianis, et vernaculis rebus satisfacere me posse huic populo non putabam. Verborum eligendorum, et collocandorum, et concludendorum facilis est vel ratio, vel, sine ratione, ipsa exercitatio. Rerum est silva magna, quam quum Graeci iam non tenerent, ob eamque causam iuventus nostra dedisceret paene discendo, etiam Latini, si diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt; quos ego Censor edicto meo sustuleram; non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Graecos, cuiusmodi essent, videbam tamen esse, praeter hanc exercitationem linguae, doctrinam aliquam,

* *Et rebus exquisitis, undique collectis, arcessitis, comportatis*) Sic emendavi vulgatum: '*ut rebus exquisitis undique et collectis, arcessitis, comportatis.* Nam exquisitae res sunt ornamenta pretiosa, rara, et haud vulgaria; haec ab aedilibus vel diuturno studio *colliguntur*, vel ex dissitis ac peregrinis locis *arcessuntur*, vel ex pluribus locis mutuo sumta *comportantur*.

* *Faciendum est ad annum*) Respicit ad aedilitatem, cuius annus Caesari e lege annali instabat; ad cuius ludos et munera, ut satisfieret populo, etiam diu ante erant providenda, quae ornarent et illustrarent illa munera. Ern.

* *Quos ego Censor edicto meo sustuleram*) Io. Frid. Heusingerus, teste eius filio in praef. ad Cic. Off. p. 60, *sustuleram* enallage temporis pro *sustuli* positum esse putabat. At enim plusquamperfectum hic vim suam tuetur, si Crassum quasi dubitare censeas, an edictum suum, quo latinos rhetores sustulerat, etiam in posterum vim et effectum habiturum sit. Ac profecto statim post eius censuram scholae latinorum rhetorum magis etiam quam antea celebratae sunt. Respicit h. l. auctor dial. de causis corr. eloqu. cap. 35: « At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora exstitisse, nec placuisse maioribus nostris, ex eo manifestum est, quod L. Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, *ludum impudentiae* iussi sunt. » Edicti autem huius formulam servavit Gellius N. A. XV, 11.

* *Cuiusmodi essent*) H. e. qualescunque essent graeci doctores, scil. quamvis alia essent, quae in iis desiderarentur, tamen erat in iis doctrina et humanitas.

et humanitatem dignam scientia; hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent; quod, etiam cum bonis rebus coniunctum, per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc quum unum traderetur, et quum impudentiae ludus esset, putavi esse Censoris, ne longius id serperet, providere. Quamquam non haec ita statuo atque decerno, ut desperem, latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri: patitur enim et lingua nostra, et natura rerum, veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferri; sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc, in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt: sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi.

25. Ornatur igitur oratio genere primum, et quasi colore quodam et succo suo. Nam ut gravis, ut suavis,

* *Humanitatem dignam scientia*) Frustra Lambinus corrigendum opinabatur: *humanitate dignam scientiam.* Nam *scientia* iam verbis *doctrinam aliquam* comprehendebatur: ut iterum memoranda non esset. Imo potius in Graecis praedicat *humanitatem* illa doctrina et scientia *dignam*; eaque *humanitate* recte Pearcius morum suavitatem, modestiam, politumque ingenium significari vidit.

* *Nisi ut auderent*) Nempe nisi ut auderent discipuli dicere. Hunc enim paulo post appellat *impudentiae ludum.*

Vt desperem — tradi ac perpoliri) Probabiliter Pearcius coniecit addendum esse *posse.* Sic enim fere Cicero aliis locis, ut lib. III, cap. 36, nisi cum Ernestio statuas, in *tradi ac perpoliri* futurum tempus intelligi. Attamen h. l. non tam quid futurum sit, quam quid fieri possit, quaeritur; id quod confirmatur sequentibus: *patitur enim et lingua* etc.

Exstiterint) Guelf. C, *exstiterunt.*

Quasi colore quodam et succo suo) Frustra Wakefieldus ad Lucret. I, 645 corrigendum opinatur *et fuco suo.* Nam *fucus* semper est adventitius, nec corpori, cui adhibetur, proprius. Hic autem agitur de orationis ornatu, qui per totum eius contextum funditur, sicut color et succus corporis non est in singulis membris, sed in toto corpore spectatur. Is igitur ornatus est duplex, alter qui cum valetudine corporis succulenti, alter qui cum eius colore comparatur, opponiturque sententiarum et verborum luminibus, quibus hic ibi oratio distinguitur. Wakefieldi coniecturam prorsus convincit locus cap. 52: « His tribus figuris insidere quidam venustatis *non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color* ».

ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat, quantum opus sit, non est singulorum articulorum; in toto spectantur haec corpore. Vt porro conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus, id non debet esse fusum aequabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint, quasi in ornatu, disposita quaedam insignia et lumina. Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, et quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet. (Non enim a me iam exspectari puto, ut moneam, ut caveatis, ne exilis, ne inculta sit vestra oratio, ne vulgaris, ne obsoleta: aliud quiddam maius, et ingenia me hortantur vestra, et aetates). Difficile enim dictu est, quaenam causa sit, cur ea, quae maxime sensus nostros impellunt voluptate, et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienemur. Quanto colorum pulcritudine et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in veteribus? quae tamen, etiamsi primo adspectu nos ceperunt, diutius non delectant; quum iidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque teneamur. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsae voculae, quam certae et severae? quibus tamen non modo austeri, sed, si saepius fiunt, multitudo ipsa reclamat. Licet hoc videre in reliquis sensi-

Non enim — et aetates) Bene fecerunt Manutius et Pearcius, quod ista verba signis parenthiseos incluserunt. Nam quae sequuntur: *difficile enim dictu est*, cohaerent cum verbis: *sed etiam sine satietate delectet.*

Difficile enim) Sic Guelf. B, C.

Quanto colorum pulcritudine) Exemplis, quod dixerat, illustrat. De vario genere picturae, singulorumque generum proprietate, superius dixit. Pictura vetus, etsi rudis, nec ita florida, ipsa tamen antiquitate delectat. Eodem pacto in musica, vox ad suavitatem infracta et inflexa, si nimium iteretur, displicet. PEAR.

bus; unguentis minus diu nos delectari, summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis; et magis laudari, quod ceram, quam quod crocum olere videatur; in ipso tactu esse modum et mollitudinis et laevitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quique dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit? Quis potione uti, aut cibo dulci diutius potest? quum utroque in genere ea, quae leviter sensum voluptate moveant, facillime effugiant satietatem. Sic omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est; quo hoc minus in oratione miremur; in qua vel ex poëtis, vel

Quod ceram) Alii (ut Victor.) malunt *terram*, quod defendit Petavius e Plin. Hist. Nat. XVII, 5. — Vulgatum autem defendit Brodaeus Misc. IV, 5, cui assentior. Nam *cera* in unguento intelligi potest, non *terra*. Ern.

* *Quam quod crocum olere videatur*) Plinius Hist. Nat. XVII, 5: « Certe, inquit Cicero, lux doctrinarum altera, *meliora*, inquit, *unguenta sunt, quae terram, quam quae crocum sapiant*. Hoc enim maluit dixisse quam *redolent* ». In quo Plinius hunccine locum, an alium quendam e deperdito Ciceronis libro respexerit, dubium est. Equidem ex alio potius libro sumtum, vel, si hoc nostro Plinius uti voluerit, certe memoriter tantum relatum esse puto, nec me movet illa Plinii auctoritas, ut Ciceronem h. l. *sapere*, non *olere* scripsisse putem, etsi video, hoc Spaldiogio ad illum Quintiliani locum placere, cuius ingenio et doctrinae plurimum tribuo. Neque vero hic, ubi de odoratu agitur, ac deinde demum de gustatu, satis aptum fuisset vocabulum *sapere* pro *olere* positum.

Quique dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur) Guelf. B, C, *quippe dulcitudine*. Olim edebatur *quique dulcedine*. At *dulcitudine* habet Nonius p. 46, b. Sed tota haec lacinia, nisi a glossatore adiecta est, certe est Cicerone indigna. Nam quis post illa verba, *qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius*, desideret ineptam hanc appendiculam: *quique* vel *quippe dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur*; quasi alii sensus, ut oculi, aures, tactus omnino commoverentur dulcitudine. Ac si *praeter ceteros* h. l. non pro *praecipue*, sed pro *solus* positum esse dicas, quod fieri posse sentio, manet tamen hoc, inutiliter istam sententiam hic inculcari.

Effugiant) Guelf. C, *fugiant*, ut vulgo. Ernesti dedit *effugiant*, cui tamen vix concesserim, *fugiant* h. l. ad sensum ineptum esse.

Quo hoc minus in oratione miremur; in qua vel ex poetis, vel ex oratoribus possumus iudicare — quamvis

ex oratoribus possumus iudicare, concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehensione, sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta vel poësis vel oratio, non posse in delectatione esse diuturnam. Atque eo citius in oratoris, aut in poëtae cincinnis ac fuco offenditur, quod sensuum nimia voluptate naturae non mentes satiantur; in scriptis et in dictis non aurium solum, sed animi iudicio etiam magis infucata vitia noscuntur.

26. Quare, *bene*, et *praeclare*, quamvis nobis saepe

claris sit coloribus picta vel poësis vel oratio) In his verba *vel ex oratoribus*, deinde illa: *vel poesis vel oratio* molestae glossatoris sedulitati tribuendu esse arbitror. Videat enim mihi lector, quanto uptins his omissis omnia procedant: « Sic omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est; quo hoc minus in oratione miremur, in qua vel ex poetis possumus iudicare, concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehensione, sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta, non posse in delectatione esse diuturna ». Nimirum Cicero sic argumentatur: Si ne poëtae quidem, a quibus omnia ad voluptatem referuntur, fastidium effugiunt, si sine varietate et intermissione dulces esse velint, multo minus ista perpetua festivitas et concinnitas in oratoribus feretur.

Quod sensuum nimia voluptate naturae non mentes satiantur) Vulgo: *quod sensus, in nimia voluptate natura non mente satiantur*, qua in lectione hoc incommodum est, quod nullo modo potest dici, *sensus mente satiari*. At quum in sensuum voluptate nimia hoc accidere soleat, ut ipsum sentiendi instrumentum nimis fatigetur, adeoque satietur, etiamsi mens ipsa nondum sit voluptate satiata, spero me veram Ciceronis scripturam indagasse: *quod sensuum nimia voluptate naturae* (scil. ipsorum) *non mentes satiantur*, quae melius etiam quam vulgata sequentibus respondet: *in scriptis et in dictis non aurium solum, sed animi iudicio etiam magis infucata vitia noscuntur*. Lambini lectio: *quod sensu in nimia voluptate non mente satiatur*, eodem quo vulgata incommodo premitur.

* *Quare, bene, et praeclare*) Solebant non modo in scholis auditores, sed in foro populus oratoribus acclamare, quum aliquid impensius placeret, utque hae erant acclamationes usitatae, *bene*, *praeclare*, *belle*, *festive*, *euge*, cuiusmodi assentationum insaniam reprehendit Persius Sat. I, 47, et Plutarchus Tractatu de audiendo. Atque eò etiam morbus iste pervasit, ut nonnullos subornatos homines haberent, qui in exclamando ceteri praeirent. Hinc natum fortasse, ut Graeci Θαυμάζειν, quod est *admirari*, pro eo quod est discipulum esse et auditorem, sumerent, ut est apud Hesychium. PETAV.

dicatur; *belle*, et *festive*, nimium saepe nolo. Quamquam illa ipsa exclamatio, *Non potest melius*, sit velim crebra: sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest:

Nam sapiens virtuti honorem, praemium, haud praedam petit;

sed abiicit prorsus, ut in proximos

Ecquid video? ferro septus possidet sedes sacras?

incidat, aspiciat, admiretur, stupescat. Quid ille alter:

Quid petam praesidi?

quam leniter? quam remisse? quam non actuose? instat enim,

O pater, o patria, o Priami domus!

in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumta superiore motu et exhausta. Neque id actores prius viderunt, quam ipsi poëtae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos, a quibus utrisque summittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur,

Vmbram aliquam et recessum) Huc respexit Quintil. II, 12, 7.

* *Sed abiicit prorsus*) H. e. quasi praetereundo pronuntiat, sine vi, sine gestu.

Vt in proximos, Ecquid video — incidat) Frustra corrigere ausus est Gruterus: *ut in proximo: Sed quid.* Nam *in proximos*, scilicet versus, *incidere* est proximos versus maiore cum vi pronuntiare. Neque enim, ut Heusingerus (referente filio in praef. ad Cic. Offic. p. 46) putavit, post *incidat* supplendum est *spectator*; qui male cavillatus est Ernestium, quasi is Roscium se ipsum in scena admirantem ac sibi ipsi adstupentem facere voluerit. Immo recte Ernesti de maiore vi actionis in illum versiculum: *Ecquid video* etc. collata intellexit. In huius pronuntiatione Roscius aspicere locum, vel sedes sacras, quas ferro septus possidebat, et intentius contueri, vehementerque, quid illud esset, admirari et stupescere videbatur.

Quid petam praesidi?) Est versus Creticus. Cf. infra cap. 47 extr. Tusc. Quaest. III, 19.

* *A quibus utrisque*) Nempe a poetis et musicis.

Summittitur aliquid, deinde auge-

variatur, distinguitur. Ita sit nobis igitur ornatus et suavis orator (nec tamen potest aliter esse), ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. Nam ipsa ad ornandum praecepta, quae dantur, eiusmodi sunt, ut ea, quamvis vitiosissimus orator, explicare possit. Quare, ut ante dixi, primum silva rerum comparanda est, qua de parte dixit Antonius. Haec formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis.

27. Summa autem laus eloquentiae est, amplificare rem ornando, quod valet non solum ad augendum aliquid et tollendum altius dicendo, sed etiam ad extenuandum atque abiiciendum. Id desideratur omnibus iis in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, vel quum explanamus aliquid, vel quum

tur, extenuatur) Lambinus: *summittitur aliquid atque extenuatur, deinde augetur, inflatur* etc. non male quidem, sed vulgata tamen haud deterior.

Aliter esse) Scilicet ut Pearcius recte intellexit, tacite repetendum *suavis et ornatus.*

Ut ea, quamvis vitiosissimus orator) Guelf. B, C, *ut ea quivis vitiosissimus*, fortasse verius.

Silva rerum) Vulg. additur *et sententiarum*, quod iure delevi, quia sequitur haec *varianda sententiis.* Et supra cap. 24 simpliciter dictum: *Rerum est silva magna.*

* *Ad augendum aliquid*) Exemplum sit illud ex Verrina VII depromptum: *Facinus est vinciri civem romanum: scelus verberari: prope parricidium necari; quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Non fuit his omnibus iste contentus. Spectet, inquit, patriam, in conspectu legum, libertatisque moriatur.* PRUST.

* *Ad extenuandum*) Quod praestitit Tullius in Ligariana: *Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alii errorem appellant: alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui gravissime, temeritatem: scelus praeter te adhuc nemo. Ac mihi quidem si proprium et verum nomen nostri mali quaeratur, fatalis quaedam calamitas incidisse videtur, et improvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat humana consilia divina necessitate esse superata.* ID.

Ad fidem orationis faciendam) Pearcius negat opus esse, ut corrigatur *orationi*; affertque locum Acad. IV, 7: *multaque facimus usque eo, dum aspectus ipse fidem faciat sui iudicii*; de cuius tamen lectionis veritate subdubitat Ernesti. Verum in illo Academicorum loco alia ratio

conciliamus animos, vel quum concitamus. Sed in hoc, quod postremum dixi, amplificatio potest plurimum, eaque una laus oratoris est propria maxime. Etiam maior est illa exercitatio, quam extremo sermone instruxit Antonius, primo reiiciebat, laudandi et vituperandi. Nihil est enim ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius, quam utrumque horum cumulatissime facere posse. Consequentur etiam illi loci, qui quamquam proprii causarum, et inhaerentes in earum nervis esse debent, tamen quia de universa re tractari solent, *communes* a veteribus nominati sunt: quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem, aut querelam, contra quam dici nihil solet, nec potest, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam (quibus uti, confirmatis criminibus, oportet; aliter enim ieiuni sunt, atque inanes); alii autem habent deprecationem, aut miserationem; alii vero ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet. Quae exercitatio nunc propria duarum philosophiarum, de quibus

est. Ibi enim hoc significatur: *dum aspectus ipse fidem nobis faciat sui iudicii.* Hic autem nihil aliud nisi res, cui fides facienda sit, memoratur, ut necessario scribendum videatur: *ad fidem orationi faciendam.* — Et ita rescripsi. Ed. Taur.

Est propria) Guelf. B, C, ut vulg. *est et propria.* Verissime autem Pearcius emendavit: *eaque una laus oratoris est propria maxime.* Sic Brut. c. 5: *quod unum est oratoris maxime proprium.*

Quam extremo sermone instruxit Antonius, primo reiiciebat) Fortasse Cicero scripsit: *primo a se reiiciebat*, ne *reiiciebat* simpliciter dictum ambiguitatem pararet, lectoremque ad *aspernandi* aut *improbandi* notionem abduceret. Nempe lib. II, cap. 11 de tertio laudationum genere disserendum sibi esse negaverat, quia non omnia oratoris officia propriis praeceptis instruere necesse esset. Cap. 84 tamen, postquam se illud laudationum genus initio a praeceptis suis secrevisse professus erat, eum etiam locum breviter pertractat.

* *Depeculatorem*) Reum peculatus, sive raptae pecuniae publicae. Vox inde deducta, auctore Festo, quod initium huius fraudis a pecore olim fieri soleret. Pyst.

* *Nunc propria duarum philosoph.*)

ante dixi, putatur: apud antiquos erat eorum, a quibus omnis de rebus forensibus dicendi ratio et copia petebatur. De virtute enim, de officio, de aequo et bono, de dignitate, utilitate, honore, ignominia, praemio, poena, similibusque de rebus, in utramque partem dicendo alliciendi animos, et vim, et artem habere debemus. Sed quoniam de nostra possessione depulsi, in parvo, et eo litigioso, praediolo relicti sumus, et aliorum patroni, nostra tenere tuerique non potuimus: ab iis, quod indignissimum est, qui in nostrum patrimonium irruperunt, quod opus est nobis mutuemur.

28. Dicunt igitur illi, qui nunc quidem ex particula parva urbis ac loci nomen habent, et Peripatetici philosophi, aut Academici nominantur, olim autem, propter eximiam rerum maximarum scientiam a Graecis politici philosophi appellati, universarum rerum pu-

Quasnam significet, planum est et facile. Peripateticos enim et Academicos innuit. Petav.

In utramque partem dicendo alliciendi animos, et vim, et artem habere debemus) Vulgo: *in utramque partem dicendi animos et vim et artem habere debemus*, in quo quid significet *animos*, nec Ernesti explicare poterat, nec quemquam alium expulaturum arbitramur. Itaque Purgoldi emendationem h. l. ut certe in textu legeretur, quod intelligi posset, tantisper recepimus, donec aliquis meliora forte docuerit.

De nostra possessione) Huius loci talis est sententia. Quoniam philosophi dum disserunt de moribus, ea invaserunt, quae tractanda erant a rhetoribus, quibus nihil iam praeter causas forenses superest, a philosophis, qui nostra bona depraedati sunt, mutuemur id quod nobis est necessarium. Ducta translatio ab iis, qui paterna possessione deiecti, compelluntur in vile praediolum, de quo etiam lis intenditur. Litigiosum praediolum dicit non propter eas lites, in quibus versantur oratores, sed quod philosophi oratoribus detrahere volunt iudicialium quaestionum partem optimam. Illis enim concedunt quaestionem finitam, infinitam sibi vindicant. Streb.

Dicunt igitur illi, qui nunc quidem ex particula parva) Transpositione restituimus locum, vulgo sic in omnibus editum: *dicunt igitur nunc quidem illi, qui ex particula parva.* Etenim *nunc quidem* aperte opponitur sequentibus *olim autem.* Vtrumque autem refertur ad nomina philosophorum, qui nunc quidem Peripatetici aut Academici appellantur, olim autem Politici vocabantur.

blicarum nomine vocabantur, omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut definitae controversiae certis temporibus ac reis; hoc modo: Placeatne a Carthaginiensibus captivos nostros, redditis suis, recuperari? aut infinite de universo genere quaerentis: Quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit? Atque horum superius illud genus caussam aut controversiam appellant, eamque tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt: haec autem altera quaestio infinita et quasi proposita, consultatio nominatur. Atque hactenus loquuntur illi; quamquam Rhetores etiam hac in instituendo divisione utuntur, sed ita, non ut iure, aut iudicio, aut vi denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex iure civili, surculo defringendo, usurpare videantur. Nam

Aut definitae controversiae) Vulg. *aut definita controversia.* Sed genitivum requiri bene iam Peareius monuit.

Et quasi proposita) Hoc vocabulo Cicero latine expressit Graecorum θέσιν. Wyttenbachius in eclog. hist. p. 348 exponit *lata et quasi procul posita*, quod longius, quam necesse erat, repetitum videtur.

Atque hactenus loquuntur illi; quamquam rhetores etiam hac in instituendo) Ita sine dubio legendum. Et partem huius correctionis iam Hotomannus suasit. Vulgo: *atque hactenus loquuntur. Etiam hac in instituendo* etc.

In instituendo) Guelf. B, C omittunt *in*.

Sed ita, non ut iure, aut iudicio, ut denique recuperare amissam possessionem) Perplacuit Lambini ratio, Schutzio aliisque probata: *sed ita, non ut iure aut iudicio aut vi denique r. a. p.* et ita rescripsi. Ed. T.

* *Surculo defringendo*) Ita philosophos illos de rhetorica tradere aliquid docet, ut non sibi penitus illam vindicent, neque in eam tanquam possessionem manus iniiciant, sed de ea etiamnum contendentes imaginaria vindicatione usurpent in exigua aliqua parte. Olim enim petitor possessorem una cum praetore in rem praesentem ducebat: unde adversarium manu prehendens, rem, de qua erat contentio, sibi vindicabat; quod *manum conserere* appellabant. Posteaquam vero propagatis Italiae finibus, praetores negotiis occupati proficisci ad longinquas res gravabantur, institutum est, ut litigantes non apud praetores manum consererent, sed *ex iure*, id est, ex eo loco ubi ius reddebatur, *manum consertum vocarent*, id est alter alterum ad manum conserendam in rem de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, uti unam glebam, in

illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipsum lacinia. Nunc enim apud Philonem, quem in Academia maxime vigere audio, etiam harum iam causarum cognitio exercitatioque celebratur. Alterum vero tantummodo in prima arte tradenda nominant, et oratoris esse dicunt: sed neque vim, neque naturam eius, nec partes, nec genera proponunt, ut praeteriri omnino fuerit satius, quam attentatum deseri. Nunc enim inopia reticere intelliguntur, tum iudicio viderentur.

29. Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua quaeri et disceptari potest, sive in infinitis consultationibus, sive in iis causis, quae in civitate, et in forensi disceptatione versantur; neque est ulla, quae non aut ad cognoscendi, aut ad agendi vim rationemque referatur. Nam aut ipsa cognitio rei scientiaque perquiritur, ut: Virtus suamne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur? aut agendi consilium exquiritur, ut: Sitne sapienti capessenda respublica? Cognitionis autem tres modi, coniectura,

ins in urbem ad praetorem deferrent, et in ea gleba, tanquam in toto agro, vindicarent. Nonnunquam et surculum ex arbore detractum ferebant. Multa de eo ritu Brissonius in Formulis. Itaque similitudo Ciceroniana haec est: Quo illi modo litigantes in parte agri exigua haerent, nec dum totum obtinuerunt; sic philosophos, dum paucula quaedam delibant ex rhetoricis, non veterem possessionem ex toto usurpare, quasi postliminio, sed particulam illius quasi adhuc alienae rei arripere. PETAV.

Lacinia) Lacinia aliquid tenere vel obtinere, idem valet, ac rem nonnisi leviter tenere. Phrasis eadem in Plauti Asin. III, 2, 41. PEARC.

Celebratur) Guelf. C, *celebrantur*.

Nec partes, nec genera) Delendum arbitror *nec genera*. Inepte enim diceretur *alterius generis genera proponere*. In Guelf. A est *neque naturam eius partis nec genera*; unde fortasse colligas Ciceronem scripsisse: *neque naturam eius generis nec partes proponunt*.

Sive in infinitis consultationibus) Vulgo hic additur *disceptatur*, quod nec necessarium est, et inter proxima *disceptari potest*, et *forensi disceptatione* auribus molestum; ut interpolationem potius quam Ciceronis manum prodere videatur. Itaque delevi.

definitio, et, ut ita dicam, consecutio. Nam, ecquid in re sit, coniectura quaeritur; ut illud: Sitne in humano genere sapientia. Quam autem vim quaeque res habeat, definitio explicat; ut, si quaeratur, quid sit sapientia? Consecutio autem tractatur, quum, quid quamque rem sequatur, anquiritur; ut illud: Sitne aliquando mentiri boni viri? Redeunt rursus ad coniecturam, eamque in quatuor genera dispertiunt. Nam aut quid sit, quaeritur, hoc modo: Naturane sit ius inter homines, an opinionibus? aut quae sit origo cuiusque rei: ut, quod sit initium legum, aut rerum publicarum; aut causa, et ratio: ut, si quaeratur, cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiant; aut de immutatione: ut, si disputetur, num interire virtus in homine, aut num in vitium possit converti. Definitionis autem sunt disceptationes, aut, quum quaeritur,

Ecquid in re sit) Vulgo *quid in re sit*, quod non respondet ei quod adiungitur exemplo: nam quum quaeritur: sitne in humano genere sapientia, non *quid*, sed *an quid* in humano genere sit, quaeritur.

Anquiritur) Sic Guelf. B rectius quam vulg. *inquiritur*.

* *Sitne aliquando mentiri*) Recte Plato lib. II de Rep.: Ψεῦδος οὐ μόνον ὑπὸ θεῶν, ἀλλὰ καὶ ὑπ' ἀνθρώπων μισεῖται: *Mendacium non tantum a diis, sed etiam ab hominibus odio habetur.* Videtur ab hac sententia aliquantulum deflectere, quum libro V de Rep. mendacio tanquam pharmaco magistratibus utendum aliquando censet ad subditorum utilitatem. Mendacium officiosum approbat Tullius in Oratione pro Ligario. Aristoteles lib. IV Ethicorum, licitum unquam mendacium negat, cuius sententiae accedendum. Quid autem discrepent mentiri et mendacium dicere, ex Nigidio docet Gellius lib. XI, cap. 2. Pavst.

* *Quod sit initium legum*) Callicles in Gorgia Platonis ab infirmiori plebe leges inventas putat, quibus, ne quid praeter fas auderent, potentiores coërcerentur. Thrasymachus apud Platonem lib. I de Rep. iura et leges principum arbitrio putat constitutas. Unde perperam concludit illud esse ius, quod potentioribus est utile. Id.

* *Cur doctissimi*) Scilicet eruditorum perinde ac *vulgi opiniones in maxima inconstantia veritatis ignoratione versantur.* Tullius lib. I de Nat. Deor. Id.

Aut quum quaeritur) Sic recte Pearcius pro vulg. *ut quum quaeratur*; nam *ut* h. l. notat exempla disiunctorum generum.

quid in communi mente quasi impressum sit: ut, si disseratur, idne sit ius, quod maximae parti sit utile; aut, quum, quid cuiusque sit proprium, exquiritur: ut, ornate dicere, propriumne sit oratoris, an id etiam aliquis praeterea possit; aut, quum res distribuitur in partes: ut, si quaeratur, quot sint genera rerum expetendarum, et sintne tria, corporis, animi, externarumque rerum; aut quum, quae forma, et quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur; ut, si quaeratur avari species, seditiosi, gloriosi. Consecutionis autem duo prima quaestionum genera ponuntur. Nam aut simplex est disceptatio: ut, si disseratur, expetendane sit gloria; aut ex comparatione: laus, an divitiae magis expetendae sint. Simplicium autem sunt tres modi, de expetendis fugiendisve rebus: ut, expetendine honores sint; num fugienda paupertas; de aequo aut iniquo: ut, aequumne sit ulcisci iniurias etiam propinquorum; de honesto aut turpi: ut hoc, sitne honestum, gloriae causa mortem obire. Comparationis autem duo sunt modi: unus, quum, idemne sit, an aliquid intersit, quaeritur; ut *metuere* et *vereri*; ut *rex* et *tyrannus*; ut *assentator* et *amicus*; alter, quum, quid praestet aliud alii, quaeritur: ut illud, optimine cuiusque sapientes, an populari laude du-

Et sintne tria) Guelf. A, C, *ut sintne tria*. Sic et MSS. Harl. duo, it. Victor. Manut. Asc. Steph. Vulgo *aut sintne tria*. Sed *aut* hic praeponitur generibus disceptationum definitionis; *ut* vero exemplis; quumque hoc loco verba *sintne tria* uberius expliceut illa *quot sunt*, placuit nobis *et sintne tria*.

* *Aut quum, quae forma*) Notationes, sive descriptiones morum indicat, quos characteres Graeci vocant; quando res non simplici definitione aperitur, sed per multiplicia signa, et quasi vestigia explicatur. Cuiusmodi sunt morales Theophrasti characteres, quae in oratione collocata ethopoeiam faciunt, et praecipue ad comoedias pertinent. PETAV.

* *Laus, an divitiae*) Quaestionem solvit Salomon Proverbiorum cap. 21: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae*. PRVST.

cantur. Atque eae quidem disceptationes, quae ad cognitionem referuntur, sic fere a doctissimis hominibus describuntur.

30. Quae vero referuntur ad agendum, aut in officii disceptatione versantur, quo in genere, quid rectum faciendumque sit, quaeritur; cui loco omnis virtutum et vitiorum est silva subiecta: aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut sedanda, tollendave tractantur. Huic generi subiectae sunt cohortationes, obiurgationes, consolationes, miserationes, omnisque ad omnem animi motum et impulsio, et, si ita res feret, mitigatio. Explicatis igitur his generibus, ac modis disceptationum omnium, nihil sane ad rem pertinet, si qua in re discrepuit ab Antonii divisione nostra partitio. Eadem enim sunt membra in utriusque disputationibus, sed paulo secus a me, atque ab illo, partita ac distributa. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo. Nam ex illis locis, quos exposuit Antonius, omnia sunt ad quaeque genera quaestionum argumenta sumenda: sed aliis generibus alii loci magis erunt apti; de quo non tam quia longum est, quam quia perspicuum, dici nihil est necesse.

Ornatissimae sunt igitur orationes eae, quae latissime vagantur, et a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt et convertunt, ut ii, qui audiant, natura, et genere, et

Hominibus describuntur) *Viris describuntur* Guelf. A; *hominibus distribuuntur* Guelf. B.

Officii disceptatione) Guelf. B, *officii disputatione*.

Discrepuit) Sic Guelf. B, C, idemque est apud Nonium. Vulg. *discrepavit*.

Disputationibus) Guelf. A, *disputatione*. Et sic Pearcius e compluribus MSS. et tribus vett. Edd. Videturque singularis h. l. plurali praestare.

Ac distributa) Guelf. A, a. MSS, Grut. *atque tributa*.

* *Pensumque*) Proprie manipulus est lanae vel lini ex colo pendens, et a puellis fuso trahendus. metaphorice sumitur pro negotio cuique iniuncto. Ernst.

Natura, et genere, et universa re)

universa re cognita de singulis reis, et criminibus, et litibus statuere possint. Hanc ad consuetudinem exercitationis vos, adolescentes, est cohortatus Antonius, atque a minutis angustisque concertationibus ad omnem vim varietatemque disserendi vos traducendos putavit. Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neque Tusculani, atque huius ambulationis antemeridianae, aut nostrae pomeridianae sessionis. Non enim solum acuenda nobis, neque procudenda lingua est; sed ornandum complendumque pectus maximarum rerum suavitate, copia, varietate.

31, Nostra est enim (si modo nos oratores sumus, si in civium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi auctores et principes sumus), nostra est, inquam, omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt, atque etiam aut irridentes oratorem, ut

Malim *natura generis et universa re*; sicut paulo ante *generis vim*. Gulielmius commendabat lectionem duorum codd. Gallic. *naturae genere*; idque Gruterus in Pal. 1, 2 invenit. Sed hac lectione nihil lucramur ad sensum.

Vos traducendos) Abest *vos* Guelf. B; *nos traducendos* Guelf. C.

Procudenda) Guelf. A, *procludenda*; B, *procutenda*, vitiose. *Procudere linguam* (ut Pindarus dixit χαλκεύειν γλῶσσαν ἐπ' ἄκμονι), nihil aliud est, quam ἐπεξήγησις vocabuli *acuere*, ut Ernesti bene monuit, qui pro *neque procudenda* legendum censebat *atque procudenda*, vel in *neque* intelligendum *solum* ex antecedentibus.

Sed ornandum) Scripsi Heusingero auctore *ornandum complendumque*. Sic dicitur Orat. pro lege Manil. cap. 8: *domicilia regis omnibus rebus ornata et referta*. Vulgatum *onerandum* parum hic aptum est, ac dubio procul e librarii errore natum.

Maximarum rerum suavitate) Vulgo post *rerum* additur *et plurimarum*, quod rectius omittit Guelf. A. Nam *plurimarum* iam verbis *copia et varietate* designatur. Sed idem cod. habet *maxima rerum*, quod frustra probavit Heusingerus. Sic enim I, 2 dicitur *maximarum rerum scientia*. Et hoc loco de *rerum magnitudine* agebatur, quae opponitur loquacitati rerum magnarum scientia destitutae.

ille in Gorgia Socrates, cavillantur, aut aliquid de oratoris arte paucis praecipiunt libellis, eosque *rhetoricos* inscribunt; quasi non illa sint propria rhetorum, quae ab iisdem de iustitia, de officio, de civitatibus instituendis et regendis, de omni vivendi, denique etiam de naturae ratione dicuntur. Quae quoniam iam aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati sumus; dummodo illa ad hanc civilem scientiam, quo pertinent, et quam intuemur, transferamus: neque (ut ante dixi) omnem teramus in his discendis rebus aetatem, sed quum fontes viderimus, quos nisi qui celeriter cognorit, nunquam cognoscet omnino, tum, quotiescunque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hauriamus. Nam neque tam est acris acies in naturis hominum, et ingeniis, ut res tantas quisquam, nisi monstratas, possit videre: neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit. In hoc igitur tanto tam immensoque campo, quum liceat oratori vagari libere, atque, ubicunque constiterit, consistere in suo,

* *Ut ille in Gorgia Socrates*) Socratis in Gorgia mentem non est hic assequutus Crassus, ut iam annotavimus ad lib. I de Orat. cap. 11, (pag. 59). Pavst.

Quasi non illa sint propria rhetorum) H. l. scribendum arbitror *oratorum*; quod referatur ad illa: *aut aliquid de oratoris arte —praecipiunt.* Rhetores enim semper apud Ciceronem eloquentiae magistri, seu scriptores de arte rhetorica appellantur. Hic autem, ut antea dixerat, *nostra est enim* (nempe oratorum) *ista prudentiae doctrinaeque possessio*, necesse est, ut ea, quae sequuntur, *oratorum* potius, quam *rhetorum* propria dicat.

Quae quoniam iam) Guelf. A omittit *iam*, et sane commodius abesse videtur.

Expilati) Guelf. A, B, *expoliati* Quaedam edd. *compilati.*

Et quam intuemur) Vulg. *et quam intuentur.* At enim philosophi in libellis de arte oratoria non intuebantur civilem scientiam. Itaque rescripsi, *quam intuemur*, nempe *nos oratores.*

Aetatem, sed quum fontes) Guelf. A, B, C, *aetatem. Sed quum fontes—.*

Acris acies) Guelferb. A, *acris et alacer.*

Tam immensoque.) Sic MSS. ap. Pearcium. Vulgo olim *tamque immenso.*

facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. Rerum enim copia verborum copiam gignit: et si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, existit ex rei natura quidam splendor in verbis. Sit modo is, qui dicet aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, et flagret studio, et a natura adiuvetur, et in universorum generum infinitis disceptationibus exercitatus ornatissimos scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque delegerit: nae ille haud sane, quemadmodum verba struat et illuminet, a magistris istis requiret. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce natura ipsa, si modo est excitata, labetur.

32. Hic Catulus, Dii immortales, inquit, quantam rerum varietatem, quantam vim, quantam copiam, Crasse, complexus es, quantisque ex angustiis oratorem educere ausus es, et in maiorum suorum regno collocare! Namque illos veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus, semperque esse in omni orationis ratione versatos. Ex quibus Eleus Hippias, quum Olympiam

Existit ex rei natura quidam splendor in verbis) Guelf. A, *exsistit ex re naturalis quidam splendor in verbis*, quae lectio nobis egregie placet, nisi quod pro *ex re* malim *ex ea*. Nimirum: *si est honestas in rebus ipsis, existit ex ea* (honestate) *naturalis quidam splendor in verbis*. Brut. cap. 9, *naturalis nitor* opponitur *fucato*.

Ad cognoscendum imitandumque) MS. apud Gruter. *cognoscendos imitandosque*.

Delegerit) Sic recte Guelf. A, it. MSS. Pith. Men. Pal. 1, 2, Ioann. Harl. 1, Mead. Et Pearcios apte comparavit locum Cic. de Off. II, 13, *quos sibi ipsi delegerint ad imitandum*. Vulg. *cognorit*, inepte h. l. quia praecedit *cognoscendum*.

Natura ipsa, si modo est excitata) Sic rescripsi pro vulg. *exercitata*, in quo non vereor ne quis repugnet.

Labetur) Guelf. A, *delabitur*.

Inquit) Omissum Guelf. A.

In omni orationis ratione) Hoc male sonat; itaque Lambinus corrigebat, *in omni orationis genere*; quia tamen modo praecesserat *generis* vocabulum, malim *in omni oratoris ratione*. Sicut lib. I, cap. 18, *de officio et ratione oratoris*.

* *Hippias quum Olympiam venisset*) Totus hic locus ex Platonis Hippia minore desumptus: in quo Socrates

venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinae, atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem, et poëtarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebuspublicis dicerentur: sed anulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. Scilicet nimis hic quidem est progressus, sed ex eo ipso est coniectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de praeclarissimis artibus appetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint. Quid de Prodico Ceio? quid de Thrasymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum unusquisque plu-

Hippiam, audacissimum ardelionem, nihil non sibi arrogantem, dum facete deridet, sophistarum disputandi rationem evertit. De Hippia vide Apuleium lib. II Floridor. Paulo post ea tempora, annis circiter ante Christum 360, Hiuhingua quidam inter Sinas philosophus isti Hippiae persimilis vestes, calceos etc. sua sibi industria et manu conficiebat. (Martinus lib. V Sinicae historiae, Decade prima). *Olympiam*, urbem in Elide regione Peloponnesi, dictam quoque Pisam, nunc *Langanico* Castaldus, Niger *Stauri* vocari scribit. PRVST.

* *Quinquennali celebritate ludorum*) Olympicos ludos ad Iovis cultum Olympiae quinto quoque anno celebrandos instituit Hercules, Diodoro teste: quamquam illorum auctorem Velleius facit Atreum. Eos instauravit Iphitus Eleus, anno post excidium Troiae 408, ante Romam conditam 23, ante Christi ortum 776. Atque hinc primum certum aliquid habetur in historia Graeca. Eorum ludorum celebritas desiit Theodosio Magno imperante, ut narrat Cedrenus. ID.

Nec solum has artes) Vel intelligendum *se scire*, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, vel post verba *de rebus p. dicerentur* excidit *percepisse*, aut *scientia percepisse*. Respexit h. l. Quintil. Inst. Or. XII, 11, 21: *ut Eleum Hippiam transeam, qui non liberalium modo disciplinarum prae se scientiam tulit, sed vestem et annulum crepidasque, quae omnia sua manu fecerat, in usu habuit.*

Continerentur) Hoc praeferendum lectioni *continentur*.

* *Literarum cognitionem*) Id est grammaticam, quod bene observavit Schneiderus in ep. ad Langerum p. 31.

Se sua manu confecisse) Guelf. A, *sua manu confecisset*.

De Prodico Ceio) Sic Guelf. B, C. Multi perperam *Chio*.

rimum temporibus illis etiam de natura rerum et disseruit et scripsit. Ipse ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato voluit) philosopho succubuit orator, qui aut non est victus unquam a Socrate, neque sermo ille Platonis verus est: aut, si est victus, eloquentior videlicet fuit, et disertior Socrates, et, ut tu appellas, copiosior et melior orator; sed hic, in illo ipso Platonis libro, de omni re, quaecunque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur; isque princeps ex omnibus ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire: cui tantus honos habitus est a Graecia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Atque ii, quos nominavi, multique praeterea summi dicendi auctores, uno tempore fuerunt: ex quibus intelligi potest, ita se rem habere, ut tu, Crasse, dicis; oratorisque nomen apud antiquos in Graecia, maiore quadam vel copia, vel gloria floruisse. Quo quidem magis dubito, tibine plus laudis, an Graecis vituperationis esse tribuendum statuam, quum tu, in alia lingua ac moribus natus, occupatissima in civitate, vel privatorum negotiis paene obrutus, vel orbis terrae procuratione, ac summi imperii gubernatione districtus, tantam vim rerum cognitionemque comprehenderis, eamque omnem cum eius, qui consilio et oratione in

Melior orator; sed hic, in illo) Sic erat interpungendum, non, ut vulgo, *orator. Sed hic* — nam illa verba: *ipse ille Leontinus Gorgias*, quae erant longiore parenthesi interrupta, his verbis *sed hic* continuantur.

Vocaretur) Guelf. A, *revocetur*.

* *Sed aurea statueretur*) Pausanias tamen non auream, sed inauratam esse ait, lib. X. Ed. I.

Dicendi auctores) Guelf. A, B, C, *dicendi doctores*.

* *An Graecis vituperationis*) Nempe Graecos vel oratores, vel artis rhetoricae magistros notat, qui sibi a philosophis partem doctrinae eripi passi sint.

* *Paene obrutus*) Sic correxi vulg. *paene omnibus*. Esset enim immanis hyperbole, Crassum privatorum negotiis paene *omnibus* districtum fuis-

civitate valeat, scientia atque exercitatione sociaris: illi nati in literis, ardentesque his studiis, otio vero diffluentes, non modo nihil acquisierint, sed ne relictum quidem, et traditum, et suum conservaverint.

33. Tum Crassus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, sed in aliis etiam compluribus, distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae. An tu existimas, quum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur? Num geometriam Euclide aut Archimede, num musicam Damone

se. Itaque Ernesti malebat *omnium*. Sed conciunius est *obrutus*.

Diminutae) Guelf. A, C, *deminutae*.

* *Hippocrates ille Cous*) Medicorum princeps Hippocrates, qui tam fallere quam falli nescit, ut ait Macrobius lib. I in somnium Scipionis cap. 6, in insula maris Aegaei Co (hodie dicitur *Lango*) natus est, teste Histomacho, anno 1 Olymp. 80, scilicet ante Christum 460; obiit apud Larissaeos: quo aetatis anno vix constat: scribunt alii nonagesimo, alii octogesimo quinto, alii centesimo quarto, alii denique centesimo nono. (Soranus). Pavst.

* *Alios, qui oculis*) Non malum est, quod addit Lambin. *alios, qui auribus*. Ita primum medici, qui morbos, ab iis, qui vulnera curaverint, discernuntur; deinde ex eorum genere, qui in singulis membris curandis versati sint, medici oculorum, aurium medicis opponuntur.

* *Euclide*) Euclides mathematicus geometriam Alexandriae docuit Ptolemaei Lagidae Aegypti regis temporibus, Olympiade 118, annis ante Christum 308. Multum differt ab antiquiore illo Euclide Megarensi, Socratis discipulo. In opere de Geometria omnem magnitudinis ac multitudinis rationem complectitur, quae subinde divisa est, aliis figuras planas, aliis solidas, aliis numeros, aliis lineas commensurabiles, ut vocant, et incommensurabiles tractantibus. Pavst.

* *Archimede*) Hic Syracusanus caeli siderumque spectator geometricae ac machinalis scientiae peritissimus, patriam adversos Romanorum conatus novis bellicorum operum inventis facile per triennium defendit: Syracusis captis, quum esset in sua studia intentus, ab ignoto milite interfectus est, id aegre ferente Marcello victore, qui edixerat, ne vir tantus violaretur: anno V. C. 542, ante Christum 212, aetatis circiter 70. (Livius lib. XXIV, Plutarchus, Plinius etc.). Scripsit Archimedes de Sphaera et Cylindro, de circuli dimensione, de aequiponderantibus, de conoidibus et sphaeroidibus, de spiralibus, de quadratura parabolae, et insidentibus in humido; quoiusquisque haec omnia simul complectitur. Id.

* *Damone*) Damon, Agatoclis discipulus, non in musicis tantum, ve-

aut Aristoxeno, num ipsas literas, Aristophane aut Callimacho tractante, tam discerptas fuisse, ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret? Equidem saepe hoc audivi de patre et de socero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae quidem tum haec civitas nosset, solitos esse complecti. Meminerant illi Sex. Aelium, M'vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro; quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam; ad quos olim et ita ambulantes, et in solio sedentes domi, sic adibatur, non solum ut de iure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur. Haec fuit P. Crassi illius veteris, haec Ti. Coruncanii, haec proavi generi mei, Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur: iidemque et in senatu, et apud populum, et in causis amicorum, et domi, et militiae consilium suum fidemque praestabant. Quid enim M. Catoni, praeter hanc politissimam doctrinam transmarinam atquĕ adventitiam, defuit? num, quia ius civile didi-

rum etiam aliis artibus periucondis excelluit. (Plato in Lachete). Id.

* *Aristoxeno*) Qui ortus ex orbe Tarento philosophicis iuxta et musicis disciplinis eruditus exstitit. Aristotelem audivit praeceptorem, in quem officii parum memor subinde invectus est, quod Aristoteles in schola sibi delegisset Theophrastum successorem. Inclaruit anno ante Christum circiter 320. (Suidas). Pavst.

* *Aristophane*) Hic Byzantius grammaticus, Callimachi et Zenodoti discipulus, vixit Olympiade 45, ante Christum annis 600. (Suidas). Pavst.

* *Callimacho*) Cyrenaeo Grammatico, qui poëmata quovis carminum genere scripsit, multaque oratione numeris solutis edidit. Ista subinde partiti sunt studia, alii grammaticae, alii poëticae addicti. Vixit Callimachus ad tempora Ptolemaei Evergetae, qui regnare coepit in Aegypto Olympiadis 127 anno secundo, ante Christum 261 (Suidas). Pavst.

cerat, causas non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat? Vtroque in genere et laboravit, et praestitit. Num propter hanc ex privatorum negotiis collectam gratiam tardior in republica capessenda fuit? Nemo apud populum fortior, nemo melior senator; idem facile optimus imperator: denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non cum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit. Nunc contra plerique ad honores adipiscendos et ad rempublicam gerendam nudi veniunt atque inermes; nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit unus e multis, effert se, si unum aliquid affert; ut bellicam virtutem, aut usum aliquem militarem, quae sane nunc quidem obsoleverunt; aut iuris scientiam, ne eius quidem universi; nam pontificium, quod est coniunctum, nemo discit; aut eloquentiam, quam in clamore et in verborum cursu positam putant: omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt.

34. Sed, ut ad Graecos referam orationem (quibus carere in hoc quidem sermonis genere non possumus: nam ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla repetenda), septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur, et vocarentur. Hi omnes, praeter Milesium Thalen, civitatibus suis praefuerunt. Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cuius

Vtroque) Sic Guelf. A, it. MS. Ioan. teste Pearcio. Sed B, C, *at utroque:* ut olim vulgo edebatur. Melius autem *at* hic omitti iam Pearcius docuit.

Idem facile optimus imperator) Guelf. A, *et idem optimus imperator.*

Vnum aliquid) Ernesti scribendum putat *unum aliquod.*

* *Septem fuisse dicuntur*) Omnes illi, excepto Thale Milesio, omnium antiquissimo, suis civitatibus praefuerunt; Pittacus Mitylenaeis, Bias Priennensibus, Solo Atheniensibus, Cleobulus Lindiis, Myson Chenensibus in Laconica, Chilo Lacedaemoniis. (Plato in Protagora etc.) Floruerunt ab Olympiade 40 ad 58, sive ab anno ante Christi ortum 620, ad 548. (Diogenes etc.). Pavs.

eloquentia literis instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut literis doctrinaque praestaret. Quid Pericles? de cuius dicendi copia sic accepimus, ut, quum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et iucundum videretur: cuius in labris veteres Comici, etiam quum illi male dicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt; tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. At hunc non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed, ut accepimus, Clazome-

* *Disposuisse dicitur*) Recte assensum hic sustinet Cicero; neque enim Pisistratum, sed eius filium Hipparchum Homeri libros ordine disposuisse tradit Plato in Hipparcho. Id.

Clamator) Guelf. A, *declamator*.

* *Ad clepsydram*) Oratoribus ad causas agendas certum tempus definiebatur per clepsydram, quo elapso silere necesse erat, fiebatque non raro quod ait Quintilianus lib. XII, cap. 6: *Laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit*. De forma clepsydrae atque usu nonnulla scito necessaria ex antiquis scriptoribus iuvat hic breviter exponere: praesertimque ex Aristophanis interprete, (Acharn. vs. 693, et Vesp. vs. 93). Η κλεψύδρα ἀγγεῖον . . . . . Clepsydra vas est habens exiguum foramen in fundo, quod in iudicio plenum aqua ponebatur, ad quam oratores dicebant: hoc est, tamdiu dicere poterant ac perorare, quamdiu aqua per angustum foramen fluebat. Apuleius lib. III Metamorph. *Praeconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exsurgit, et ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo infusa aqua, populum sic adorat*. Falso sibi persuaderet aliquis, clepsydram nostris fuisse clepsammidiis similem, hoc est, horologiis, ut quidam vocant, pulverariis, quibus scilicet horarum intervalla partimur effluxu arenae. Nam neque duobus ex vasculis veterum clepsydra constabat, quorum ex altero aqua in alterum per vices deflueret; sed uno tantum. Neque in eo aqua erat perpetua: sed quae effusa identidem transmitteretur, subiecto, ut opinor, vase recepta, aut certe, quae singulis causis nova atque appensa transfunderetur. Eam publicus lictor appendebat; quae ubi effluxerat, monebatur orator esse desinendum. Quod si sermonem interrumperet casu quopiam, aut aliquid

nius ille Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia. Itaque hic doctrina, consilio, eloquentia excellens, quadraginta annos praefuit Athenis et urbanis eodem tempore, et bellicis rebus. Quid Critias? quid Alcibiades? civitatibus suis quidem non boni, sed certe docti atque eloquentes, nonne Socraticis erant disputationibus eruditi? Quis Dionem Syracusium doctrinis omnibus expolivit? non Plato? atque eum idem ille non linguae solum, verum etiam animi ac virtutis magister, ad liberandam patriam impulit, instruxit, armavit. Aliisne igitur artibus hunc Dionem instituit Plato, aliis Isocrates clarissimum virum Timotheum, Cononis, praestantissimi imperatoris, filium, summum ipsum imperatorem, hominemque doctissimum? aut aliis Pythagoreus ille Lysis Thebanum Epaminondam, haud scio an summum virum unum omnis Graeciae? aut Xenophon Agesilaum? aut Philolaum Archytas

de scripto recitaret, iubebat praeconem aquam sistere. Apuleius in Apolog. *At tu, interea dum legis, aquam sustine.* Πρὸς ὕδωρ λέγειν, ad aquam dicere, perinde est, ac dicere ad clepsydram. PETAV.

* *Dionem Syracusium*) Hic Platonis discipulus contra Dionysium Minorem tyrannum copias movit, eumque devicit, ad libertatem popularium vindicandam egregie multa manu et consilio gessit. Calippi opera a Zacynthiis mercenariis perfide iugulatus est an. 3 Olymp. 106, ante Christum 314. (Diodorus, Plutarchus et Cornelius Nepos). PAVST.

* *Animi ac virtutis magister*) Scil. qui doctrina sua, et monitis Dionem animosum ac fortem redderet.

* *Timotheum*) Qui dux Atheniensis bellicam gloriam doctrinae laude cumulavit. (Cornelius Nepos). Eius res praeclare gestas inimici tribuebant fortunae, quam depingebant urbes retibus inclusas ipsi offerentem: quod aegre tulit Timotheus: ex quo tempore adversa ei ceciderunt omnia, adeo ut tandem ab infenso populo in exsilium pulsus fuerit. (Plutarchus in Sylla). PAVST.

* *Lysis*) Tarentinus, cui praeceptori sic fuit deditus Epaminondas, ut adolescens tristem ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit. (Cornel. Nepos). Floruit Olympiade circiter 95, annis ante Christum 400. ID.

* *Philolaum*) Philolaus Crotoniata philosophus Pythagoricus, teste Laertio, tyrannidis affectatae suspectus mortuus est: cuius tres libros decem millibus denarium emptos a Platone refert Gellius lib. III, cap. 17. ID.

**Archytas*) Philosophus Pythagoricus, Platonis a Dionysio necandi

Tarentinus? aut ipse Pythagoras totam illam veterem Italiae Graeciam, quae quondam Magna vocitata est? Equidem non arbitror.

35. Sic enim video, unam quandam omnium rerum, quae essent homine erudito dignae, atque eo, qui in republica vellet excellere, fuisse doctrinam; quam qui accepissent, si iidem ingenio ad pronuntiandum valuissent, et se ad dicendum quoque, non repugnante natura, dedissent, eloquentia praestitisse. Itaque ipse Aristoteles, quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod ipse suas disputationes a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinae suae, versumque quendam de Philocteta paulo secus dixit. Ille enim *turpe* sibi ait *esse tacere, quum barbaros:* hic autem, *quum Isocratem pateretur dicere.* Ita ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem, Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, a quo

salutem asseruit; saepius populo praefectus est, sed mathematicis quam bellicis artibus multo clarior exstitit. Claruit annis ante Christum circiter 350. (Diogenes). Id.

Aut Philolaum Archytas Tarentinus) Guelf. A, B, *aut Philolaus Archytam Tarentinum.*

De Philocteta) Guelf. A, *de Philoctete.* Pearcius auctoritate MSS. Io. Nov. Wag. Mead. Harl. 1, 2, it. Ed. Ven. Mediol. Man. edidit *Philoctetae*, quod Ernestius quoque probavit. Sed iure lectionem *de Philocteta* Heusingerus ad Cic. de off. III, 21, 3 defendit. Vt ibi dicitur *versus de Phoenissis* pro *versus ex Euripidis tragoedia, quae Phoenissae inscripta est*, sic h. l. *versus de Philocteta;* optimeque monet Heusingerus, ipsi Philoctetae *verba* quidem, non *versum* a Cicerone tribui potuisse. Versus autem erat hic: Αἰσχρὸν σιωπᾷν, βαρβάρους δ' ἐᾷν λέγειν, ad quem alludit Cic. ad Att. VI, 8, et Plutarch. adv. Colot. T. V, p. 528 edit. Wyttenbach.

* *Cum* barbaros; *hic autem* etc.) Versus, ad quem alludit Cicero, exstat apud Quint. lib. III, c. 1, et Diog. Laërtium in vita Aristotelis: Αἰσχρὸν σιωπᾷν, κ' Ἰσοκράτην ἐᾷν λέγειν. Versus autem ipsius Euripidis in Philocteta sic se habet: Αἰσχρὸν σιωπᾷν, βαρβάρους δ' ἐᾷν λέγειν. Pearc.

* *Doctorem accierit*) Brevem Phi-

eodem ille et agendi acciperet praecepta et loquendi. Nunc, sive qui volet, eum philosophum, qui copiam nobis rerum orationisque tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam iunctam habere eloquentiae, philosophum appellare malet, non impediam; dummodo hoc constet, neque infantiam eius, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neque inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam: quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem. Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est. Quem si patiuntur eundem esse philosophum, sublata controversia est. Sin eos disiungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia, in philosophorum autem cognitione non continuo inest eloquentia: quae quamvis contemnatur ab eis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur. Haec quum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit, et ceteris silentium fuit.

36. Tum Cotta, Equidem, inquit, Crasse, non possum queri, quod mihi videare aliud quiddam, et non

lippi epistolam, qua Aristoteli committit institutionem Alexandri, refert Gellius lib. IX, cap. 3: Φίλιππος Αριστοτέλει χαίρειν. Ισθι μοί γεγονότα υἱόν. πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω· οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδὸς, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι· ἐλπίζω γὰρ αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα, καὶ παιδευθέντα, ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς· (Philippus Aristoteli salutem.) *Scito mihi natum filium; multum igitur diis gratiam habeo, non tam quod natus sit puer, quam quod tua aetate natus sit. Spero enim ipsum a te educatum et institutum, dignum fore et nobis, et negotiorum susceptione.* Prvst.

Nunc, sive) Sic Guelf. A, B, C, ut vulgo. Male Ernesti *nunc si* reposuit.

Malet) Sic Guelf. A recte; idque iam Lambino placuit, quia praecedit *volet*.

Stultitiam loquacem) Gellius Noct. Attic. I, 15, *stultam loquacitatem*.

id, quod susceperis, disputasse: plus enim aliquanto attulisti, quam tibi esset tributum a nobis ac denuntiatum. Sed certe et hae partes fuerunt tuae, de illustranda oratione ut diceres, et erat ipse iam ingressus, atque in quatuor partes omnem orationis laudem descripseras: quumque de duabus primis nobis quidem satis, sed, ut ipse dicebas, celeriter exigueque dixisses; duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte diceremus. Quo quum ingressus esses, repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit. Omnem enim rerum scientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidisti (neque enim fuit tam exigui temporis); sed, apud hos quid profeceris, nescio, me quidem in Academiam totum compulisti; in qua velim (illud quod saepe posuisti), ut non necesse sit consumere aetatem, atque ut possit is illa omnia cernere, qui tantummodo aspexerit; sed, etiam si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto nunquam conquiescam, neque defatigabor ante, quam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus et contra omnia disputandi percepero.

Tum Caesar, Vnum, inquit, me ex tuo sermone maxime, Crasse, commovit, quod eum negasti, qui non cito quid didicisset, unquam omnino posse perdiscere; ut mihi non sit difficile periclitari, et aut statim percipere ista, quae tu verbis ad caelum extulisti;

Esset tributum) Guelf. A, Ed. W. *erat attributum*, quod placet Ernestio. C, *esset attributum*.

Omnem enim rerum) Sic MSS. Ioan. Cant. Bod. Wag. Harl. 1, 2, it. Lamb. Alii olim *omnemque rerum*.

Aliquanto spissius) Hoc non est, ut Pearcius putabat, *obscurius*, sed potius plenius, et ob copiam maiorem discendorum laboriosius.

Ista, quae tu) Guelf. A, *istud, quod tu*.

aut si non potuerim, tempus non perdere, quum tamen his nostris possim esse contentus.

Hic Sulpicius, Ego vero, inquit, Crasse, neque Aristotelem istum, neque Carneadem, nec philosophorum quemquam desidero; vel me licet existimes desperare ista posse perdiscere, vel, id quod facio, contemnere. Mihi rerum forensium, et communium vulgaris haec cognitio, satis magna est ad eam, quam specto, eloquentiam; ex qua ipsa tamen permulta nescio, quae tum denique, quum causa aliqua, quae a me dicenda est, desiderat, quaero. Quamobrem nisi forte es iam defessus, et si tibi non graves sumus, refer ad illa te, quae ad ipsius orationis laudem splendoremque pertinent; quae ego ex te audire volui, non ut desperarem me eloquentiam consequi posse, sed ut aliquid addiscerem.

37. Tum Crassus, Pervulgatas res requiris, inquit, et tibi non incognitas, Sulpici. Quis enim de isto genere non docuit, non instituit, non etiam scriptum reliquit? Sed geram morem, et ea duntaxat, quae mihi nota sunt, breviter exponam tibi: censebo tamen ad eos, qui auctores, et inventores sunt harum sane minutarum rerum, revertendum. Omnis igitur oratio conficitur ex verbis: quorum primum nobis ratio *simpliciter* videnda est, deinde *coniuncte*. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est; alius, qui ex continuatis coniunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt, et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis; aut iis, quae

Ex qua ipsa) Debebat scribere, nisi forte scripsit: *ex quibus ipsis*, nam *ex ipsa cognitione* nemo potest aliquid nescire; sed ex rebus forensibus et communibus, quarum vulgaris cognitio ipsi sat magna videtur, potest *permulta* nescire.

Sed geram morem) Ed. Omnib. Lamb. *sed geram tibi morem*, concinnius, ut opinor. Et Lambinus *tibi* post *exponam* sustulit.

transferuntur, et quasi alieno in loco collocantur; aut iis, quae novamus, et facimus ipsi. In *propriis* est igitur verbis illa laus oratoris, ut abiecta atque obsoleta fugiat; lectis, atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam et sonans inesse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est quidam habendus, atque is aurium quodam iudicio ponderandus; in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. Etiam hoc, quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici solet: *Bonis is verbis*, aut: *Aliquis non bonis utitur*; non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu iudicatur; in quo non magna laus est, vitare vitium, verum tamen hoc quasi solum quoddam atque fundamentum est, verborum usus et copia bonorum. Sed quid ipse aedificet orator, et in quo adiungat artem, id esse a nobis quaerendum atque explicandum videtur.

38. Tria sunt igitur in verbo simplici, quae orator

* *Abiecta*) Verba vilia ac sordida, quibus saepe utuntur comici et satyrici. Observat tamen Quintilianus lib. VIII, cap. 3, vim rebus aliquando ipsa rerum humilitate afferri: ut quum dicit in Pisonem Cicero, *quum tibi tota cognatio in sarraco advehatur*, incidit in sordidum nomen, quo contemptum auxit hominis, quem destructum volebat. Et alibi. *caput opponis cum eo coniscans*. PAVST.

* *Obsoleta*) Ridicule nescio quis apud Gellium lib. XI, cap. 7, quum vellet dicere inopia quendam miseroque victu vivere, et furfureo pane vesci, et vini faecem potare: *Hic*, inquiebat, et *eques Romanus apludam edit, et floces bibit*. Obsoleta aliquando Tullius adhibuit, praecipue in epistolis, *Randusculum*, *muginari*, *averruncare*, *tricari*, *noctuabundus* etc. Consule Gellium lib. I, c. 10. In,

Plenum quiddam et sonans inesse) Guelf. A, *plenum quoddam consonans esse*. In C quoque legitur *quoddam*.

Etiam hoc) Guelf. A, *Itaque hoc*.

Quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici solet) Parum abest quin illud *ab imperitis* glossema esse putem τοῦ *vulgo*. Nisi forte *ab imperitis* idem sit ac *ab imperitis adeo*, seu *vel ab imperitis*, qui nimirum artem non calleant dicendi, sed naturali quodam sensu iudicent. Si verum est *ab imperitis*, malim *vulgo* cum Guelf. B delere.

Bonis is verbis) Guelf. A melius *bonis hic verbis*.

Vitare vitium) In ed. Omnib. *evitare vitium*, additurque, ut Guelf. A, *quamquam est magnum*; Gothofr. Victor. quamquam *id est magnum*. Sed hoc ab interpolatore primum inculcatum esse potest.

afferat ad illustrandam, atque exornandam orationem: aut inusitatum verbum, aut novatum, aut translatum. *Inusitata* sunt prisca fere ac vetusta, et ab usu quotidiani sermonis iamdiu intermissa, quae sunt poëtarum licentiae liberiora, quam nostrae: sed tamen raro habet etiam in oratione priscum aliquod verbum dignitatem. Neque enim illud fugerim dicere, ut Coelius: *Qua tempestate Poenus in Italiam venit;* nec *prolem*, aut *sobolem*, aut *effari*, aut *nuncupari*: aut, ut tu soles, Catule, *non rebar*, aut *opinabar*: et alia multa, quibus loco positis, grandior, atque antiquior oratio saepe videri solet. *Novantur* autem verba, quae ab eo, qui

Quae sunt poëtarum licentiae liberiora, quam nostrae) Guelf. A, *q. s. p. licentiae liberiora, quam nostra.* C, *licentia — nostra.* « Sed *nostrae* retinent MSS. Mead. et Harl. duo, ut edd. Ascens. Steph. Manut, Streb, Lamb. aliorumque multorum. Saepe Cicero aliique scriptores subiungunt dativum casum voci *liberiora*. Sic Orat. c. 23, *quum haec duo ei liberiora fuerint*. Quintil. autem luculente confirmat veterem lectionem Inst. or. VIII, 5: *omnia liberiora poëtis, quam oratoribus.* » PEARCIVS.

Sed tamen raro) Sic infra c. 52, *raro autem etiam pervetustis*. Orat. 24: *sed etiam inusitata ac prisca sunt in propriis, nisi quod raro utimur;* quo loco convincitur Ernestii coniectura, *haud raro* praeferentis. *Raro* enim h. l. est idem ac *nonnunquam*, *interdum*.

Priscum aliquod verbum) Vulgo *poeticum aliquod verbum*. Iam Pearcius, cui frustra obloquitur Ernestius, recte intellexerat, *poeticum* hic alienum esse, reponendumque censuerat *pervetustum*, quod recepissem, nisi *priscum* in eadem significatione esset eiusmodi, ut facilius a librariis in *poeticum* depravari posset. Ita enim Cicero c. 52: *ut translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro autem etiam pervetustis.* Recte etiam Pearcius adhibuit Quintil. VIII, 3: *propriis dignitatem dat antiquitas — quaedam tamen adhuc vetera vetustate ipsa gratius nitent, quaedam etiam necessario interim sumuntur,* NVNCVPARE *et* FARI; ubi manifestum est eum ad hunc Ciceronis locum respexisse.

Aut effari) Guelf. A, *aut affari.* B, C, *aut fari.*

Et alia multa) MSS. Cant. Harl. 1, Ioan. *aut alia multa*, quod recte probavit Pearcius.

Saepe videri solet) Guelf. C omittit *saepe*, rectius fortasse.

* *Novantur*) Novari posse verba testis est locuples Horatius in arte: . . . *licuit semperque licebit Signatum praesente nota producere nomen.* Multa in Latium invexit vocabula Tullius, quae ne statim offendant aures, praeposito verbo solet emollire. *Ista beatitas, sive beatitudo dicenda est, utrumque omnino durum est, sed usu mollienda nobis verba sunt*, lib. I de Nat. Deor. n. 95. Con-

dicit, ipso gignuntur, ac fiunt: vel coniungendis verbis, ut haec:

Tum pavor sapientiam omnem mihi exanimato expectorat.
Num non vis huius me versutiloquas malitias?

videtis enim et *versutiloquas* et *expectorat*, ex coniunctione facta esse verba, non nativa: vel saepe sine coniunctione, ut, *ille senius;* ut, *Dii genitales*, ut, *baccarum ubertate inturgescere.* Tertius ille modus *transferendi* verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta, et angustiis; post autem delectatio, iucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem: sic verbi trans-

fugis ad aequilibritatem: sic enim ἰσονομίαν, si placet, appellemus, ibid. n. 110. *Carentem omni qualitate (faciamus enim tractando usitatius hoc verbum et tritius.)* lib. I Acad. Quaest. n. 27. *Id autem visum quum ipsum cerneretur, comprehensibile: feretis hoc? Nos vero, inquam; quonam enim modo κατάληπτον diceres?* ibid. n. 41. Scite omnino Fabius lib. I, cap. 9: *Vt novorum verborum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime nova.* Pa. — Extat in primo volumioe, pag. CXCII, Elenchus verborum siogulariom ab A. Schotto collectorum. Ed. T.

Omnem mihi exanimato) Sic Guelf. A, B, C. Vulgo olim *mihi omnem ex animo.* Sed *omnem mihi* Bentleius defendit, ob metri trochaici leges: *exanimato* autem Pearcius confirmavit loco Quintil. VIII, 3: *ac veteres ne expectorat quidem timuerunt, et sane eiusdem notae est* exanimat, ibique Pearcius *exanimato* legendum censet. Ipse enim Quintilianus ad hunc Ennii versiculum respexisse videtur. Ceterum hic versus ex Ennii Alcmaeone infra repetitur c. 58.

Num non vis) Guelf. C, *Num vero vis.*

Non nativa) Sic rescribendum duxi pro vulg. *non nata.* Cic. Partitt. orr. c. 51: *Simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta.* Sic et Quintil. VIII, 8, 36.

Vel saepe sine coniunctione) Quae hic vulgo annectuntur, *verba novantur*, iam ab Ernestio uncis inclusa, e textu circumscripsi: sunt enim procul dubio spuria.

Baccarum ubertate inturgescere) Sic Guelf. C, quod, ut exquisitius, recepi pro vulg. *incurvescere;* etsi idem occurrit Tusc. Qu. I, 28. Heusingerus, cui *inturgescere* placuisse videtur, comparavit Ovid. Tr. III, 12, 15, ubi ille, *turgescat*, inquit, *in arbore ramus.*

* *Celebravit*) I. e. frequentius usurpavit; ut enim hic *genuit* et *celebravit*, sic paulo post opponuntur *instituta* — *frequentata.*

latio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. Nam, *gemmare vites*, *luxuriem esse in herbis*, *laetas esse segetes*, etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, eius rei, quam alieno verbo exposuimus, similitudo. Ergo hae translationes, quasi mutuationes sunt, quum, quod non habeas, aliunde sumas. Illae paulo audaciores, quae non inopiam indicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt: quarum ego quid vobis aut inveniendi rationem, aut genera ponam?

39. Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas, quod verbum in alieno loco, tanquam in suo positum, si agnoscitur, delectat; si simile nihil habet,

* *Instituta est inopiae causa*) Quae necessitatis causa usurpantur, ea ὁμώνυμα rectius dici, quam μεταφορικά, auctoribus Porphyrio, Tyrio, et Demetrio, sentit Vossius. Prvst.

Laetas esse segetes) Vulgo abest *esse*, quod auctore Pearcio repetendum duxi; sic enim est Orat. 24, *laetas esse segetes*.

Quam alieno verbo exposuimus) Vulgo *posuimus*, quod quum h. l. minus aptum sit, haud sine causa correximus. Sic infra in eadem re: *propriis verbis exponi non potuit*.

Mutuationes) Verissima est haec lectio edd. Waldarf. Lips. Ald. quam Ernesti ait postea neglectam esse. Atqui eam servaverunt Victor. Pearcius aliique.

**Quae non inopiam indicant*) Tales sunt hae translationes significantiores: *o plumbeum pugionem*: lib. IV de Finib. dicere potuit, o infirmum argumentum! *Quum enim sit campus in quo possit exsultare oratio, cur eam in tantas angustias et in Stoicorum dumeta compellimus?* Acad. Quaest. lib. IV. Prvst.

* *Similitudinis est ad verbum*) Metaphoram quandam esse similitudinem docet Aristoteles Rhet. lib. III, sed inter utramque nonnihil tamen interesse: nam quum de Achille loquens Homerus, dicit *ut leo prosiluit*, similitudo est; sin dicat *leo prosiliit*, metaphora. Petav.

Similitudinis est — brevitas) Haec paulo abruptiora sunt, ut credibile sit, aliquot verba intercidisse. Fortasse scripserat auctor: *Est autem translatio similitudinis ad verbum unum contracta brevitas*. Lambin. ita supplevit: *Translatio omnis similitudinis est* etc. Cf. Quintil. Inst. Or. VIII, 6, 8.

* *Si simile nihil habet*) Haud scio an quisquam hanc Solini in prooemio translationem probet, *libri non tam bracteas eloquentiae praeferant, quam fermentum cognitionis*. Quotus enim quisque Solini mentem assequatur? qui censet oportere libros potius esse

repudiatur. Sed ea transferri oportet, quae aut clariorem faciunt rem, ut illa:

Inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbum occaecat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit,
Grando mista imbri largifluo subita praecipitans cadit:
Vndique omnes venti erumpunt, saevi existunt turbines:
Fervit aestu pelagus:

omnia fere, quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt, aut quo significetur magis res tota, sive facti alicuius, sive consilii, ut ille, qui occultantem cònsulto, ne id, quod ageretur, intelligi posset, duobus translatis verbis similitudine ipsa indicat,

Quandoquidem is se circumvestit dictis, sepit sedulo.

Nonnunquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud: *Si telum manu fugit.* Imprudentia teli emissi

longos et spissos ad intelligentiam lectoris, quam breves ac tenues ad ostentationem ingenii paucis multa complectentis? PAVST.

* *Aut clariorem faciunt rem*) Id praecipue cavendum est, ne id, quod similitudinis gratia ascivimus, aut obscurum sit, aut ignotum: debet enim quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat. (Quintil. lib. VIII, cap. 3). ID.

Vt illa) Vulgo hic additur *omnia*, quod hic incommodum est, et quia paulo post sequitur *omnia fere*, superfluum. Versus, qui sequuntur Pacuviani priores citantur de Divinat. I, 14.

Largifluo) Guelf. A, B, C, *largifico.*

Subita) Guelf. B, *subito.*

Is se circumvestit dictis, sepit sedulo) Guelf. A, *is se circumvelet dictis saepe sedulo.* Olim edebatur: *iste circumvestit.* Pearcius *is se* legendum esse coniecerat, quam lectionem nunc Guelf. A confirmat: cui forsan etiam obsequendum est, *circumvelat* pro *circumvestit* legendo.

* *Brevitas*) Simile est illud Tullii lib. I de Nat. Deor. *Quidquid horum attigeris, ulcus est: ita male instituta ratio exitum reperire non potest.* Nonnisi fusius dicere potuit, quidquid ad propugnandam deorum inertiam ex Epicuri mente dixeris, absurdum et ineptum erit. PAVST.

Emissi — expom) Ed. Omnibon· *missi — exprimi.*

brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato.

40. Atque hoc in genere persaepe mihi admirandum videtur, quid sit, quod omnes translatis et alienis magis delectentur verbis, quam propriis et suis. Nam si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut *pes* in navi, ut *nexum*, quod per aes et libram agitur, ut in uxore *divortium;* necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere: sed in suorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere; vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quae maxima est delectatio; vel quod singulis verbis res, ac totum simile conficitur; vel quod omnis translatio, quae quidem sumta ratione est, ad sensus

* *Non potuit*) Dici enim verbis propriis debuisset, telum manu imprudenter emissum est. Pavst.

Delectentur) Guelf. A, B, C, *delectantur;* ut multi edidere. Recte autem Lambinus et Ernestius coniunctivum intulerunt.

* *Vt pes in navi*) Pedem in navi partem extremam veli appellant Latini aeque ac Graeci; quae pars acutior et inferior ad navis latus religari solet. Alii vero funem esse dicunt, quo velum tenditur aut relaxatur. Virgilius Aen. V, 830, *Vna omnes fecere pedem*, id est, vela tetenderunt. Catullus IV, 20: *Sive utrumque Iupiter simul secundus incidisset in pedes.* Petav.

* *Vt nexum*) Quid sit nexum sive nexus, quum ad ius civile pertinet, vide ad Topica cap. 5. Id.

Quod per aes et libram agitur) Pleniorem formulam Lambino auctore expressi, quam in hac re solemnem fuisse notum est. Vulgo: *quod per libram agitur.*

* *Divortium*) Divortia sunt, inquit Isidorus, flexus viarum, sive viae in diversa tendentes; aquarum divortia locus est, unde aquae duas in partes divisae, incipiunt defluere. Translatione divortium tunc est; quando vir et uxor separantur. Pavst.

Quid non habeas) Guelf. A, B, *quod non habes.*

Transilire) Guelf. A, *transire.*

Et alia) Guelf. A non male omittit copulam.

Vel quod singulis verbis res, ac totum simile conficitur) Malim *vel quod singulis verbis totum simile conficitur.*

Quae quidem sumta ratione est) Vt hic dicitur *ratione sumta transla-*

ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. Nam et *odor urbanitatis*, et *mollitudo humanitatis*, et *murmur maris*, et *dulcedo orationis*, sunt ducta a ceteris sensibus; illa vero oculorum multo acriora, quae ponunt paene in conspectu animi, quae cernere et videre non possumus. Nihil est autem in rerum natura, cuius nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine. Vnde enim simile duci potest, (potest autem ex omnibus) indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum, lumen affert orationi. Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo:

Caeli ingentes fornices.

Quamvis sphaeram in scenam, ut dicitur, attulerit Ennius; tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse.

— — Vive Vlysses, dum licet:

tio, sic paulo ante, *verba ratione translata.*

Nihil est autem) Sic ex Hensingeri coniectura scripsimus. Vulg. *Nihil est enim.*

* *Nihil est autem in rerum natura*) A quibuslibet rebus peti posse metaphoras inductione fuse probat Vossius; a divinis, *Deus ille noster Plato*, lib. IV ad Attic. epist. 26. A caelestibus, Ciceroni *coelestissimum os* tribuit Paterculus. Ab elementis Virg. Georg. II: . . . *foribus domus alta superbis Mane salutantem totam vomit aedibus undam.* A meteoris, *nubeculam frontis*, Cic.; a plantis et mixtis, *Olli robur et aes triplex circa pectus erat*, Horat. Ab animalibus, *caput coenae*, Cic. *ventrem facit paries*, Alphenus. Ab hominibus, *laetas segetes*, Virg. Ab artificialibus, Apionem *mundi Cymbalum* vocabat Tiberius; Longinum Eunapius, βιβλιοθήκην ἔμψυχον καὶ περιπατοῦν μουσεῖον, *bibliothecam vivam*, et *ambulans museum.* Pryst.

* *Caeli ingentes fornices*) Non adeo vituperanda videtur, praesertim in carmine, haec translatio, quae vulgi sententiae accommodata est. Vix aliquid similitudinis in hac Plauti metaphora de famelico reperias in Curculione actu II, scena 3: *Lippiunt fauces fame*: an quod famelicis saliva faucibus inhaerens lippitudinem oculorum imitari videtur? Idem.

Viva Vlysses, dum licet) Iam Pearcius observavit, Ciceronem Acad. IV, 20 hunc Ennii versiculum paulo aliter extulisse: *Video, video te vivum, Vlysses, dum licet*, quae si vera fuerit Ennii lectio, verba *dum licet* referenda sunt ad ea, quae sequuntur.

Oculis postremum lumen radiatum rape;

non dixit, *cape;* non, *pete*: haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum; sed *rape.* Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, *dum licet.* Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. *Syrtim patrimonii, scopulum* libentius dixerim; *Charybdim bonorum, voraginem* potius. Facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur. Et quoniam haec vel summa laus est verbi transferendi, ut sensum feriat id, quod translatum sit: fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet similitudo. Nolo

Lumen radiatum rape) Verbum *rape* in hoc versiculo omittit Guelf. A, quod fieri potest, si quae sequuntur, *non dixit, cape — sed rape*, cum *oculis — radiatum* connectantur. Pro *radiatum* Muretus Var. lect. II, 9 legendum opinabatur *radiantis;* vulgatum defendit Gesnerus in Thes. L. L. h. v. Et plane sic Sil. Ital. *splendor radiatus.*

Haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum) Guelf. B, C omittit *sese;* quod si placeat, sic intelligendum. Is qui Vlyssem in his tragici versiculis alloquitur, non dixit, *cape*, sed *rape;* nam *cape* haberet moram sperantis, illum, Vlyssem scil. diutius victurum. Sed si *sese* verum est, significatur, *cape* dictum non esse ab Vlyssis amico, quia hoc verbum ei concederet moram hominis sperantis se diutius victurum.

* *Charybdim bonorum*) Quam similitudinem hic improbat Tullius, adhibuit orationis * aestu abreptus Philippica II, n. 67: *Quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quae si fuit, animal unum fuit: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.* Charybdis autem est in freto Siculo periculosissima vorago. PAVST.

Vel summa laus est verbi transferendi) Sic Guelf. B, C, Ald. recte. At Guelf. A Cant. Pal. 1, 2, Pith. Mem. Io. Wag. Harl. 1, et Lambin. v. s. *laus est in verbis transferendis*, quod certe melius est, quam *verbis transferendis*, ut est in Pal. 3, Mead. Harl. 2, Bal. item in Ed. Ven. Mediol.

* *Fugienda est omnis turpitudo*) Recta quidem sentinam reipublicae dixit Cicero, foeditatem hominum significans: at minime probandum est illud veteris oratoris: *persecuisti reipublicae vomicas*, id est, improbos castigasti.

Eorum animos, qui audiunt, trahet) Rectius Guelf. A: *eorum animos, qui audient, trahet.* C, *qui audiunt, trahit.*

* *Nolo morte dici Africani*) Eadem metaphorae vitia tanquam scopulos caveri oportere monet Aristoteles, et sophistam merito reprehendit, qui diceret, non debere religio-

dici morte Africani *castratam* esse rempublicam; nolo *stercus curiae* dici Glauciam; quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut maius, quam res postulet: *tempestas commissationis*: aut minus: *commissatio tempestatis*. Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset illud proprium ac suum:

Quidnam est, obsecro? quid te adiri abnutas?

melius esset, *vetas*, *prohibes*, *absterres*: quoniam ille dixerat,

Illico istim,
Ne contagio mea bonis, umbrave obsit.

Atque etiam, si vereare, ne paulo durior translatio esse videatur, mollienda est, praeposito saepe verbo:

ni esse, qua quisque voce uteretur, etiam in re turpi, quum voces omnes eandem turpitudinem exprimant. Sed quemnam hoc loco Africanum loquitur? Iuniorem, opinor, ad idque inducor, quod alterius tempore viri multi, h. e. insignes duces Romae fuerunt; nec eius morte respublica evirari potuit: at Africani alterius tempore ferme duces instreuni, avari, nihili homines. PETAV.

Nolo dici morte) Sic MSS. Cant. Norf. Ioan. Bal. Wag. Mead. Harl. 1, Mag. Nov. idque cum Pearcio recepimus. Vulg. *nolo morte dici*. Ernestius verbum *dici* hic aut post ante *Glauciam* inculcatum esse suspicatur. Ceterum h. l. adhibuit Quintil. Inst. oe. VIII, 6, 15.

* *Nolo esse aut maius*) Hic subintelligendum est e superioribus *id quod translatum sit*; vel, si hoc remotius videatur, referri potest ad *simile*, quod proxime praecedit.

Quidnam est — abnutas) Bentleius in emendationibus ad Cic. Tusc. (quas nuper Ruthius optimo consilio cum editione Davisiana recudendas curavit) III, 12, versiculis aptius ad metrum revocatis, (sunt autem Bacchiaci tetrametri) correxit *renutas*. Est autem versus Ennii ex Thyeste, ubi quum dixisset Thyestes: *Nolite hospites ad me adire, illico istim Ne contagio mea bonis umbrave obsit: Meo tanta vis sceleris in corpore haeret.* responderat Chorus: *Quidnam est, obsecro? quid te adiri abnutas?* Quod autem Cicero *abnutas* reprehendit, ex eo est, quod Thyestes non nutu solum, sed verbis etiam Chorum, ne propius accedat, absterret; ideoque verbum *abnutas* ei angustius videbatur.

Illico istim) Vulgo istic. Sed *istim*, quod ἀρχαϊκῶς erat i. q. *istinc*, recte reposuit in Cic. Tusc. III, 12, Wolfius ὁ πάνυ, quos libros accuratissime, ut solet, recensuit: atque utinam animadversiones ad eos diutius nobis non invideret!

* *Mollienda est*) Translatio du-

ut, si olim, M. Catone mortuo, *pupillum* senatum quis relictum diceret, paulo durius; sin, *ut ita dicam*, *pupillum*, aliquanto mitius. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse; atque ut precario, non vi, venisse videatur.

41. Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Nam illud, quod ex hoc genere profluit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit:

rior, solet etiam epitheto molliri: tonitru durius dixeris tubam: adde cum Tryphiodoro caelestem, *οὐρανίαν σάλπιγγα*, durities omnis tollitur. PAVST.

Praeposito saepe verbo) Illud *saepe* offendit Ernestium, sed, ut arbitror, iniuria. Nam illa ratio molliendi metaphoram duplex est, vel praeponendi verbi, (quod in hyperbole Aristoteles Rhet. III, 7, 9 appellat *προεπιπλήττειν τῇ ὑπερβολῇ*) vel duriorem translationem iam pronuntiatam subsequentibus verbis excusandi. Alterum saepe fieri Cicero diserte monuit, alterum silentio praeteriit.

Aliquanto mitius) Vulg. additur *est*, quod recte omittunt MSS. Ioan. Nov. Mag. Mead. Harl. 1. Et bene monet Pearcius, h. l. intelligendum esse *diceret* ex antecedentibus.

Deducta esse) Sic Guelf. A, B, C.

* *Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi*) Ernestius hic lacunam asteriscis notavit, excidisse opinatus verba *quam ἀλληγορία*. In quo mirifice erravit. Nam ἀλληγορία non est in *singulis verbis*, sed in continuatis. Cicero potius negat ullum esse modum florentiorem *in singulis verbis* quam metaphoram s. translationem, quod vocabulum hic intelligitur e superioribus. Etsi enim plures modi s. tropi sunt, ut metonymia, synecdoche, de quibus paulo post agitur, recte tamen Cicero metaphoram omnibus his tropis, qui sunt in singulis verbis, ad ornatum et florem orationis anteponit. Ac si quis forte ἀλληγορίαν florentiorem diceret, pergit Cicero: *Nam illud quod ex hoc genere* (metaphorae) *profluit* (sc. ἀλληγορία), *non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit*; quibus verbis postremis Cicero graeci vocabuli ἀλληγορία etymon latine expressit. Ita Orat. cap. 27: *Iam quum fluxerunt plures continuae tralationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Graeci appellant ἀλληγορίαν.* Quem locum si cum nostro comparaveris, suspicari liceat, Ciceronem pressius sic scripsisse: *Nam illud quod ex hoc genere continuum profluit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus connectitur.*

* *Aliud dicatur*) Quum tropus nihil aliud sit quam imaginis et vocis a propria significatione ad alienam translatio, certe quisquis illum adhibet, necessario aliud dicit, aliud

— — Neque me patiar iterum
Ad unum scopulum et telum classem Achivûm offendere.

Atque illud:

Erras, erras: nam exsultantem te, et praefidentem tibi
Repriment validae legum habenae, atque imperii insistent iugo.

Sumta re simili, verba eius rei propria deinceps in rem aliam (ut dixi) transferuntur. Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata. Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est, in continuatione verborum.

intelligit. Quum orator aliud dicit, aliud intelligit prope idem, tropus est Synecdoche, qua pars pro toto, totum pro parte sumitur. *Mucrones eorum a iugulis nostris reiecimus.* III Catilinaria. *Mucrones*, id est, gladios. Quum aliud dicit, aliud intelligit mutuo dependens, metonymia est, qua ex causis effecta significantur, et vicissim: *Vitemus linguas hominum.* Cic. i. e. sermones. Dum aliud dicit, aliud oppositum intelligit, ironia est: *O praeclarum, ut aiunt, custodem ovium lupum!* III Philipp. Denique quum aliud dicit, aliud simile intelligit, metaphora est, de qua hic agitur, quae continuata vocatur allegoria. Vnum sit instar omnium hoc Tullii exemplum ex Pisoniana: *Neque fui tam timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipub. navem gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuae nubeculam, tum collegae tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos: alias prospexi animo procellas: aliis impendentibus tempestatibus non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli.* Prunt.

* *Neque me patiar*) Verba veteris poëtae, quorum proprius est hic sensus: non me iterum exponam periculo: ducta allegoria fortasse a discrimine, quod ad promontorium Caphareum adiit classis Graecorum, et a telis pestiferis quae in Graecos Apollo immisit. Idem.

Neque me patiar iterum) Guelf. B omittitur *me*; et sic Lambin. In A abest *iterum*.

* *Nam exsultantem*) Sumpta ab equo metaphora significatur arrogantiam alicuius coërcendam esse. Pr.

* *Deinceps*) I. e. continuata.

* *Aenigmata*) Ἀπὸ τοῦ αἰνίττεσθαι, *obscure loqui*, dicitur aenigma, estque allegoria obscurior. Quo in genere eleganter et erudite lusit Ausonius Epist. IV ad Theonem: *Aut adsit interpres tuus, Aenigmatum qui cognitor Fuit meorum, cum tibi Cadmi Nigellas filias, Melonis albam paginam, Notasque furvae sepiae, Cnidiosque nodos prodidit.* Nigellae filiae sunt literae, quas in Graeciam attulit Cadmus. Melonis alba pagina, papyrus Nilotica: Nilus olim Melo, teste Festo; atramentum, quod e sepiae succo conficiebant, appellat notas furvae sepiae, et nodos Cnidios calamos scribendo idoneos, e quibus Cnidii praestantiores

42. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Pro *Afris* est sumta *Africa*; neque factum verbum est, ut: *Mare saxifragis undis;* neque translatum, ut: *Mollitur mare;* sed ornandi causa proprium proprio commutatum,

Desine, Roma, tuos hostes . . .

et

Testes sunt campi magni . . .

Gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus: ex quo genere haec sunt: *Martem belli esse communem; Cererem* pro frugibus; *Liberum* appellare pro vino; *Neptunum* pro mari; *curiam* pro senatu; *campum* pro comitiis; *togam* pro pace; *arma* ac *tela* pro bello.

erant ceteris. Raro sunt ab oratoribus adhibenda aenigmata, quippe quae inter dicendum auditorum sensum etiam acutissimorum saepe transvolent: usus est tamen Cicero pro Fonteio specie quadam aenigmatis in Pletorium, quod refert Quintilianus: *Mater tua dum vixit, ludum, postquam mortua est, magistros habuit.* Dum viveret suspecta erat libidinis, postquam mortua est, eius bona hastae subiecta sunt. PAVST.

* *Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet*) Ambiguum est, quomodo ista recte dicantur. Nam *metonymia*, quam ille *traductionem* s. *immutationem* dicit, non est in continuatione verborum, sed in verbis singulis. Sic *Africa* pro *Afris* est a singulorum verborum permutatione. Cicero autem hoc significat: in metonymia non fieri alicuius verbi novam quandam fabricationem sive nova compositione, ut in *saxifragis*, sive veram eius notionem in similem, ut in *mollitur mare*, mutando: sed tantum fieri unius verbi cum alio permutationem; ut quum pro *Afris* dicitur *Africa* etc.

Fabricationem habet) Vulgo additur *sed in oratione*, quod manifesto est vel a librario vel a glossatore e superioribus repetitum, et hic prorsus alienum est. Nam metonymia nunquam est *in oratione* i. e. in continuatione verborum, sed semper in singulis verbis.

Africa) Versus est Ennianus, quo Cicero utitur etiam in Orat. cap. 27.

* *Martem*) Vt Vulcanum pro igne, Martem pro bello dicere eruditionem redolet, inquit Fabius lib. VIII, cap. 6, ita Liberum et Cererem pro vino et pane licentius aliquis usurpaverit: *Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae,* Cicero pro Marcello. PAVST.

Quo item in genere et virtutes, et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: *Luxuries quam in domum irrupit;* et, *Quo avaritia penetravit;* aut, *Fides valuit, Iustitia confecit.*

Videtis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque verbo res eadem enuntiatur ornatius: cui sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, quum intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum, ut, pro aedificiis quum *parietes*, aut *tecta* dicimus; aut ex toto partem, ut, quum unam turmam, *equitatum populi Romani* dicimus: aut ex uno plures,

At Romanus homo, tamenetsi res bene gesta est,
Corde suo trepidat;

aut quum ex pluribus intelligitur unum,

Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini;

aut quocunque modo, non ut dictum est, in eo genere intelligitur, sed ut sensum est.

Abutimur saepe etiam verbo non tam eleganter, quam in transferendo; sed etiam si licentius, tamen interdum non impudenter: ut quum *grandem orationem* pro magna, *minutum animum* pro parvo dicimus. Verum illa videtisne esse non verbi, sed orationis, quae

At Romanus) Guelf. B, C, *ut Romanus.* Versiculi sunt ex Ennii annalibus.

Aut quum ex pluribus intelligitur unum) Lambinus correxit *unus*, quia in exemplo, quod sequitur, Ennius pluraliter loquitur, *nos sumus Romani*, pro *ego sum Romanus.* Et sane si codices addicerent, *unus* cum Pearcio praeferrem. Vt nunc est, Ernestio assentior, non necessarium esse *unus*, quia idem tropus non in personis solum, sed etiam in rebus usurpari possit.

Fuvimus) Ita antiquo more prosodiae causa scribendum esse monuit Pearcius. Vulg. *fuimus.* Ceterum *Rudini* verum est, non *Rutilli* aut *Rutuli*, quod habet Aldus. Cf. Lips. Antiq. lect. V, 2.

* *Abutimur*) Catachresis seu abusio vocis est, qua verbi alicuius significationem durius deflectimus ad aliam longe a propria recedentem: ita parricida dicitur interfector matris aut sororis, calamus sumitur vulgo pro penna, quum ille arundine fiat, haec avium sit propria. Pr.

Pro magna) Guelf. A, *pro longa*, idque verius, ut opinor.

ex pluribus, ut exposui, translationibus connexa sunt? haec autem, quae aut immutata dixi, aut aliter intelligenda, ac dicerentur, sunt translata quodam modo. Ita fit, ut omnis singulorum verborum virtus atque laus, tribus exsistat ex rebus: si aut vetustum verbum sit, quod tamen consuetudo ferre possit; aut factum vel coniunctione, vel novitate, in quo item est auribus consuetudinique parcendum; aut translatum, quod maxime tanquam stellis quibusdam notat, et illuminat orationem.

43. Sequitur continuatio verborum, quae duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quendam formamque desiderat. Collocationis est componere et struere verba, sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit; sed quodammodo coagmentatus et laevis. In quo lepide soceri mei persona lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius:

* *Sunt translata quodam modo*) Nempe metonymia et synecdoche non sunt translata, ut metaphora, sed tamen eo modo translata, quo dicuntur tropi. In metaphora simile pro simili, in metonymia cognatum pro cognato, in synecdoche totum pro parte, aut pars pro toto ponitur. Conf. Orat. cap. 27, quod hunc locum planissime illustrat.

Auribus consuetudinique parcendum) edd. Ven. Mediol. al. *parendum*, quod non est deterius. Sic Cic. Orat. cap. 47, *consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor*. Attamen *parcendum* praefero, quia praecessit: *quod tamen consuetudo ferre possit*. Qui enim in verbis vel priscis novandis vel novis faciendis hac moderatione utitur, ut non nimis abhorreat a consuetudine, is recte *parcere* consuetudini dicitur. Accedit quod hic adiungitur *auribus*, quibus in novitate verborum utique *parcendum* est, ne aspera quaedam iis obtrudamus.

Notat et illuminat) Guelf. A, *illustrat et notat*. C, *notat et illustrat*.

* *Neve hiulcus*) Qualis est in his locutionibus, *Persarum rex Xerxes*. PRUST.

Coagmentatus) Opponitur *hiulco*; *laevis* autem *aspero*.

In soceri mei persona) Sic optime MS. Erl. e quo recepit Ernestius. Vulg. *soceri mei persona*, in quo durius omittitur *in*. Edd. Med. Asc. habent *personam*, quod quum ferri posse putabat Ernesti, quia recte dicatur *ludere personam*, aliud agebat. Nam apud Lucilium Crassi socer loquens inducebatur, isque Albucii affectatam compositionem perstringebat. Itaque Lucilius in Scaevolae,

Quam lepide lexeis compostae! ut tesserulae omnes
Endo pavimento, atque emblemate vermiculato.

Quae quum dixisset in Albucium illudens, ne a me quidem abstinuit:

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

Quid ergo? iste Crassus, quoniam eius abuteris nomine, quid efficit? idem illud scilicet, quod ille voluit, et ego vellem melius aliquanto, quam Albucius. Verum in me quidem lusit ille, ut solet. Sed est tamen haec collo-

Crassi soceri,* persona lusit Albucium, non Scaevolae ipsius personam lusit. Sic Orat. cap. 44 Cicero ait illud vitium apud Lucilium scite exagitasse in Albucio Scaevolam.

* *Quam lepide lexeis compostae*, etc.) Sensus est: Lexeis, id est, verba tua, o Albuti, lepide et eleganter composita coagmentataque sunt in oratione, ut in pavimento, vel in emblemate vermiculato omnes tesserulae sunt arte compositae. Tesserulae sunt lapilli aut lateres quadrati, quibus aedium solum consternitur. Opus tesserulis apte consertum, et effigie rerum animaliumque distinctum emblema vermiculatum vocatur. StrEB.

Quam lepide — Endo pavimento) Vulg. sic edebantur versiculi: *Quam lepide lexeis compostae, ut tesserulae omnes Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.* Lambin. edidit *endo*, quod est Lucilianum et antiquum pro *in*, non autem, quod Pearcius somniabat, graecum ἐν τῷ. Quia tamen *arte* non videtur a librariis venisse, et *omnes* post *tesserulae* frigidius adiectum videtur, malui: *ut tesserulae arte, Endo pavimento;* nempe in opere tessellato laus est, lapillos arctissime inter se iungi. Sed si *arte* eliciendum sit, certe Pearcii interpunctio placet: *quam lepide lexeis compostae, ut tesserulae, omnes.* Ceterum hos versiculos Cicero iterum excerpsit Orat. cap. 44, ad eosque alludit Brut. cap. 74. Quintil. IX, 4, 115.

* *Emblemate*) Ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλειν, *ab immittendo* dicta sunt emblemata, frusta quaedam lignea, eburnea, etc. quae rei alicuius, v. g. Iovis aut animalis effigiem habent, quae frusta interseruntur et immittuntur ad ornatum in pavimentis, abacis, etc. Pavst.

* *Vermiculato*) Ornamentis, quasi vermiculis, variato et distincto. Plinius lib. XXXV, cap. 1: *vermiculatis ad effigies rerum et animalium crustis.* Idem.

* *Rhetoricotero*) Vox Graeca ῥητορικώτερος *artis rhetoricae peritior*: s eliditur more antiquo, ut sibi versus constet. Idem.

Idem illud scilicet, quod ille voluit, et ego vellem melius, quam Albucius) Vulg. *idem illud scilicet, ut ille voluit et ego vellem; melius quam Albucius*, qua quidem interpunctione huic loco et sensus et urbanitas perit. Recte vero Ernestius, *quod ille voluit.* Totius autem loci hic sensus est: Quid ergo iste Crassus, quid efficit? idem illud quod ille (Albucius) efficere voluit (orationem numero-

catio conservanda verborum, de qua loquor, quae iunctam orationem efficit, quae cohaerentem, quae lenem, quae aequabiliter fluentem. Id assequimini, si verba extrema cum consequentibus primis ita iungetis, ut ne aspere concurrant, neve vastius diducantur.

44. Hanc diligentiam subsequitur *modus* etiam et *forma* verborum, quod iam vereor, ne huic Catulo videatur esse puerile. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam, nobis esse adhibendos putaverunt. Interspirationes enim, non defatigatione nostra, neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt; idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis atque aurium causa (quemadmodum scribit discipulus eius Naucrates) numeris adstringeret. Namque haec

sam), et ego vellem melius efficeret, quam Albucius, h. e. ita ne affectata videretur concinnitas et puerilis. Suave est autem quod dicit ego *vellem*, quasi Crassus ille alius esset atque ipse.

Quae lenem) Hoc Pearcius et Ernestius ex ed. Med. Asc. Ald. iure restituerunt pro *levem s. laevem*.

* *Si verba extrema cum consequentibus primis*) I. e. verbi ultimas literas cum proxime sequentis primis.

Iungetis) Guelf. A *iungentur*.

Vt ne aspere) Guelf. A, B, C, melius *ut neve aspere*. Sic supra: *ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit*. Ceterum *aspere concurrant* de consonantibus, *vastius diducantur* de hiatu vocalium. De asperitate cf. Quintil. Inst. or. IX, 4, 37.

* *Ne aspere concurrant*) Vt si quis dicat, Xerxis exercitus. Pr.

* *Neve vastius*, etc.) Quod accidit quum litera *a* crebrius recurrit, ut si quis dicat: *Frugifera regna Asiae*. Idem.

Interspirationes enim, non defatigatione nostra) Vulg. legebatur *interspirationis enim, non defatigationis nostrae*, in quo vitium inesse acute sensit Pearcius; sed emendationem inchoavit quidem corrigens *defatigatione*, non autem absolvit. Legendum enim etiam est: *interspirationes*; ut sensus sit, interspirationes, h. e. pronuntiandi intervalla, non defatigatione nostra neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas esse voluisse veteres eloquentiae magistros: plane ut Orat. 68: *oratio non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu librarii, sed numero coacta*

duo, poëtae, qui erant quondam iidem musici, machinati ad voluptatem sunt versum, atque cantum; ut et verborum numero, et vocum modo vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem, et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt. In quo illud est vel maximum, quod versus in oratione si efficitur coniunctione verborum, vitium est; et tamen eam coniunctionem, sicuti versum, numerose cadere et quadrare, et perfici volumus. Neque est ex multis res una, quae magis oratorem ab imperito dicendi, ignaroque distinguat, quam quod ille rudis incondite fundit, quantum potest, et id, quod dicit, spiritu, non arte, determinat; orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur, et adstricto et soluto. Nam

debet insistere. Ceterum *interspirationes* pluraliter positum occurrit c. 51, ubi *aequalibus interspirationibus uti* idem est quod *intervallis aequalibus* cap. 48.

Poëtae, qui erant quondam iidem musici) Vulgo *musici, qui erant iidem poëtae.* Sed transposui verba, quia Cicero deinde dicit, vocis moderationem et verborum conclusionem a poëtica ad eloquentiam traductam esse.

* *Musici qui erant* etc.) Hoc aperte Quintilianus testatur lib. I, cap. 10: *Quis ignorat musicen tantum iam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici et vates, et sapientes iudicarentur? mittam alios; Orpheus, et Linus*, etc. Pr.

Vt et verborum numero, et vocum modo, vincerent aurium satietatem) Recte vocabulum *delectatione*, vulgo post *vocum modo* inculcatum, spurium esse iudicavit Ernestius. *Verborum numerus* refertur ad versum. *vocum modus*, i. e. melodia, ad cantum.

Numerose cadere et quadrare et perfici volumus) Guelf. A *numerose sedere et quadrare et perficere volumus.* Legendum est, ni fallor: *numerose cadere et quadrari et perfici volumus.* Nam *quadrare* intransitive positum h. l. non satis aptum est. Quadrari autem orationem est rotundam effici, ut saepe.

Ex multis res una) Guelf. C, *ex multis res ulla.*

* *Incondite fundit, quantum potest*) Male omittitur *quantum potest* Guelf. A. Significatur enim, hominem imperitum dicendi incondite tantum verborum fundere, quantum possit, periodosque defatigatione, non arte terminare.

* *Adstricto*) Oratio numerosa et adstricta et soluta simul dicitur; ad-

quum vinxit modis et forma, relaxat et liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur.

45. Quonam igitur modo tantum munus insistemus, ut arbitremur nos hanc vim numerose dicendi consequi posse? Non est res tam difficilis, quam necessaria. Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocunque ducas, quam oratio. Ex hac versus, ex eadem dispares numeri conficiuntur: ex hac etiam haec soluta variis modis, multorumque generum oratio. Non enim sunt alia sermonis, alia contentionis verba; neque ex alio genère ad usum quotidianum, alio ad scenam, pompamque sumuntur; sed ea nos quum iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. Itaque ut tum graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus; sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus;

stricta quidem, quod certo verborum ambitu comprebensa non vagetur sermonis instar, quem naturalis impetus sine lege effundit: soluta vero, quod non praescriptis pedibos versuum more viuciatur. Pr.

Vinxit modis et forma) Guelf. A, *vinxit forma et modis*. Ed. Omnib. *iunxit modis forma*. Opinor autem scripsisse nostrum: *vinxit modo et forma*, sicut cap. 43, *modum quendam et formam desiderat*; it. cap. 44: *subsequitur modus et forma verborum*. Nempe *modus et forma* per ἓν διὰ δυοῖν est numerus oratorius. Ernesti tamen *modos* de pedibos, et *formam* de structora accepit; ita ut relaxatio in modis sit, quom non severe exiguntur pedes ad certum versus metrum; in forma, quum non tot exigontur pedes, quot sunt in verso poetico.

* *Ex hac versus*) Exemplo sit ille Horatii versiculus: *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas*. Inmota verborom ordinem, evanescet forma versus: *Voluptates sperne, dolore voluptas empta nocet*. Pr.

Non enim sunt) Ciceronianae consuetudinis potius esse, *non sunt enim*, beue monuit doctissimos Schaeferus in praefatione ad Plinii epistolas nuper editas.

* *Alia sermonis, alia contentionis verba*) Nimirum *sermo* est familiaris et quotidianus, *contentio* autem oratio exquisitior in daliberstionibus ant indiciis publicis.

Itaque ut tum graves) Inserui *ut*, quod respondeat sequenti; *sic institu-*

idque ad omnem aurium voluptatem, et animorum motum mutatur et vertitur.

46. Sed ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, sic in oratione, ut ea, quae maximam utilitatem in se continerent, eadem haberent plurimum vel dignitatis vel saepe etiam venustatis. Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus hunc statum esse huius totius mundi atque naturae, rotundum ut coelum, terraque ut media sit, eaque sua vi nutuque teneatur; sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diversam partem; ut luna accessu, et recessu suo solis lumen accipiat; ut eadem spatia quinque stellae dispari motu, cursuque conficiant. Haec tantam habent vim, ut paulum immutata cohaerere non possint; tantam pulcritudinem, ut nulla species ne excogitari quidem possit ornatior. Referte nunc animum ad hominum, vel etiam ceterarum animantium formam et figuram. Nullam partem corporis sine aliqua necessitate afflictam, totamque formam quasi perfectam reperietis

tutam nostram sententiam sequitur orationis genus. Cf. Quintilian. Inst. Or. IX, 4, 69.

Idque ad omnem aurium voluptatem) Sic Guelf. A. Vulg. *idque ad omnem rationem et aurium voluptatem*: in quo non intelligitur quid significet vocabulum *rationem*. Cf. Quintil. IX, 4, 9.

Sua vi nutuque teneatur) Pearcius ad h. l. recte: *Nutu*, inquit, i. e. momento seu pondere. Sic noster de N. D. II, 39: « Vndique ipsa, sc. terra, in sese nutibus suis conglobata » de Fin I, cap. 6: « Aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur »; Tusc. Dispp. I, 17: « Vt terrena et humida suopte nutu et suo pondere in terram et in mare ferantur. » Frustra igitur Clericus pro *nutuque* legi voluit *nexuque*.

Recessu suo) Guelf. A *recessu* sine *suo*.

Excogitari) Guelf. A, B, C, *cogitari*, fortasse verius.

Ceterarum) Guelf. B, C, *ceterorum*.

Totamque formam quasi perfectam reperietis arte, non casu) Si *quasi* h. l. cum *arte* coniungatur, hoc sensu: totamque formam ita venustam reperietis, ut ea quasi arte quadam, non casu perfecta esse videatur, tollitur incommodum, quod Lambinum offendebat, ut integrum locum non esse suspicaretur.

arte, non casu. Quid in arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam? Nusquam tamen est ulla pars, nisi venusta. Linquamus naturam, artesque videamus. Quid tam in navigio necessarium, quam latera, quam cavernae, quam prora, quam puppis, quam antemnae, quam vela, quam mali? quae tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solum salutis, sed etiam voluptatis causa inventa esse videantur. Columnae et templa et porticus sustinent; tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. Capitolii fastigium illud, et ceterarum aedium, non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. Nam quum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur, utilitatem fastigii templi dignitas consequuta est; ut, etiamsi in caelo statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum esse videatur. Hoc

Cavernae) Hanc lectionem praeter multos codd. a Pearcio laudatos confirmant Guelf. A, B, C, it. Erl. Vulg. *carinae*. Ceterum *cavernae* quae sint in navibus, Pearcius e Servio ad Virg. Aen. II, 19 docuit, cuius verba haec sunt: *Alii fustes curvos navium, quibus extrinsecus tabulae affiguntur, cavernas appellarunt.*

Columnae et templa et porticus sustinent) Guelf. A, *columnae templa porticus sustinent.*

Et ceterarum aedium) Quia in sequentibus de solo Capitolii fastigio loquitur, malim *ut ceterarum aedium* παρενθέτως.

* *Vtilitatem fastigii templi dignitas consequuta est*) Vulgo ordine ad sententiam inepto *utilitatem templi fastigii dignitas consequuta est.* Nempe Cicero hoc innuit, fastigium esse inventum utilitatis ac necessitatis gratia; ex fastigii utilitate deinde templi dignitatem consequutam esse, id enim sequentia satis declarant: « Vt etiamsi (templum) in caelo statueretur — nullam sine fastigio dignitatem habere videatur. »

In caelo statueretur) Guelf. B, C, *in caelo Capitolium statueretur.* Agnoscis glossema, etsi idem est in compluribus codd. a Pearcio collatis. Rectius vero abest codd. Pal. 1, 2 a Grutero inspectis. In *statueretur* facile intelligitur *templum* a versu superiore.

Vbi imber esse non posset) Guelf. B, *ubi imbres esse non possent.*

Habiturum esse videatur) Guelf. A, B, C, Victor. *habiturum fuisse videatur*; haud scio an melius. Tum

in omnibus item partibus orationis evenit, ut utilitatem ac prope necessitatem suavitas quaedam et lepos consequatur. Clausulas enim, atque interpuncta verborum animae interclusio, atque angustiae spiritus attulerunt. Id autem ita est suave, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus. Id enim auribus nostris gratum est inventum, quod hominum lateribus non tolerabile solum, sed etiam facile esse posset.

47. Longissima est igitur complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest. Sed hic naturae modus est, artis alius. Nam quum sint numeri plures, iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, vester, qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum; sed sunt insignes percussiones eorum numerorum, et minuti pedes. Quare primum ad heroum nos dactyli, et anapaesti,

nimirum *statueretur* pro *statutum esset* accipiendum haud infrequenti temporum enallage.

Id autem ita est suave) Vulg. *id inventum ita est suave*. Sed hoc *inventum* librario debetur ad quartum abhinc versum oculis aberranti.

* *Perpetuare verba*) I. e. sine interpunctione pronuntiare.

Iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles) Nempe Rhetoricorum lib. III, c. 8: ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. Δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. Ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος.

* *Insignes percussiones eorum numerorum*) H. e. in rhythmo iambico et trochaico facile animadvertitur ἄρσις et θέσις, quum sint minuti pedes, et saepius iidem recurrant, eoque *frequentiorem quasi pulsum habeant*, ut ait Quintil. IX, 4, 136. Contrarium est *latentes sermonis percussiones* ap. Quint. XI, 3. 108.

Quare primum ad heroum nos dactyli et anapaesti, et spondei vedem invitat) Vbi autem hoc Aristoteles fecit? Immo potius heroum numerum grandiorem esse, quam ut orationi aptus sit, affirmavit. Rhet. III, 8: τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ οὐ λεκτικός, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. Ipse Cicero alibi Aristotelis sententiam rectius enuntiat Orat. cap. 57: *quod longe Aristoteli videtur secus; qui iudicat heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio, iambum autem nimis e vulgari esse sermone.* Itaque illa dum scriberet Cicero, quae h. l. Crasso loquenti tribuuntur, memoria eum fefellerit necesse est,

et spondei pedem invitat; in quo impune progredi licet duo duntaxat pedes, aut paulo plus, ne plane in versum, aut similitudinem versuum incidamus. Aliae sunt geminae, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum satis decore cedunt,

nisi forte alio Aristotelis codice usus sit, in quo scriptum esset ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικός, (omissa particula οὐ) sicut hodieque in multis edd. Aristotelis legitur. Ceterum alia ratione Ciceronem erroris culpa liceret eximere, si vera esset lectio Guelf. B, C, *invitant*; tum enim hoc non Aristoteli, sed universe rhetoribus quibusdam tribueretur. Sed hanc lectionem vereor ut aliquis cum nexu antecedentium et consequentium verborum conciliare possit. Lambinus autem operae pretium non fecit corrigendo: *quare plurimum ad heroos non pedes, dactylum, anapaestum at spondeum invitat.*

* *Ad heroum*) Id refert Aristoteles loco supra laudato: Τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνός, καὶ λεκτικός, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. *Inter numeros herous gravis est, et orationi accommodatus, et temperatione* aliorum numerorum *indiget.* Nisi enim iambi inserantur, grandior est numerus quam desideret soluta oratio. Ex quibus secum ipse conciliandus Tullius, qui ex mente Aristotelis heroum numerum hic probat, in Oratore reiicit. Nimirum hic admittit reliquorum numerorum harmonia temperatum, alibi purum improbat. Ceterum herous pes Fabio dactylus est, Ciceroni praeterea spondeus et anapaestus. Pavst.

Aut similitudinem versuum) Pearcius e tribus codd. Ioan. Cant. Harl. 1 (non ex uno tantum, ut Ernestius falso tradit), dedit *aut similitudinem versus*, quod verius est, opinor.

Aliae sunt geminae) Scil. percussiones, quod vocabulum Nizolius in codice suo scriptum quoque legisse videtur. Sed legendum arbitror: *Aliis sunt geminae*, i. e. aliis numeris vel pedibus, ut paeonibus, sunt geminae percussiones.

Aliae sunt geminae) In singulis pedibus simplicibus, quia habent ἄρσιν, et θέσιν, *elationem et positionem*, singulae sunt percussiones: si duos in clausula pedes certos constituimus, geminae sunt percussiones, si totidem pedes apponimus in principio, aliae sunt geminae in principio continuationis, quam Graeci περίοδον vocant. Ponuntur itaque non sine dignitate et in principio et in fine, vel ipsi ordine tres pedes heroi dactylus, anapaestus, et spondeus; vel singuli cum aliis mixti: quod potius est intelligendum. Str.

Quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum satis decore cedunt) Vulg. *cadunt*, quod quem h. l. sensum habere possit, non invenio. Reposui *cedunt*; ex quo sententia fit aptissima: *quibus*, nempe paeonicis numeris, *hi tres heroi pedes*, dactylus, anapaestus, spondeus, *in principia continuandorum verborum* (h. e. in periodorum initia) *satis decore cedunt*, h. e. ita cedunt, ut clausulas paeonibus relinquant, ipsi autem decorum satis locum, periodorum initia, occupent.

Probatur autem ab eodem illo maxime paeon, qui est duplex. Nam aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut haec verba, *desinite*, *incipite*, *comprimite*; aut a brevibus deinceps tribus, extrema producta, atque longa, sicut illa sunt, *domuerant*, *sonipedes*. Atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeone, posteriore finire. Est autem paeon hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura, quod est acrius iudicium et certius, par fere cretico, qui est ex longa et brevi et longa; ut,

Quid petam praesidî, aut exsequar? quove nunc?

A quo numero exorsus est Fannius: *Si, Quirites, minas illius*. Hunc ille clausulis aptiorem putat, quas vult longa plerumque syllaba terminari.

48. Neque vero haec tam acrem curam diligentiamque desiderant, quam est illa poëtarum; quos necessitas cogit, et ipsi numeri ac modi, sic verba versu includere, ut nihil sit, ne spiritu quidem minimo, brevius aut longius, quam necesse est. Liberior est oratio, et plane, ut dicitur, sic est vere soluta; non ut fugiat ta-

* *Probatur*) Locus est Aristotelis ex eodem cap. 8, lib. III. Rhetor. desumptus: Ὁ δὲ παιὰν ληπτέος; ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔςι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν. *Paean* sive paeon *usurpandus: ex hoc enim uno praedictorum numerorum non fit versus: adeoque maxime latet.* Ceterum non tantum duplex, sed etiam quadruplex est paeon, constat enim praeterea alius ex iambo et pyrrichio, ut *docebimur*: alius ex pyrrichio et choreo, ut *moriamur*. Paeones omnes ex tribus brevibus, et una longa constant. STREB.

* *Atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeone, posteriore finire*) Aristot. Rhet. III, 8: ἔστι δὲ παιᾶνος δύο εἴδη ἀντικείμενα ἀλλήλοις. ὧν τὸ μὲν ἐν ἀρχῇ ἁρμόττει — ἕτερος δ' ἐξ ἐναντίας — οὗτος δὲ τελευτὴν ποιεῖ.

Quod est acrius iudicium) Lambinus emendabat: *quarum est acrius iudicium.*

* *Par fere cretico*) Creticus seu amphimacer, fit ex longa, brevi et longa, ut *maximos*, par est paeoni, aurium certo iudicio: unam enim longam, et duas breves aequalibus intervallis metimur. PRVST.

Sic est vere soluta) Recte sic Guelf. A. Vulg. *sic et est vere soluta.*

men, aut erret, sed aut sine vinculis sibi ipsa moderetur. Namque ego illud assentior Theophrasto, quod putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodammodo, non adstricte, sed remissius numerosam esse oportere. Etenim, sicut ille suspicatur, ex illis modis, quibus hic usitatus versus efficitur, post anapaestus, procerior quidam numerus, effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus; cuius membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa. Et si numerosum est id in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis aequalibus: recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Nam si rudis et indocta putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis et profluens, quid est aliud causae, cur repudietur, nisi quod hominum auribus vocem natura modulatur ipsa? quod fieri, nisi inest numerus in voce, non potest. Nume-

Illud assentior Theophrasto, quod putat) Vulgo *qui putat*. Sed post *illud assentior* necessario requiritur *quod*.

Ex illis modis) Bene corrigit Becichemus *ex his modis*, ut ter intra paucos versiculos ponatur *illo*. Nisi forte cum Guelf. A, *ex istis modis* legere malis.

Dithyrambus) Hymnus ad Bacchum, qui et ipse Dithyrambus est appellatus ἀπὸ τοῦ δὶς εἰς θύραν, seu δύο θύρας ἐμβαίνειν, *quod bis in portam, sive duas portas ingressus esset*; bis enim natus credebatur, videlicet ex matre Semele, deinde ex Iovis femore. Carminis genus, quo conficiebatur hic hymnus, quoslibet pedes admittebat Horat. lib. IV carm.:
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur,
Lege solutis. Pevst.

Quod habet quasdam impressiones) Hoc quivis facile sentiat in hac periodo Tullii, pro Caecina c. 1, ubi sunt quatuor impressiones totidem in periodi partibus: *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret; non minus nunc in causa cederet A. Caecina Sext. Aebutii impudentiae, quam tum in vi facienda cessit audaciae*. Intervalla sunt prope aequalia, numerosa omnia. Idem.

Nisi quod hominum auribus vocem natura modulatur ipsa?) Recepi lectionem ab Vrsino in Mss. inventam, a Peaccio quoque e Mss. Pith. et Mem. enotatam, qui comparavit locum Orat. c. 18: *ipsa natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem*.

rus autem in continuatione nullus est: distinctio, et aequalium, et saepe variorum intervallorum percussio numerum conficit; quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus; in amni praecipitante non possumus. Quodsi continuatio verborum haec soluta multo est aptior, atque iucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta: membra illa modificata esse debebunt; quae si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus; sic enim has orationis conversiones Graeci nominant. Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam est melius et iucundius, longiora.

49. Atque haec quidem ab iis philosophis, quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt: quod eo saepius testificor, ut auctoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam. Quarum tandem, inquit Catulus? aut quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut omnino dici subtilius? At enim vereor, inquit Crassus, ne haec aut difficiliora istis ad persequendum esse videantur, aut, quia non traduntur in vulgari ista disciplina, nos ea maiora ac difficiliora videri velle videamur. Tum Catulus, Erras, inquit, Crasse, si aut me, aut horum quemquam putas a te haec opera quotidiana et perva-

Quodsi continuatio verborum haec) i. e. periodus. Sed h. l. incommodum est vocabulum *continuatio*, quia sequitur *continuata et producta*; malim igitur *complexio verborum*, ut c. 47, vel *comprehensio*, quo saepius utitur de periodo Orat. c. 66.

Membra illa) I. e. κῶλα seu *membratim dicta*.

* *Verborum ambitus; sic enim Graeci*). Nempe per vocabulum *ambitus* pressius reddit Graecum περίοδος.

* *Aut paria esse debent*) In periodo paulo superius allata hoc facile potes advertere. PAVST.

Haec opera quotidiana) Haud satis appositum est *opera*; itaque vel delendum, vel aptius vocabulum, ut *praecepta*, substituendum censeo. Alibi quoque in hac dicendi forma solis adiectivis utitur, ut I, 36: *si de istis communibus et pervagatis vix huic aetati audiendum putas*.

gata exspectare. Ista, quae dicis, dici volumus: neque tam dici, quam isto dici modo: neque tibi hoc pro me solum, sed pro his omnibus sine ulla dubitatione respondeo. Ego vero, inquit Antonius, inveni tandem, quem negaram in eo, quem scripsi, libello, me invenisse, eloquentem. Sed eo te ne laudandi quidem causa interpellavi, ne quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore verbo uno meo diminueretur.

50. Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem quum exercitatione, tum stilo, qui et alia, et hoc maxime ornat, ac limat, formanda nobis oratio est. Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur; nec sunt haec rhythmicorum ac musicorum acerrima normâ dirigenda; sed efficiendum est illud modo nobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat interius, ne excurrat longius; ut membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate, et quasi conversione verborum, sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est, quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda. Neque vos paeon, ut herous ille conturbet. Ipsi occurrent orationi; ipsi, inquam, se offerent, et respondebunt non vocati. Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiae verbis finiantur, eorumque verborum iunctio nascatur a proceris numeris ac liberis, maxime heroo,

* *Quum exercitatione, tum stilo*) I. e. quum usu dicendi, tum maxime scribendi exercitatione. Sic paulo post: *consuetudo scribendi atque dicendi.*

* *Conversiones habeat absolutas*) I. e. periodos numerosas et rotundas.

* *Perpetuitate*) I. e. periodica oratione; opponitur enim genus loquendi per κῶλα s. membra minutiora.

* *Ut sententiae verbis finiantur*) Haec et alia illustrabimus exemplis in Oratore. Interim hoc Quintiliani lib. IX, cap. 4 accipe: *Verbo sensum claudere, multo, si compositio patiatur, optimum est: in verbis enim sermonis vis inest. At si id asperum erit, cedat haec ratio numeris, ut fit apud summos Graecos Latinosque oratores frequentissime.* Pavsz.

aut paeone priore, aut cretico; sed varie distincteque considat. Notatur enim maxime similitudo in conquiescendo. Et si primi et postremi illi pedes sunt hac ratione servati, medii possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior, quam aures exspectent, aut longior, quam vires atque anima patiatur. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror, quam superiora, quod in his maxime perfectio atque absolutio iudicatur. Nam versus aeque prima, et media, et extrema pars attenditur, qui debilitatur, in quacumque sit parte titubatum; in oratione autem prima pauci cernunt, postrema plerique. Quae, quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudiciis repudientur, aut aurium satietate. Duo enim aut tres sunt fere extremi servandi et notandi pedes (si modo non breviora et praecisa erunt superiora), quos aut choreos, aut heroos, aut

Aut paeone) Hoc restitui e Guelf. A, B, C. Vulgo minus apte *et paeone*. Errabat autem Pearcius, quum h. l. legendum esse putabat *paeone posteriore*, quia de modo finiendarum sententiarum agatur, in fine autem periodi paeoni posteriori locus sit. Atqui h. l. de initio periodi Crassus loquitur; etenim *eorum verborum*, inquit, *iunctio nascatur*, i. e. incipiat, *a proceris numeris*. Quod autem antea dicitur: *sententiae verbis finiatur*, hoc non ad finem periodorum pertinet, sed omnino numerosam orationem designat.

* *Varie distincteque considat*) I. e. clausulae periodorum sint variae et inter se diversae.

Clausulas autem) Cum h. l. comparandus est Quintil. Inst. Or. IX, 4, 61, sqq.

Quos aut choreos, aut heroos, aut alternos esse oportebit, aut in paeone illo posteriore — aut ei pari cretico) Quem hic choreum vocat, is tribus brevibus syllabis constat, et vulgo tribrachys vocatur. Sic Orat. c. 64. Postrema autem verba *aut in paeone — cretico* nondum satis expedita sunt. Pearcius post *cretico* addendum censebat *finire*. Sed hoc nihil egemus, quia de *extremis pedibus* hic agitur, inepteque diceretur *extremus pes finit in paeone*. Ac si, quod Ernestio in mentem venerat, adderemus *finiendum*, nihilo esset commodius. Itaque praestat vulgatam tenere, sed hac lege, ut *alternos* choreos et heroos in numero, qui constet ex paeonibus vel creticis, inesse significetur. Nam si clausula sit ex duplici paeone ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ —, inest choreus (◡ ◡ ◡) alternans cum dactylo (— ◡ ◡); sin paeone et cretico constet ◡ ◡ ◡ —

alternos esse oportebit, aut in paeone illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur. Quodsi Antipater ille Sidonius, quem tu probe, Catule, meministi, solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, quum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur: quanto id facilius in oratione, exercitatione, et consuetudine adhibita, consequemur?

51. Illud autem ne quis admiretur, quonam modo haec vulgus imperitorum in audiendo notet: cum in omni genere, tum in hoc ipso magna quaedam est vis incredibilisque naturae. Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla ratione, quae sint in artibus recta ac prava, diiudicant: idque cum faciunt in picturis, et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti; tum multo osten-

◡ —, inest choreus cum spondeo. Lambinus nodum potius discidit, quam solvit, reponendo *aut paeonem aut ei parem creticum.*

* *Antipater*) Hic oriundus ex Sidone in Phoenicia (nunc *Said*) poëta extemporali in carmine facundia celebris, cuius epigrammata undeviginti habemus in Anthologia. Plinius lib. VII, cap. 51 refert, eum omnibus annis uno die natali tantum correptum febre, et eo consumptum fuisse satis longa senecta. Floruit centum circiter ante Christum annis. Pvst.

* *Ingeniosi ac memoris*) Nempe *memor* est memoria valens, ut supra II, 32 *memores oratores*. Nihil igitur opus est, quod Purgoldo in mentem venit, corrigere *mediocris*. Est autem hic conclusio a maiore ad minus. Si Antipater potuit versus ex tempore fundere, quod maius ac difficilius est, quanto facilius nos numeros in oratione consequemur?

Omnes enim tacito quodam sensu sine ulla ratione, quae sint in artibus recta ac prava, diiudicant) Haec vulgo legebantur sic: *omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quae sint in artibus ac rationibus recta et prava, diiudicant;* in quibus inepta quaedam interpolata et verum sensum turbantia cicimus. Similiter Quintil. IX, 4, 117: *docti rationem componendi intelligunt, etiam indocti voluptatem.*

dunt magis in verborum, numerorum, vocumque iudicio; quod ea sunt in communibus infixa sensibus, neque earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem. Itaque non solum verbis arte positis moventur omnes, verum etiam numeris ac vocibus. Quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in iis si paulum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo, non modo catervae atque conventus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes eiiciantur? Mirabile est, quum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam non multum differat in iudicando. Ars enim quum a natura profecta sit, nisi naturam moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur. Nihil est autem tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces; quibus et excitamur, et incendimur, et lenimur, et languescimus, et ad hilaritatem, et ad tristitiam saepe deducimur; quorum illa summa vis carminibus est aptior et cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, rege doctissimo, maioribusque nostris, ut epularum solemnium fides ac tibiae, Saliorumque versus indicant; maxime

Ut aut contractione brevius fieret) Scil. *aliquid*. Nam quod Pearcius suasit *fierent*, id esset praeposterum et soloecum.

Conventus) Guelf. A, *concentus*, cuius quidem lectionis vestigia Ernesti in cod. Erl. deprehendit. Fortasse legendum: *non modo catervae in concentu, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes.*

Nisi naturam moveat) Lectionem unice verum praebent edd. Ven. Mediol. Steph. Asc. Manut. Lamb. Accedunt codd. Norf. Mag. Harl. 2, Iohn. Bod. Gn. B, C. Alii male *natura*, quod Ernestius, quia meliorem lectionem non intelligebat, uncis circumscripsit. Sensus autem non est adeo difficilis, ut morari Ernestium debuerit. *Ars quum a natura profecta sit*, h. e. quum orta sit a natura sensuum nostrorum, *nisi naturam sensuum moveat ac delectet*, etiam in imperitis hominibus, artis eiusque praeceptorum ignaris, nihil sane egisse videatur.

* *Saliorumque*) Salii Sacerdotes Martis, sic dicti quod dum ferrent ancilia, solerent saltare. Ancile autem

autem a Graecia vetere celebrata. Verum, ut in versu vulgus, si est peccatum, videt; sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit; sed poëtae non ignoscit, nobis concedit; tacite tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum perfectumque cernunt. Itaque illi veteres, sicut hodie etiam nonnullos videmus, quum circuitum et quasi orbem verborum conficere non possent (nam id quidem nuper vel posse, vel audere coepimus), terna, aut bina, aut nonnulli singula etiam verba dicebant; qui in illa infantia naturale illud, quod

brevius erat scutum, quod e caelo quum esset delapsum ad salutem Romae fatale, ne forte subriperetur, curavit Numa, secundus rex Romanorum, ut undecim alia omnino similia fabricarentur. Pavst.

* *A Graecia vetere*) *Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas princeps, meo iudicio, Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot ante annis, quum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior.* Cic. lib. I Tuscul. Quaest. Idem.

Maxime autem a Graecia vetere celebrata) Post haec verba turpissimum legitur in Mss. et Edd. emblema: *Quibus utinam similibusque de rebus disputari, quam de pueribus his verborum translationibus disputari maluissetis.* Quod ita ineptum est atque alienum, ut nullo modo id Crasso Cicero tribuere potuerit. Quum enim ille supra summum orationis ornamentum in translationibus agnovisset, nullum in verbis modum florentiorem, aut qui plus orationis afferat orationi, esse iudicasset, quomodo nunc sui immemor pueriles appellaverit translationes? Ascripsit igitur tunc *ῥήτωρ* grammaticus aliquis, qui vellet antiquitatis studiosus haberi, et artis rhetoricae praecepta fastidiret.

* *Terna aut bina*) Terna invicem opposita verba numerosam efficiunt orationem: ex. gr. *Odit privatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit:* Cic. pro Muraena. Item bina binis, ut, *in dominatu servitus, in servitute dominatus*: Cic. pro Deiotaro: item quum singula singulis proponuntur, ut in illo Terentii Eunuchi Actu I, scena I:

Exclusit, revocat, redeam? non, si me obsecret. Pavst.

Aut nonnulli singula etiam verba dicebant) Lambin. maluit *singula etiam verba numerose dicebant.* Sed additamento non est opus. Nam terna, bina, singula verba dicere h. l. est tria tribus, duo duobus, omninoque paria paribus opponere.

Qui in illa infantia naturale illud, quod aures hominum flagitabant, tenebant tamen) Ernestius: *qui in illa infantia naturali illud, quod aures hominum flagitabant, tradebant tamen,* constructione verborum impedita, nec sensu satis idoneo. Pro *tradebant* in Guelf. A, B, C, est *tenebant*: idque Victorius aliique cum *infantia naturali* coniungunt; sed pro *naturali* Pearcius e Mss. duobus dedit *natura-*

aures hominum flagitabant, tenebant tamen, ut et illa essent paria, quae dicerent, et aequalibus interspirationibus uterentur.

52. Exposui fere, ut potui, quae maxime ad ornatum orationis pertinere arbitrabar. Dixi enim de singulorum laude verborum, dixi de coniunctione eorum, dixi de numero atque forma. Sed si habitum orationis etiam, et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres; et tenuis, non sine nervis ac viribus; et ea, quae particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris insidere quidam venustatis, non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. Tum denique nobis hic orator ita conformandus est et verbis et sententiis, ut, quemadmodum qui utuntur armis aut palaestra, non solum sibi vitandi aut feriendi rationem esse habendam putant, sed etiam, ut cum venustate moveantur; sic verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis utatur. Formantur autem et verba, et sententiae paene innumerabiliter, quod satis scio notum esse vobis; sed inter conformationem verborum et sententiarum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris; sententiarum

le, quod habet etiam Erl. Sic optima exit sententia: qui etsi infantes erant, tamen id, quod naturae consentaneum erat, et quod aures hominum flagitabant, tenebant.

* *Innumerabiliter*) Ita rescripsi e Guelf. A, pro vulg. *innumerabiles*, sensu postulante. Nam *formantur sententiae paene innumerabiles*, esset i. q. innumerabiles sunt sententiae, quarum sint figurae. Verum id postulabat loquentia consilium, ut diceretur, figuras verborum ac sententiarum adeo multiplices esse, ut earum modi sint paene innumerabiles.

* *Verborum tollitur*) Sua figurae verborum perit gratia, si verba mutentur. In illo Ovidii versiculo, quem citat Quintilianus:
Cur ego non dicam, Furia, te furiam? paronomasia est: aliquid aliud, v. g. *rabidam*, in fine versus substitue, evanescit figura. Contra in hac sententiae figura (praeteritio est, quam adhibet Tullius pro lege Manilia) *Itaque non sum praedicaturus, Quirites*

permanet, quibuscunque verbis uti velis. Quod quidem vos etsi facitis, tamen admonendos puto, ne quid esse aliud oratoris putetis, quod quidem sit egregium atque mirabile, nisi in singulis verbis illa tria tenere, ut translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro etiam pervetustis; in perpetua autem oratione quum et coniunctionis lenitatem, et numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus; tum est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum.

53. Nam et commoratio una in re permultum movet,

quantas ille res domi militiaeque, terra marique quantaque felicitate gesserit: ut eius semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint: sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Hoc brevissime dicam, etc. Immuta quantumlibet voces, eadem stabit figura sententiae praeteritio. Prvst.

Etsi facitis) De *faciendo* hic non agebatur. Itaque legendum arbitror: *etsi sat scitis.*

Raro etiam) Sic Guelf. C, recte. Vulg. *raro autem etiam.*

Tum est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum) Quia paulo ante praecesserat *in perpetua oratione*, Purgoldus verba *omnis oratio* delenda putabat in observationibus ad aliquot auctores editis, quarum qui censuram egerat vir doctus in ephemeridibus literariis (*Allg. Lit. Zeitung a.* 1802, scida 210), etiam *sententiarum atque verborum* melius abesse opinabatur. Sed haec necessario servanda sunt, quia transitum faciunt ad explicationem, quae sequitur, figurarum. Neque vero non defendi potest *omnis oratio*, quia verba *in perpetua oratione quum — tenuerimus* membrum faciunt ab eo quod sequitur constructionis diversitate seiunctum.

* *Quasi luminibus distinguenda*) De figurarum usu recte hoc praecipit Fabius lib. IX, cap. 3: *Si quis parce et quum res poscet utetur velut asperso quodam condimento, iucundior erit* oratio: *at qui nimium affectaverit, ipsam illam gratiam varietatis amittet; quamquam sunt quaedam figurae ita receptae, ut paene iam hoc ipsum nomen effugerint: quae etiam si fuerint crebriores, aures consuetas minus ferient. Nam et secreta, et extra vulgarem usum positae, ideoque magis nobiles, ut novitate aurem excitant, ita copia satiant, nec se obvias fuisse dicenti, sed conquisitas, et ex omnibus lateribus extractas congestasque declarant.* Prvst.

* *Commoratio una in re*) Exempla suggerent Ciceronis Orationes prope omnes. Insignis est hic locus pro Roscio Amerino. *Quomodo occidit? ipse percussit, an aliis occidendum dedit? si ipsum arguis, Romae non fuit: si per alios fecisse dicis, quaero servosne an liberos? Quos homines? indidemne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? si*

et illustris explanatio, rerumque, quasi gerantur, sub aspectum paene subiectio: quae et in exponenda re plurimum valet, et ad illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum; ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur: et huic contraria saepe praecisio est, et plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio,

Ameria, qui sunt hi? cur non nominantur? si Romae, unde eos noverat Roscius, qui Romam multis annis non venit; neque unquam plus triduo fuit? ubi eos convenit? quicum locutus est? quomodo persuasit? pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? etc. IDEM.

Commoratio) Hanc figuram explicat Herenn. IV, 45.

Illustris explanatio) Eadem quae Herenn. IV, 42 dicitur *expolitio*.

* *Rerumque, quasi gerantur*) Figuram hanc διατύπωσιν et ὑποτύπωσιν vocant Graeci. Exemplum illustre suppeditat Tullius Verrina 7: *Patres hi, quos videtis, iacebant in limine, matresque miserae pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberûm exclusae, quae nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum, ac civium, lictor Sestius: cui ex omni gemitu doloreque certa merces comparabatur: ut adeas, tantum dabis: ut cibum tibi intro ferre liceat, tantum: nemo recusabat. Quid ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne saepius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo et cruciatu spiritus auferatur? Etiam ob hanc causam pecunia lictori dabatur.* PRYST.

Sub aspectum paene subiectio) Demonstrationem appellat A. ad Herenn. IV, 55. Quintil. IX, 2, 40 « Illa vero, ut ait Cicero, *sub oculos subiectio* tum fieri solet, quum res non gesta indicantur, sed ut ait gesta ostenditur, nec universa, sed per partes, quem locum proximo libro subiecimus *evidentiae*, et Celsus hoc nomen isti figurae dedit. Ab aliis ὑποτύπωσις dicitur proposita quaedam forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videatur, quam audiri ».

Praecisio) Sic edidi pro vulg. *percursio*. Nam Quintilianus, qui totum h. l. exscripsit Inst. Or. IX, 1, 27 legit *praecisio*; idemque IX, 2, 58 eandem innuit, quum dicit, esse aliam non quidem reticentiam, quae sit imperfecti sermonis, sed tamen *praecisam*, velut ante legitimum finem, orationem; et vestigia huius lectionis sunt in lectione Guelf. A, B, C, *percussio*, ex qua deinde ab aliis factum est *percursio*. Denique *praecisio* iam est in quibusdam edd. vett. in Paris. Lips. Ernesti lectionem *percursio* defendit, quia opponatur *commorationi*. At opponitur potius *explanationi*: ac si illud esset, recte tamen *commorationi* in aliqua re etiam *praecisio* posset opponi.

Et plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio) Quintil. IX, 1, 27 legit: *et ad plus intelligendum q. d. s.* Alibi IX, 2, 3 simpliciter *plus quam dixeris significationem* appellat, ut hic quoque *ad intelligendum* e glos-

et destricte concisa brevitas, et extenuatio, et huic adiuncta illusio, a praeceptis Caesaris non abhorrens: et ab re degressio; in qua quum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus et concinnus esse debebit; propositioque, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, seiunctio, et reditus ad propositum, et iteratio, et rationis apta conclusio; tum augendi minuendive causa,

semate accessisse suspicari possis. Herenn. IV, 53: « *Significatio* est, quae plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione ».

Et destricte conciso brevitas) Vulg. *et distincte conciso brevitas*. Sed cod. Iens. apud Quintil. IX, 1, 28, *districte*, in quo verae lectionis *destricte* vestigium latet. Haec figura Herenn. IV, 19 his verbis describitur: « Membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione — hoc modo: *Et inimico proderas, et amicum laedebas* ». — Ac fortasse locus sit suspicandi, Ciceronem scripsisse *destricta incisis brevitas*, sicut Orat. cap. 67 forma per incisa loquendi cum pugiunculis comparatur.

* *Conciso brevitas*) Brachyephiam vocat Rutilius, cuius hoc exemplum affert ex Lysia: *Sed nos aequum est voluntatem dispicere. Nam consilio valuit, fortuna lapsus est: homo fuit, fatetur, concedendum non omnio posse, hoc enim deorum est proprium.* Pavst.

Extenuatio) Quae Herenn. IV, 38 dicitur *deminutio*.

Et huic adiuncta illusio) Est quae dicitur *ironia* Quintil. VIII, 6, 54. Eam *extenuationi adiunctam* vocat, quia, ut in ironia contrarium eius intelligitur, quod dicimus, sic in extenuatione minus dicimus, quam intelligi volumus.

Ab re degressio) Vulg. *et ab re longo digressio*. Sed *longa* abest Quintil. IX, 1, 28 et Guelf. A. Contra B, C habet *non longo*. Nempe quoniam glossator aliquis *longa* addiderat, respiciens ad breviorem degressionem infra memoratam, inde melius fecit *non longa*. *Degressio* verior scriptura est. Aliud est *digressio*.

Propositio — seiunctio) Est eadem, quae Herenn. IV, 26 uno verbo appellatur *transitio*.

Et reditus ad propositum) Haec temere ex antecedentibus repetita sunt, et expungenda. Sic Orat. cap. 39 postquam dixit: *ut declinet a proposito deflectatque sententiam*, semel tantum sequitur *ut se ipse revocet*.

Et iteratio) Sic Orat. l. l. *ut, quae dixit, iteret*.

* *Iteratio*) Qualis est haec in oratione pro Quintio: *Ostendam primum, causam non fuisse, cur a praetore postulares, ut bona P. Quintii possideres: deinde ex edicto te possidere non potuisse: postremo non possedisse. Quaeso, C. Aquili, vosque, qui estis in consilio, ut quid pollicitus sim, diligenter memoria mandetis . . . Nego fuisse causam, cur postularet: nego ex edicto possidere potuisse: nego possedisse.* Pavst.

Et rationis apta conclusio) Guelf. B, C *et orationis a. c.* male. Nam Orat. c. 40 dicitur: *ut argumentum ratione concludat*. Herenn. IV 30 simpliciter appellatur *conclusio*.

veritatis superlatio atque traiectio; et rogatio, atque huic finitima quasi percontatio, expositioque sententiae suae; tum illa, quae maxime quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis, ac significantis, dissimulatio; quae

Veritatis superlatio atque traiectio) Nempe ὑπερβολή, cuius vocabuli etymon imitatus est Cicero vertendo *traiectio*. Herenn. IV, 33 est *superlatio*: idemque Cic. Orat. c. 40 appellat *supra ferre quam fieri possit*.

* *Rogatio*) Est figura, qua interrogando adversarium urgemus non expectantes quid ille respondeat. Sic Orat. 40, *ut interrogando urgeat*. De ea fuse agitur Quintil. IX, 2, 6, seqq.

* *Rogatio*) Rogatio aliquid detegendi caussa adhibetur. Pro Roscio Comoedo: *Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo praesente? quis spopondisse me dicit? nemo.* Percontatio fit etiam de iis quae notissima sunt. Pro Lege Manilia: *Quid enim tam novum, quam adolescentulum privatum exercitum difficili reip. tempore conficere? confecit: huic praeesse? praefuit: rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam praeter consuetudinem*, etc. PRUST.

Atque huic finitima quasi percontatio, expositioque sententiae suae) Recte haec coniungenda esse vidit Pearcius, estque idem schema, quod Cicero Orat. 40 ita describit, *ut ad interrogata sibi ipse respondeat*. De eod. Quintil. IX, 2, 15: « Cui diversum est, quum alium rogaveris, non expectare responsum et statim subiicere. *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas.* Quod schema quidam *per subiectionem* vocant ». Cf. ad Herenn. IV, 23.

* *Dissimulatio*) Est illud genus ironiae, quod Cicero tractavit Caesaris ore lib. II, cap. 67, quod quomodo, ut schema, ab ironiae tropo differat, luculenter exposuit Quintil. IX, 2, 44.

* *Dissimulatio*) Sive ironia, qua aliud dicitur, aliud omnino oppositum intelligitur. Tullius in Pisoniana ironia mirabili Pisonem exagitat, qui negaverit se triumphi cupidum esse, *Non est integrum Cn. Pompeio consilio iam uti tuo: erravit enim: non gustarat istam tuam philosophiam: ter iam homo stultus triumphavit. Crasse, pudet me tui. Quid est quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a Senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non audistis tam doctum hominem, tam eruditum, priusquam in istum errorem induceremini... O stultos Camillos, Curios... Sed quoniam praeterita mutare non possumus: quid cessat hic homulus ex argilla et luto fictus Epicureus, dare haec praeclara praecepta sapientiae clarissimo et summo imperatori genero suo? fertur ille vir, mihi crede, gloria... meditare quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas atque restinguas... dices enim, ut es homo facetus, ad persuadendum concinnus, perfectus, politus e schola: Quid est, Caesar, quod te supplicationes toties decretae, tot dierum, tantopere delectent?... Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum? duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis et tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede,*

est periucunda, quum in oratione non contentione, sed sermone tractatur; deinde dubitatio, tum distributio, tum correctio, vel ante, vel postquam dixeris, vel quum aliquid a te ipse reiicias; praemunitio est etiam

delectamenta paene puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle etc. *Hac tu oratione non dubito quin illum iam ascendentem in currum possis revocare. O tenebrae! o lutum! o sordes!* etc. Vide et Verrinam ultimam, et Misopogonem Iuliani, qui perpetua ironia contextus est. PRVST.

* *Quae est periucunda, quum in oratione non contentione, sed sermone tractatur*) Haec omissa Guelf. A servavit autem Quintilian. IX, 2, 29, eademque respexit IX, 2, 96. Quare Ernestius minime ea debebat uncis includere, quasi spuria essent. Sensus autem planus est: hanc dissimulationem in oratione magis iis locis aptam esse, qui sint sermoni propiores, quam vehementibus et contentiosis.

Dubitatio) Quintil. IX, 2, 19; ad Herenn. IV, 29.

Dubitatio) De qua lib. IV ad Herenn. Est praeterea egregium exemplum lib. 5 in Verrem. Occurrebat illa ratio: *Quid Cleomene fiet? poterone animadvertere in eos, quos dicto audientes esse iussi? missum facere eum, cui imperium potestatemque permisi?... Pereat Cleomenes una. Vbi fides? ubi exsecrationes? ubi dextera complexusque? ... fieri nullo modo poterat quin Cleomeni parceretur.* PRVST.

Distributio) Haec est *divisio rei in partes* Orat. 40.

Correctio) Alia est correctio inter figuras verborum Herenn. IV, 26. Vtriusque mentionem facit Quintil. IX, 3, 88. Quod autem hic IX, 2, 17 inter genera προλήψεως refert *emendationem*, id vereor ne librariorum vitio debeatur. Exemplum enim, quod affert: *Rogo ignoscatis mihi, si longius sum evectus*, nihil habet cum *emendatione* commune. Itaque ibi pro *emendatio*, vel *excusatio* legendum, vel *deprecatio*.

* *Correctio*) Est haec aculeata in sororem Clodii pro Caelio: *Quod quidem facerem vehementius, nisi inimicitiae intercederent cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere: semper hic erro.* PRVST.

A te ipse) Recte sic Ernesti. Vulg. *a te ipso*, quod est etiam apud Quintil. IX, 1, 30. Ceterum hoc *a te ipse reiicias*, notat figuram, quae Orat. 40 his verbis designatur: *ut aliquid relinquat ac negligat*; in quo utique species est correctionis, ut in illo Virgiliano: *Quos ego..., sed praestat motos componere fluctus.*

Praemunitio) Quintil. IX, 2, 17: « Est enim quaedam *praemunitio*, qualis Ciceronis contra Q. Caecilium, quod ad accusandum descendat, qui semper defenderit »

* *Praemunitio*) Qualis est haec Tullii Philippica VII: *Ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus, qui quantuscunque sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace civili certe non fuissem (periculose dico; quemadmodum accepturi P. C. sitis, horreo; sed pro mea perpetua cupiditate vestrae dignitati retinendae et augendae quaeso oroque vos P. C. ut primo, si erit vel acerbum auditu, vel incredibile a M. Cicerone esse dictum, occupatis sine offensione quod dixero: neve id prius quam quale sit explicavero repudietis): Ego ille, dicam saepius,*

ad id, quod aggrediare, et traiectio in alium; communicatio, quae est quasi cum iis ipsis, apud quos dicas, deliberatio; morum ac vitae imitatio vel in personis, vel sine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, et aptum ad animos conciliandos vel maxime, saepe autem etiam ad commovendos; personarum ficta inductio, vel gravissimum lumen augendi; descriptio,

pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum M. Antonio esse nolo. Magna spe ingredior in reliquam orationem, P. C. quoniam periculosissimum locum silentio sum praetervectus. Idem.

Traiectio in alium) Sic multi codd. Mss. apud Pearcium, item Guelf. A, B, C quod, ut ille vidit, praeferendum est lectioni *reiectio*, etsi ea quoque Quintiliani textum occupavit IX, 1, 33, qui tamen *traiectio* legisse videtur, quoniam deinde IX, 2, 4 ubi de Ciceronianis figuris agit, his verbis eadem re utitur *removere a se, in alium traiicere*.

* *Communicatio*) Qua adversarios, vel iudices consulimus: valet ad urgendum adversarium, et confessionem ab eo exprimendam. Exemplum habes pro Quintio: *Si mehercule haec tecum duo verba fecisses, Quid ago? respirasset cupiditas atque avaritia paullum ... Ego pro te nunc hoc consulo post tempus in aliena re, quod tu in tua re, quum tempus erat, consulere oblitus es. Quaero abs te, C. Aquili .... vadimonium mihi non obiit quidam socius et affinis meus .... postulo-ne a praetore, ut eius bona mihi possidere liceat ... profecto si recte vestram bonitatem atque prudentiam cognovi, non multum me fallit, si consulamini. quid sitis responsuri: primum expectare: deinde si latitare ac diutius ludificare videatur, amicos convenire: quaerere quis procurator sit: domum denunciare: dici vix potest, quam multa sint, quae respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam necessariam devenire.* Vid. Quintil. IX, 2, 20. Prust.

Morum ac vitae imitatio.) Hanc A. ad Herenn. IV, 50 *notationem* vocat. Ac nisi me omnia fallunt, Cicero hoc quoque loco scripsit *morum ac vitae notatio*, sicut Orat. 40 eandem figuram his verbis designat: *ut hominum mores sermonesque describat.*

* *Vel in personis, vel sine illis*) h. e. ut vel personas ipsas, quarum mores notentur, loquentes inducat orator, vel describat tantum, non etiam loquentes faciat.

* *Personarum ficta inductio*) Nimirum quae Graece vocatur προσωποποιΐα, qua orator a Cicerone Orat. 40 dicitur *muta quaedam loquentia inducere*. Hanc A. ad Herenn. IV, 53 *conformationem* appellat.

Descriptio) Haec figura Orat. 40 omittitur. Quae sit, exponit A. ad Herenn. IV, 3, et, ut solet, exemplis illustrat.

* *Descriptio*) Cuiusmodi est haec Pisonis apud Ciceronem in Sextiana. *Alter, o dii boni! quam teter incedebat! quam truculentus! quam terribili aspectu! unum aliquem tu ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reip. diceres intueri; vestitus asper nostra hac purpura plebeia ac paene fusca:*

erroris inductio, ad hilaritatem impulsio, ante occupatio; tum duo illa, quae maxime movent, similitudo et exemplum, digestio, interpellatio, interpellantis coërcitio, contentio, reticentia, comminatio, vox quaedam libera, atque etiam effrenatior, augendi causa; iracun-

capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imaginis formandae causa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. Nam quid ego de supercilio dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed pignus reip. videbatur: tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo supercilio resp., tanquam Atlante caelum, niti videretur. PRVST.

* *Erroris inductio*) Qua aliquid inopinatum ac praeter exspectationem dicitur: ut in Heautontimorumeno Terentii actu 5, scena 1...... *In me quidvis harum rerum convenit, Quae sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus: In illum nil potest: nam exsuperat eius stultitia omnia haec.* — *Erroris inductio*, est id, quod Or. 40 oratori his verbis commendatur: *ut ab eo, quod agitur, avertat animos.* Ideoque eam *aversionem* vocat Quintil. IX, 2, 39. Graece est ἀποπλάνησις, ut recte monuit Io. Theoph. Ernesti lex. rhet. Lat. h. v.

Ad hilaritatem impulsio) Vt Or. 40, *ut saepe in hilaritatem risumve convertat.*

Ante occupatio) Orat. 40, *ut ante occupet, quod videat opponi.*

Similitudo et exemplum) Herenn. IV, 45, 49.

* *Similitudo*) Sic apud Ciceronem lib. II de Nat. Deor. *Vt profluens amnis aut vix, aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur; sic orationis flumine reprehensoris vitia diluuntur, angustia autem conclusae orationis non facile se ipsa tutatur.* PRVST.

* *Exemplum*) Cicero I in Catilinam: *An vero vir amplissimus P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum reip. privatus interfecit: Catilinam vero orbem terrae cede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?* IDEM.

* *Digestio*) Haec est illa figura, qua, ut ait Orat. 40, is, qui dicit, *aliud alii tribuens dispertit*, eaque apud A. ad Herenn. IV, 35 vocatur *distributio.*

Interpellantis coërcitio) Haec verba inserui ex Quintil. IX, 2, 2, etsi ea cap. 1 ubi locum nostrum integrum descripsit, nunc apud eum non leguntur. Sic Orat. 40, *ut interpellatorem coërceat.*

Contentio) Herenn. IV, 45.

Reticentia) Eadem figura, quam A. ad Her. IV, 27 *occultationem* vocat. Quintilianus ἀποσιώπησιν intelligit IX, 2, 34.

Comminatio) Vulg. *commendatio*; etiam apud Quintil. IX, 2, 32. Sed ex Orat. c. 40 ubi in huius figurae loco praecipitur oratori, *ut denuntiet, quid caveant*, plane intelligitur, hic legendum esse *comminatio.* Hanc figuram Quintil. IX, 2, 103 appellat *minas* i. e. κατάπληξιν.

Vox quaedam libera, atque etiam effrenatior) Sic Guelf. B, C, recte; item Quintil. IX, 1, 32. Vulgo *atque etiam effrenatio.* Ac fortasse *effrem-*

dia, obiurgatio, promissio, deprecatio, obsecratio, declinatio brevis a proposito, non ut superior illa degressio; purgatio, conciliatio, laesio, optatio, atque exsecratio. His fere luminibus illustrant orationem sententiae.

54. Verborum autem ipsorum, tanquam armorum,

tior cum *iracundia* copulandum, ut sit *vox iracundia effrenatior*, quod ex loco simili Orat. 40 colligitur, ubi pro eadem figura dicitur: *ut liberius quid audeat, ut irascatur etiam.*

* *Obiurgatio*) Qua egregie adversus seditiosos utitur Germanicus apud Tacitum lib. I Annalium: *Quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis? Quod nomen huic caetui dabo? Militesne appellem, qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis? an cives? quibus tam proiecta senatus auctoritas? Hostium quoque ius, et sacra legationis, et fas gentium rupistis*, etc. PAVST.

Deprecatio) Sophonisba uxor Siphacis victorem Massinissam sic urget precibus apud Livium lib. XXX: *Si captivae apud dominum vitae necisque suae vocem supplicem mittere licet, si genua, si victricem attingere dexteram, precor quaesoque per maiestatem regiam, in qua paulo ante nos quoque fuimus, perque gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiae deos, qui te melioribus ominibus accipiant, quam Syphacem hinc miserunt: hanc veniam supplici des, ut ipse quodcumque feret animus, de captiva statuas, neque me in cuiusquam Romani superbum ac crudele arbitrium venire sinas. Si nulla alia re potes, me morte ut vindices ab Romanorum arbitrio, oro obtestorque.* IDEM.

Declinatio brevis a proposito) Hanc tractat Quintil. IX, 2, 56 ad h. l. respiciens.

* *Purgatio*) Legati C. Manlii perduellionis crimen a se amoliuntur apud Sallustium in Bello Catilinario: *Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus: sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate foeneratorum, plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus*, etc. PAVST.

* *Conciliatio*) *Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac paene divinam, tacitus praeterire nullo modo possum.* Pro Marcello. IDEM.

* *Optatio*) Virgilius Ecloga VIII: ... *En erit unquam — ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta? En erit ut liceat totum mihi ferre per orbem Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?* IDEM.

* *Execratio*) Dido Aen. lib. IV sic furit in Troianos: *Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui face Dardanios ferroque sequare colonos. Nunc olim quocumque dabunt se tempore vires, Littora littoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes.* IDEM.

est vel ad usum communitio et quasi petitio, vel ad venustatem apta tractatio. Nam et geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias; et paulum immutatum verbum atque deflexum; et eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio; et in eadem verba impetus; et concursio, et adiunctio,

Vel ad usum communitio) Vulg. *comminatio*, sed hoc fere idem esset atque id quod sequitur *petitio*: itaque ut arma partim ad muniendum corpus, partim ad feriendum adversarium gerimus, aut ut simili loco c. 52 dicit, *vitandi feriendique causa*, sic h. l. *communitio* opponitur *petitioni*.

Ad venustatem apta tractatio) Recepi Ernesti emendationem, sensu postulante. Vulg. *ad venustatem ipsa tractatio*.

Geminatio) Est quae graece dicitur ἀναδίπλωσις. Iul. Rufinian. de schem. lex. cap. 7.

* *Geminatio verborum*) Modo vim habet, ut in prima Catilinaria: *O tempora! o mores! senatus hoc intelligit, consul videt: hic tamen vivit: vivit? immo vero in senatum venit.* Modo leporem ut in hac Virgilii Ecloga VI: *Addit se sociam, timidisque supervenit Aegle, Aegle Naiadum pulcherrima.* Prust.

Et paulum immutatum verbum atque deflexum) Est *annominatio*, quam exponit A. ad Her. IV, 21.

A primo repetitio) Quam ἀναφορὰν vel ἐπαναφορὰν dicunt Graeci, Aquila Rom. de figg. c. 34, *repetitionem* item Herenn. IV, 13.

* *A primo repetitio*) Anaphora dicitur haec figura. *Legum ministri magistratus, legum interpretes iudices, legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Pro Cluent.; et Virgilius Ecloga IV: *Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet, — Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.* Prust.

Tum in extremum conversio) Exempla dat Herenn. IV, 13. Antistrophen vocat Aquila Rom. ib. c. 35, Epiphoram Rutil. Lup. I, 8.

* *In extremum conversio*) Est epiphora, seu repetitio in clausulis. Cic. 2 Philip. *Doletis tres exercitus pop. Rom. interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius.* Et Virgilius Ecloga X: *Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra. Iuniperi gravis umbra: nocent et frugibus umbrae.* Prust.

* *Et in eadem verba impetus et concursio*) His verbis designatur *complexio* (s. συμπλοκή Aquilae Rom. ib. c. 36, κοινότης Rutilio Lupo I, 9). Herenn. IV, 14, qua figura et repetitur idem primum verbum saepius, et crebro ad idem postremum revertimur.

Et adiunctio, et progressio) Quaenam hae figurae sint, ex Orat. 39 intelligitur, ubi eae sic describuntur: *aut adiungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur.* Priore figura duo adiuncta, vel in contrapositis, vel in comparativis repetuntur. Exemplum suppeditat Quintil. IX, 3, 32. Altera est, quam Iul. Rufin. de schem. lex. παλιλλογίαν, latine *egressionem* vocat, quum verbum,

et progressio; et eiusdem verbi crebrius positi quaedam distinctio, et revocatio verbi; et illa, quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter, aut quae paribus paria referuntur, aut quae sunt inter se similia. Est etiam gradatio quaedam, et conversio, et verborum concinna transgressio, et contrarium, et dissolutum, et declinatio, et reprehensio, et exclamatio, et imminutio, et quod in multis casibus ponitur, et quod de

quod in prima sententia est ultimum, in sequente primum fit.

Et eiusdem verbi crebrius positi quaedam distinctio) Hoc est (Orat. 40) *quum continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur;* Herennianus *traductionem* vocat, *e. c. amari iucundum est, si cavetur, ne quid insit amari.*

* *Eiusdem verbi*, etc.) Cicero in Pisonem: *Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas consulis.* Pâ€‹RVST.

* *Revocatio verbi* — Eadem quae *conduplicatio* vocatur Herenn. IV, 28.

* *Quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter*) Explicat A. ad Herenn. IV, 20; ὁμοιοτέλευταν et ὁμοιόπτωτον Aquilae Romano 25, 26.

* *Aut quae paria paribus referuntur*) Nempe ἰσόκωλα Aquilae Romano 27.

* *Inter se sunt similia*) Ea quae dicuntur πάρισα Aquilae Rom. 24.

* *Gradatio*) Herenn. IV, 25.

* *Conversio*) Hanc *commutationem* appellat Herenn. IV, 28.

* *Conversio*) Sive ἐπάνοδος, quum per eadem verba recurrimus. Cic. pro Cluentio: *Sine invidia culpa plectatur, et sine culpa invidia ponatur.* Tale est illud Biantis, auctore Aristotele II Rhetor. Δεῖ φιλεῖν ὡς μισήσοντας, καὶ μισεῖν ὡς φιλήσοντας: *Ita ames, ut aliquando fortasse osurus: ita oderis, ut amaturus.* PRVST.

* *Verborum concinna transgressio*) Explicat Quintil. IX, 3, 91: *Verborum autem concinna transgressio, id est hyperbaton, quod Caecilius quoque putat schema, a nobis est tropis interposita.* (Sic enim ibi legendum. Vulgo abest *tropis*). Agit autem de hyperbato Quintil. lib. VIII extr.

* *Contrarium*) Est quod tractat Herenn. IV, 18.

* *Dissolutum*) Est ἀσύνδετον, quum demtis coniunctionibus dissolute plura dicuntur, ut ait Cic. Orat. c. 39. *Dissolutionem* appellat Quintil. Inst. Or. IX 3, 50. Iul. Rufinian. de schem. lex. 18.

* *Declinatio*) Figuram Orat. c. 39. non habet, sed eius loco *praeteritionem* affert his verbis: *quum aliquid, praetereuntes, cur id faciamus, ostendimus.* Est autem declinatio figura, qua idem verbum declinatum reperitur, graece ἀντιμεταβολή. Quintil. IX, 3, 85.

Reprehensio) Intelligitur sui ipsius reprehensio. Or. 39: *aut quum corrigimus nosmetipsi quasi reprehendentes.*

* *Imminutio*) Quam auctor ad Her. IV, 38, *deminutionem* vocat. De toto hoc loco, qui sequitur, bene indicat Quintilianus Inst. Or. IX, 3, 90, seqq. « Nam in primis M. Tullius multas (figuras) in tertio de Oratore

singulis rebus propositis ductum refertur ad singula, et ad propositum subiecta ratio, et item in distributis

libro posnit, quas in Oratore postea scripto, transeundo videtur ipse damnasse; qnarum pars est, quae sententiarum potius, quam verborum sit, ut *imminutio*, *improvisum*, *imago*, *sibi ipsi responsio*, *degressio*, *permissio*, *contrarium*, (hoc enim puto, quod dicitur ἐναντιότης) *sumta ex adverso probatio*. Quaedam omnino non sunt figurae, sicut *ordo*, *dinumeratio*, *circumscriptio*, sive hoc nomine significetur comprehensa breviter sententia, sive finitio. Nam et hoc Cornificius atque Rutilius schema λέξεως putant..... Et *mutatio*, et si ea est, quam Rutilius ἀλλοίωσιν vocat, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorum; quae si laxius fiat, figura non est; si angustius, in ἀντίθετον cadet; si vero haec appellatio significat ὑπαλλαγήν, satis de ea dictum est. Quod vero schema est, *ad propositum subiecta ratio*? Vtrum quod Rutilins αἰτιολογίαν vocat? Nam de illo dubitari possit, an schema sit distributis subiecta ratio, quod apud eundem primo loco positum est. Προςαπόδοσις dicitur, quae ut maxime servetur, sane est in pluribus propositis; quia aut singulis statim ratio subiicitur; ut est apud C. Antonium: *sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens; neque competitorem vereor, qui sum Antonius; neque consulem spero, qui est Cicero*; aut positis duobus vel tribus, eodem ordine singulis continua redditur: quale apud Brutum de dictatora Cn. Pompeii: *Praestat enim nemini imperare, quam alicui servire; sine illo enim vivere honeste licet, cum hoc vivendi nulla conditio est*. Sed et uni rei multiplex ratio subiungitur, ut apud Virgilium (affert locum Georg. I, 86 seqq.). *Relationem* quid accipi velit, non liquet mihi. Nam si ἀπαλλαγήν, aut ἐπάνοδον, aut ἀντιμεταβολήν dicit, de omnibus loquuti sumus. Sed quidquid id est, neque hoc, neque superiora in Oratore repetit. Sola est in eo libro posita pariter inter figuras verborum *exclamatio*, quam sententiae potius puto; affectus enim est ».

Et quod in multis casibus ponitur) Est πολύπτωτον Aquila Rom. c. 37.

Et quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula) Hae et quae sequuntur usque ad verba *degressio* et *circumscriptio* fere omnes figurae potius sententiarum, quam verborum sunt, ut, si gennina sint, Ciceronem aliud egisse et propositi prorsus oblitum fuisse necesse sit. In Oratore c. 39 nullum eiusmodi erroris aut negligentiae vestigium; ibi enim ultima figura verborum memoratur haec: *aut quum eiusdem nominis casus saepius commutatur*, cui h. l. respondent illa: *et quod in multis casibus ponitur*. Attamen haec omnia: *et quod de singulis — degressio et circumscriptio*, in codice suo legit Quintilianus Inst. Or. IX, 1, 34 — 36, ut, si ea forte ab interpolatore adiecta suspiceris, vetustissimum sane dicendum esset interpolationis exemplum.

* *Ad propositum* etc.) Aetiologia est, quod *schema*, inquit Rutilius, *efficitur ratione brevi et sententia, ita ut quod dubium est visum, ad certam fidem adduci videatur*. Cicero Divinat. in Verrem: *Intelligo quam difficili scopulosoque verser loco. Nam cum omnis arrogantia sit molesta, tum*

supposita ratio, et permissio, et rursum alia dubitatio, et improvisum quiddam, et dinumeratio, et alia correctio, et dissipatio, et quod continuatum, et interru-

illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. PRUST.

* *In distributis* etc.) Prosapodosis est, ut ait Rutilius Lupus, qua sententiis duabus, aut pluribus propositis, sua cuique ratio subiungitur. Rem illustrat hoc Demosthenis exemplo. Non enim pari ratione Philippus, atque nos, diversis rebus medetur: sed ille usque eo nititur quoad superet: nos contra statim vinci meditamur. Ille enim pro laude sicut pro patria praeliatur: nobis autem si nihil accedit mali, satis ac nimium boni videtur. ID.

Permissio) Exemplum affert Quintil. IX, 2, 25.

Et rursum alia dubitatio) Quintil. Inst. Or. IX, 3, 88: *Quaedam verborum figurae paulum figuris sententiarum declinantur, ut* dubitatio. *Nam quum est in re, priori parti assignanda est, quum in verbo, sequenti:* sive me malitiam, sive stultitiam dicere oportet.

Et improvisum quiddam) Nimia ambigue et infinite dictum, ut nescias, illudne, quod ridiculum παρὰ προσδοκίαν vocatur, an aliud quid in ipsa elocutione improvisum intelligi voluerit scriptor. Optimum fuerit de eodem schemate accipere, quod sic describit Quintilian. IX, 2, 22: *Sed nonnunquam communicantes, aliquid inexspectatum subiungimus, quod et per se schema est, ut in Verrem Cicero:* Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse aut praedam aliquam? *Deinde quum diu suspendisset iudicum animos, subiecit, quod multo esset improbius. Hanc Celsus sustentationem vocat. — — — Sed quia non tantum per communicationem fieri solet,* παράδοξον *alii nominaverunt, id est inopinatum.* Sub hoc nomine etiam tractatur a Iul. Rufiniano c. 32.

Dinumeratio) Quintilian. IX, 3, 91 postquam dixerat, M. Tullium multas in tertio de Oratore libro figuras posuisse, quas in Oratore postea scripto transeundo videatur ipse damnasse; paucis interiectis, ut supra vidimus, haec addit: *Quaedam omnino non sunt figurae, sicut* ordo, dinumeratio, circumscriptio, *sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio. Nam et haec Cornificius atque Rutilius schemata* λέξεως *putant.* Inde Ruhnkenius ad Rutil. Lup. I, 18 colligebat, *merismon* forsan esse figuram, quam Quintilian. ex Rutilio *dinumerationis* nomine laudet. Atqui non ex Rutilio, sed ex Cicerone laudavit, et verba: *Nam et haec Cornificius atque Rutilius schemata* λέξεως *putant*, referenda sunt unice ad ea, quae proxime praecedunt: *sive com[illegible] brevi-ter sententia, sive finitio*; haec enim occurrunt apud Rutilium sub nominibus βραχυλογία II, 8, et ὁρισμός II, 5.

Et alia correctio) MS. Erl. Guelf. A, *correptia* e latinitate ecclesiastica, si Ernestio credimus. Iul. Rufinian. de schem. lex. c. 15: *Epanorthosis est, quum supra dictum verbum verbo sequenti corrigitur, ut:* non surripere, hoc est furari. *Latine dicitur* correctio.

Et dissipatio) Optime sic multorum MSS. auctoritate edidit Pearcius pro corrupto *disputatio*. Et sic Quintilian. IX, 1, 35, qui hanc figuram

plum, et imago, et sibi ipsi responsio, et immutatio, et disiunctio, et ordo, et relatio, et degressio, et circumscriptio. Haec enim sunt fere, atque horum similia vel plura etiam esse possunt, quae sententiis orationem, verborumque conformationibus illuminent.

55. Quae quidem te, Crasse, video, inquit Cotta, quod nota esse nobis putes, sine definitionibus, et sine exemplis effudisse. Ego vero, inquit Crassus, ne illa quidem, quae supra dixi, nova vobis esse arbitrabar, sed voluntati vestrum omnium parui. His autem de

IX, 3, 39, exponit: *Vt haec in unum congeruntur* (*per μεταβολὴν*), *ita contra illa dispersa sunt, quae a Cicerone dissipata dici puto*: Hic segetes, illic veniunt felicius uvae, arborei foetus alibi *et deinceps*; (e Virgil. Georg. I, 54).

Continuatum) Herenn. IV, 19, *continuationem* appellavit.

* *Et quod interruptum*) Guelf. A omittit *quod*. Quum *continuato* opponatur, nihil aliud significare potest, quam formam dicendi per incisa: etsi Strebaeus ad ἀποσιώπησιν, Caperonerius autem ad παρένθεσιν retulit.

* *Imago*) Iulio Rufiniano dicitur *icon* c. 24. Herenn. IV, 49 imaginem explicat per formae cum forma cum quadam similitudine collationem.

* *Et sibi ipsi responsio*) Nempe brevior quam illa in figuris sententiarum commemorata.

* *Immutatio*) Quintil. IX, 3, 92, h. l. respiciens: « Et *mutatio*, inquit, et si ea est, quam Rutilius ἀλλοίωσιν vocat, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorum; quae si latius fiat, figura non est, si angustius, in ἀντίθετον cadit; si vero haec appellatio significat hypallagen, satis de ea dictum est ».

Disiunctio) Explicat A. ad Herenn. IV, 27.

* *Ordo*) Videtur expressisse Graecum τάξις, quam Rutilius Lupus II, 20 fieri dicit, quum unaquaeque res novissimorum verborum sententia clare distinguitur; quae figura cur τάξεως nomine insigniatur, haud sane apparet.

* *Relatio*) Quintilian. IX, 3, 97: Relationem *quid accipi velit, non liquet mihi. Nam si ὑπαλλαγὴν, aut ἐπάνοδον, aut ἀντιμεταβολὴν dixit, de omnibus loquuti sumus*» *Epanaphora* esse non potest, etsi eam Aquila Rom. c. 34 *relatum* vocat. Nam haec figura iam supra nominata erat. Ceterum pro *relatio* Guelf. A habet *latio*. B et C *translatio*.

* *Degressio*) Quum inter figuras sententiarum iam degressio bis, longior nimirum et brevior memorata sit, difficile est dicere, quaenam haec sit degressio inter figuras verborum, nisi cum Strebaeo ἀποστροφὴν quandam intelligere velis.

* *Circumscriptio*) Sine dubio est eadem, quae A. ad Her. IV, 32 *circuitio* nominatur, nempe oratio rem simplicem assumta *circumscribens* elocutione.

rebus sol me ille admonuit, ut brevior essem, qui ipse iam praecipitans, me quoque haec praecipitem paene devolvere coëgit. Sed tamen huius generis demonstratio est et doctrina ipsa vulgaris; usus autem gravissimus, et in hoc toto dicendi studio difficillimus. Quamobrem, quoniam de ornatu omni orationis sunt omnes, si non patefacti, at certe commonstrati loci: nunc, quid aptum sit, hoc est, quid maxime deceat in oratione, videamus. Quamquam id quidem perspicuum est, non omni causae, nec auditori, neque personae, neque tempori congruere orationis unum genus. Nam et causae capitis alium quendam sonum requirunt, alium rerum privatarum atque parvarum; et aliud dicendi genus deliberationes; aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud obiurgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an iudices; frequentes, an pauci, an singuli; et quales ipsi quoque oratores, qua sint aetate, honore, auctoritate, debet videri; tempus pacis an belli, festinationis an otii. Itaque hoc loco nihil sane est, quod praecipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris, et tenuioris, et item illius mediocris, ad id, quod agimus, accommodatam deligamus. Orna-

Devolvere) Vulgo *evolvere*. Sed metaphora postulat *devolvere*.

Sunt omnes, si non patefacti) Sic Pearcius e MSS. Ioan et Harl. edidit. Ernesti idem in Erl. inventum recepit. Vulgo: *si non sunt omnes patefacti*. Et sic Guelf. B, C.

* *Neque personae*) Nempe ipsius oratoris personae.

Alium quendam sonum requirunt) Vulg. *verborum sonum*. Delevi autem *verborum*, quod e glossa irrepsit. Similiter Quintilian. XI, 1, 43 de eadem re agens: *nec eodem sono*, inquit, *publica iudicia et arbitrorum disceptationes aguntur*.

Et quales ipsi quoque oratores, qua sint aetate, honore, auctoritate, debet videri) Forsan interpolatoris explicationi tribuenda verba *debet videri*. Melius enim a verbis *refert etiam* ista quoque penderent: *ipsique oratores, qua sint aetate, honore, auctoritate; tempus pacis an belli; festinationis an otii*. Cockmannus in codd. suis *ipsique* pro *ipsi quoque* invenit. Georg. Trapezuntius p. 494, ista sic exhibet: *auctoritate. Debet etiam*

mentis iisdem uti fere licebit, contentius alias, alias summissius: omnique in re posse, quod deceat, facere, artis et naturae est; scire, quid, quandoque deceat, prudentiae.

56. Sed haec ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur. *Actio*, inquam, in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest; mediocris, hac instructus, summos saepe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum; huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Aeschine dictum videri solet, qui, quum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis, et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat; qua perlecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita; quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum! Ex quo satis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eandem aliam esse putaret, actore mutato. Quid fuit in Graccho, quem tu melius, Catule, meministi, quod me puero tantopere

hoc videri, quae transpositio auget glossematis suspicionem.

Contentius alias, alias summissius) Hunc verborum ordinem, suadente Heusingero, praetulimus, cui favet lectio Guelf. A: *contemptius alias, summissius*. Vulgo *alias contentius, alias summissius*.

Quid, quandoque deceat) Gu. B, C, *quid, quandoque id deceat*.

Sed haec ipsa) Abest *ipsa* Gu. A.

In numero nullo) Guelf. A, B, *in numero nullo modo*.

Aliam esse) Guelf. A, *aliam fore*. Et in compluribus MSS. a Cockmanno et Pearcio collatis est *fore putarit*. Ernesti tamen *esse* defendit, vereor ne frustra.

Quem tu melius, Catule, meministi) Sic Guelf. A. Vulg. *quem tu, Catule, melius meministi*. Nonius p. 524, 16 habet: *quem tu probe, Catule, meministi*. Conf. Heusingerum ad Cic. offic. I, 37.

Tantopere ferretur) Guelf. A, *tanto opere ferretur*. Lambinus corrigi voluit *efferretur*. At *ferretur* h. l. est idem ac *rumoribus celebraretur*.

ferretur? *Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. an domum? matremne ut miseram lamentantem videam, et abiectam?* Quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrymas tenere non possent. Haec eo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt; imitatores autem veritatis, histriones, occupaverunt.

57. Ac sine dubio in omni re vincit imitationem veritas; sed ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus. Verum quia animi permotio, quae maxime aut declaranda, aut imitanda est actione, perturbata saepe ita est, ut obscuretur, ac paene obruatur, discutienda sunt ea, quae obscurant, et ea, quae sunt eminentia et promta, sumenda. Omnis enim motus animi suum quendam a natura habet vultum, et sonum, et gestum: totumque corpus hominis, et eius omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Nam voces, ut chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant; acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva; quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, lene, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono; attenuatum, inflatum. Nullum est enim horum similium generum, quod non arte, ac

Matremne ut miseram lamentantem videam, et abiectam) Concinnius sic Guelf. A. Vulgo *lamentantemque.*

* *Perturbata saepe ita est*) Nempe *actione*, quod hic est repetendum. Cicero enim hoc innuit, saepe actionis vitio aliquam animi permotionem, quae actione maxime declaranda esset, ita perturbari, ut obscuretur ac paene obruatur.

Omnis enim motus — sunt pulsae) Haec verba mala manu interpolata videntur. Certe pressius et elegantius sic decurrerent: *Omnis enim motus animi suum quendam a natura habet vultum et gestum; omnesque voces ho-*

moderatione tractetur. Hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores.

58. Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumit: acutum, incitatum, crebro incidens:

> Impius hortatur me frater, ut meos malis miser
> Manderem natos: — —

et ea, quae tu dudum, Antoni, protulisti:

> Segregare abs te ausus . . .

et

> Ecquis animadvertit? vincite . . .

et Atreus fere totus. Aliud miseratio ac moeror; flexum, plenum, interruptum, flebile:

> Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
> Domum paternamne? anne ad Peliae filias?

et illa:

> O pater, o patria, o Priami domus!

et quae sequuntur:

minis, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae.

Sibi sumit) Ita edd. vett. ut Becichem. melius quam ut vulgo, *sibi sumat.*

Impius hortatur me frater) Bentleius ad Cic. Tusc. IV, 36, ubi hi versiculi recurrunt, metri causa emendavit: *impius me hortatu' frater*. Sunt autem ex Accii Atreo.

Protulisti) Supra lib. II, c. 46.

Ecquis animadvertit) Sic Guelf. A, probante Heusingero. Vulg. *ecquis hoc animadvertit.*

Flexum, plenum, interruptum, flebile) Sic edidi pro vulgato *flexibile*, *p. i. flebili voce*. Nam *voce* est a glossatore adiectum; et *flexibile* alienum est a proposito. Confirmat emendationem nostram Quintilian. XI, 3, ubi in miseratione poscitur vox *flexa et flebilis*. Pro *plenum*, quod vocis genus in miserationem ac moerorem non cadit, malim *lene*.

* *Quo nunc me vertam*) Versiculi sunt Ennii ex Medea, quibus hos Medeae Euripideae imitatus est, 502 seqq. *νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους, οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην; ἢ πρὸς τάλαινας Πελιάδας;*

* *O pater*) Hi et proxime sequentes versiculi ex Ennii Andromacha deprompti.

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari.

Aliud metus; demissum, et haesitans, et abiectum:

Multi' modis sum circumventus, morbo, exsilio, atque inopia:
Tum pavor sapientiam mihi omnem exanimato expectorat:
Alter terribilem minitatur vitae cruciatum et necem:
Quae nemo est tam firmo ingenio, et tanta confidentia,
Quin refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.

Aliud vis; contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis:

Iterum Thyestes Atreum attractum advenit:
Iterum iam aggreditur me, et quietum exsuscitat.
Maior mihi moles, maius miscendum 'st malum,
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Aliud voluptas; effusum, lene, tenerum, hilaratum ac remissum:

Sed mihi quum tetulit coronam ob collocandas nuptias,
Tibi ferebat: quum simulabat alteri sese dare,
Tum ad te ludibunda docte, et delicate tetulit.

Multi' modis) Versus sunt Ennii ex Alcmaeone. Cf. Cic. de Fin. IV.

Exanimato) Vulg. *ex animo*. Turnebus legebat *exanimo*.

Sanguen) Olim falso edebatur *sanguine*, aut *sanguem*. Veram lectionem *sanguen* confirmant Nonius Marcellus, Priscianus, aliique, qui hunc locum commemorant.

Iterum Thyestes) Sunt Accii versus ex Atreo.

Atreum attractum advenit) Cod. Ioan. (teste Cockmanno) *Atreum ad tractatum advenit*. Cod. Mag. *Atreum a terecin tum venit ad tractum advenit*. Palat. 6, 7: *Atreum alter etiam advenit*, unde colligo, Lambinum recte emendasse: *mecum altercatum advenit*. Nam Atreus hic ipse loquitur.

Effusum, lene) Malim *effusum, plenum*. Nam etiam Quintilian. XI, 3, 63: *itaque laetus in rebus*, inquit, *plena, simplex, et ipsa quodammodo hilaris fuit*.

Sed mihi quum tetulit) Sic, non *detulit*, ut volgo, legendum esse docuit Heusingerus. Cf. praefationem ad Cic. offic. p. 44. Ernesti errabat, quum lectionem *tetulit*, quam iam Cratander praeiverat, metro adversari diceBat; quum potius *detulit* adversetur. Idem paulo post metri causa *alteri sese dare* scribendum vidit pro vulg. *sese alteri dare*.

* *Docte, et delicate tetulit*) Vtrum-

Aliud molestia; sine commiseratione grave quoddam, et uno spiritu, ac sono ductum:

Qua tempestate Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis,
Ego tum gravida, expletis iam fere ad pariendum mensibus:
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit.

59. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem et sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione ac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens: brachium procerius proiectum,

que adverbium de scito, lepido et urbano puellae gestu accipiendum.

Grave quoddam) Nempe genus vocis. Sic Guelf. A, B, C. Vulgo *grave quiddam*.

Vno spiritu) Ita Becichemus correxit vulg. *uno pressu*.

Ac sono ductum) Vulg. *ac sono obductum*. Lectio *ductum*, quam e codd. protulit Becichemus, aptior ad sensum.

Hecuba partu postremo parit) Wetzelius *pario* legendum esse opinatus, quasi illa omnia Hecuba ipsa loquatur, metro id prohiberi non sensit.

* *Hos motus*) Nempe hos affectus, aut animorum motus.

Non demonstratione) In hac Tullii periodo: *Caedebatur in medio foro Messanae*, etc. non est motus laterum, qualis esse ad verbera solet, torquendus; nec vox, qualis dolore exprimitur, eruenda; nec si quis de citharoedo loquatur, eum compositis quasi ad pulsandos nervos manibus designare debet; permittitur tamen manum ad se referre, aut in alium intendere, de quo loquitur. (Fabius lib. XI, cap. 3). Pavst.

* *Manus*) Quot motus habeant manus, dici vix potest; his poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, etc. Est ille gestus maxime communis, quo index ad pollicem contrahitur explicatis tribus aliis digitis; convenit exordiis cum leni in utramque partem motu prolatus, capite sensim ad id, quo fertur manus, inclinante. Idem gestus erit paulo productior in narrando, in exprobrando acrior. Est et ille verecundae actioni aptissimus, quo quatuor primis leviter in summum coëuntibus digitis, non procul a pectore ad nos fertur manus. Deinde admirationi convenit hic gestus, quo manus modice supinata, ac per singulos a minimo collecta digitos redeunte flexu simul explicatur atque convertitur. Praeterea optime manus a sinistra parte incipit, at in dextra deponitur; sed ut deponi, non ferire videatur. Denique in exordiis gestus fieri non solet, nisi post tria, quatuor, aut quinque verba. (Ex Quintiliano). Id.

* *Brachium*) Brachia proiiciantur in contentionibus, contrahantur in

quasi quoddam telum orationis: supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum: quo melius nostri illi senes, qui personatum ne Roscium quidem magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. *Nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes, et commutationes possit efficere. Neque vero est quisquam, qui eadem contuens efficiat. Theophrastus quidem Tauriscum quendam dixit actorem aversum solitum esse dicere,

remissis. Nunquam tamen sint omnino extenta, nunquam supra oculos attollantur, nunquam demittantur infra pectus. (Ex eodem). In.

Dominatus est omnis oculorum) Guelf. C omittit *omnis*, haud male. Gravius est enim *dominatus* sine adiectione positum.

* *Qui personatum ne Roscium quidem*) Ex hoc loco colligitur, personarum usum in scena Crassi demum tempore invaluisse; et Roscium nonnunquam haud personatum egisse, ita ut omnes oris vultus conspicerentur.

Quae, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere) Misere friget *et commutationes*; quare id lubenter deleverim. Et vero in Guelf. A omissum. Abest quoque in Pall. 1, 2, Pith. Mem.

Neque vero est quisquam, qui eadem) Guelf. A: *neque verum est quidquam, qui eadem*; unde coniicere aliquis possit, Ciceronem scripsisse: *neque verum est quidquam, quod eadem contuens efficiat.* Melior tamen vulgata; et *efficiat* refertur ad *significationes*; quamquam id nimis abruptum iudicabat Ernestius, adeo ut ei in mentem veniret, *ducat* nobis commendare; quasi de eo agatur, quod sit contra naturam et consuetudinem hominum. Sed hoc perpetuitati orationis et scriptoris consilio plane repugnat. Mollior tamen fieret iunctura, si legeretur: *Neque vero est quisquam, qui eas* (significationes) *idem contuens efficiat.* Victorius Var. Lect. XII, 17 corrigebat: *neque vero est quisquam, quin eadem contuens efficiat*, in quo est sensus auctoris menti prorsus contrarius. Recte autem Strebaeus et Pearcius *eadem contuens* de vultu oculorum rigido semperque in eadem re defixo acceperunt. Sed non est praetereunda lectio, in quam Gulielmus coniectura inciderat, post etiam Grutero probata, cuius etiam vestigia sunt in MSS. quibusdam a Cockmanno laudatis: *neque vero est quisquam, qui eadem connivens* (i. e. oculos claudens) *efficiat.* Etsi Quintilianus XII, 3, 76: «nam opertos, inquit, compressosque eos in dicendo, quis, nisi plane rudis aut stultus, habeat?»

Tauriscum quendam) Falso Strebaeus sibi persuasit, hunc Tauriscum ipsum illum actorem fuisse, qui ali-

qui in agendo, contuens aliquid, pronuntiaret. Quare oculorum est magna moderatio. Nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis; quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet. Is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data. Quare etiam hac imperiti, hac vulgus, ac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui eiusdem linguae societate coniunctus est, sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant; actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet; iisdem enim omnium animi motibus concitantur, ut eos iisdem notis et in aliis agnoscunt, et in se ipsis indicant.

quid contuens pronuntiaret. Id enim verba non patiuntur. Non enim dicit Crassus: *Theophrastus Tauriscum quendam actorem aversum solitus est dicere*, sed Theophrastus Tauriscum quendam dixit actorem aversum solitum esse dicere. Ergo Tauriscus vel de certo quodam actore, vel de actoribus universe, qui sic pronuntiarent, iudicavit. Suspicor autem, Tauriscum fuisse Grammaticum illum, Cratetis auditorem, cuius mentionem facit Sextus Empiricus adv. Gramm. Is enim fuit Theophrasti aequalis. Ceterum si paulo ante lectio *connivens* placeat, eam hic quoque repetendam censeam; *qui, in agendo connivens, aliquid pronuntiaret.*

Actorem aversum) Male Ernestius interp. *aversum a ratione et consilio, stultum.* Imo est proprie accipiendum. Tauriscus dicebat, actorem, qui semper idem contuens pronuntiet (vel qui connivens pronuntiet), haud meliorem esse eo, qui stet aversus a theatro, et spectatoribus tergum obvertat.

Setas) Lambinus dedit *iubas*, haud scio an rectius.

Et in se ipsis indicant) Vulg. *in se ipsi.* Sed hic vis oppositionis requirit *ipsis*.

60. Ad actionis autem usum atque laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet; quae primum est optanda nobis; deinde quaecunque erit, ea tuenda. De quo illud iam nihil ad hoc praecipiendi genus, quemadmodum voci serviatur; equidem magnopere censeo serviendum; sed illud videtur ab huius nostri sermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paulo ante, plurimis in rebus, quod maxime est utile, id nescio quo pacto etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam nihil est utilius, quam crebra mutatio: nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio. Quid? ad aures nostras, et actionis suavitatem, quis est vicissitudine, et varietate, et commutatione aptius? Itaque idem Gracchus (quod potes audire, Catule, ex Licinio, cliente tuo, literato homine, quem servum sibi ille habuit ad manum), cum eburneola solitus est

Ad vocem obtinendam) Lambinus corrigendum censuerat *ad vocem in dicendo tuendam*, idque Pearcio mirifice placuit. Ernesti autem docuit, *obtinere* hic esse exquisitae latinitatis, quum *obtinere vocem* h. l. sit i. q. efficere, ut ad finem eadem maneat, nec obtundatur aut raucescat.

Ex Licinio) Ernesti veterem lectionem *Erycino* restituerat; quo iure, recte dubitavit Spaldingius ad Quintil. I, 10. Nam *Licinio* et apud Plutarchum, et apud Gellium locis mox laudandis legitur. Quum tamen lectio *Erycino* vix a librariis orta sit, fortasse scripsit Cicero *ex Licinio Erycino*, ut simul patriam hominis notaret.

* *Peritum hominem*) Scilicet artis declamandi; ex quo deinde nonnulli finxerunt musicae artis peritiam, quasi hac ad fistulam inflandam opus esset.

* *Cum eburneola — fistula*) Gellius Noct. Att. I, 11: «Ecce autem — tibiae quoque illius concionatoriae in mentem venit, quam C. Graccho cum populo agenti praeisse ac praemonstrasse modulos ferunt. Sed nequaquam sic est, ut a vulgo dicitur, canere tibia solitum, qui pone eum loquentem staret, variisque modis tum demulcere animum actionemque eius, tum intendere. Quid enim foret ista re ineptius, si, ut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros et modos et frequentamenta quaedam varia tibicen incineret? Sed qui hoc compertius memoriae tradiderunt, stetisse in circumstantibus dicunt occultius, qui fistula brevi sensim graviusculum sonum inspiraret ad deprimendum sedandumque impetum vocis eius. Effervescente namque impulsu et instinctu extraneo naturalis illa Gracchi

habere fistula, qui staret occulte post ipsum, quum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut a contentione revocaret. Audivi mehercule, inquit Catulus, et saepe sum admiratus hominis cum diligentiam, tum etiam doctrinam et scientiam. Ego vero, inquit Crassus, ac doleo quidem, illos viros in eam fraudem in republica esse delapsos; quamquam ea tela texitur, et ea incitatur in civitate ratio vivendi ac posteritati ostenditur, ut eorum civium, quos nostri patres non tulerunt, iam similes habere cupiamus. Mitte, obsecro, inquit, Crasse, Iulius, sermonem istum, et

vehementia indiguisse non, opinor, existimanda est. M. tamen Cicero fistulatorem istum utrique rei adhibitum esse a Graccho putat, ut sonis, tum placidis, tum citatis, aut demissam iacentemque orationem eius erigeret, aut ferocientem saevientemque cohiberet». — Quintilian. Inst. Orat. I, 10: «Graccho concionanti consistens post eum musicus, fistula, quam τονάριον vocant, modos, quibus deberet intendi, ministrabat.» Valer. Max. VIII, 10: «Caius Gracchus — quoties apud populum concionatus est, servum post se musicae artis peritum habuit, qui occulte eburnea fistula pronuntiationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto concitatos revocando.» Plutarch. in Gracchis cap. 2, postquam C. Gracchum dixerat fuisse τραχὺν καὶ θυμοειδῆ, ὥστε καὶ παρὰ γνώμην ἐν τῷ λέγειν ἐκφερόμενον πολλάκις ὑπ' ὀργῆς, τήν τε φωνὴν ἀποξύνειν καὶ βλασφημεῖν, καὶ συνταράττειν τὸν λόγον, haec addit. ὅθεν καὶ βοήθημα τῆς ἐκτροπῆς ταύτης ἐποιήσατο τὸν Λικίννιον, οἰκέτην οὐκ ἀνόητον, ὃς ἔχων φωνασκικὸν ὄργανον, ᾧ τοὺς φθόγγους ἀναβιβάζουσιν, ὄπισθεν ἑστὼς τοῦ Γαΐου λέγοντος, ὁπηνίκα τραχυνόμενον αἴσθοιτο τῇ φωνῇ καὶ παραῤῥηγνύμενον δι' ὀργὴν, ἐνεδίδου τόνον μαλακόν, ᾧ τὸ σφοδρὸν ἐκεῖνος εὐθὺς ἅμα τοῦ πάθους καὶ τῆς φωνῆς ἀνιεὶς ἐπραΰνετο, καὶ παρεῖχεν ἑαυτὸν εὐανάκλητον.

* *Ego vero*) Scilicet et ipse admiror Gracchi diligentiam ac doctrinam, ut bene Ernesti exposuit.

* *Ea tela texitur*) Carpit aetatis suae factiones Marianas et Syllanas, quibus tota respublica concutiebatur. Ceterum eam vocem *incitatur* temere librariis excidisse putat Victorius lib. V Var. Lect. cap. 7. PRVST.

Ea incitatur in civitate) Pearcius recte verbum *incitatur* defendit, etsi id abest codd. Pal. 1, 2, Pith. Ioan. Harl. 1, et Victorius delendum censuerat. Forsan Cicero tantum scripserat *quamquam ea tela texitur in civitate ac posteritati ostenditur*, ut cetera interpretis essent, qui metaphoram *tela* vellet explicare.

Ac posteritati) MSS. a Pearcio collati fere omnes *ac posteritatis*, un-

te ad Gracchi fistulam refer; cuius ego nondum plane rationem intelligo. In omni voce, inquit Crassus, est quoddam medium, sed suum cuique voci. Hinc gradatim ascendere vocem et suave est, et idem illud ad firmandam vocem est salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen interius est, quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet, sed iam ab ista contentione revocabit. Est item contra quiddam in remissione gravissimum, quoque tanquam sonorum gradibus descenditur. Haec varietas, et hic per omnes sonos cursus, et vocem tuebitur, et actioni afferet suavitatem. Sed fistulatorem domi relinquetis, sensum huius consuetudinis vobiscum ad forum deferetis.

61. Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me tem-

de ille legendum arbitrabatur *ac posteris.*

Hinc gradatim ascendere vocem et suave est, et idem illud ad firmandam vocem est salutare) Hactenus in omnibus Edd. legebatur: *hinc gradatim ascendere vocem utile et suave est (nam a principio clamare agreste quiddam est) et idem illud* etc. In quibus primum ineptam parenthesin delevimus, quam e glossa fluxisse facile patet; deinde vocabulum *utile* expunximus, quod hic redundat, quia, quam utilitatem habeat haec vocis moderatio, sequentibus verbis exponitur: *et idem illud — est salutare.*

Ad firmandam) Ita MS. Ioan. Harl. 1. Vulg. olim *ad firmandum;* quod quum ferri posse negaret Pearcius, recte contrarium docuit Ernesti. Saepe enim sic utuntur Latini gerundio.

* *Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen interius est, quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet, sed iam ab ista contentione revocabit*) Vulgo: *et tamen ab ipsa contentione revocabit.* Emendationem facile intelligentibus, ut spero, probabo. Cicero nimirum significat, esse aliquod contentionis in declamando extremum, quod tamen non abeat in acutissimum clamorem, qui prorsus ab oratore abhorreat. Ad illum igitur acutissimum clamorem fistula oratorem progredi non sinet, sed iam ab ista contentione, ab extremo illo gradu contentionis eum revocabit. Ernestio in mentem venerat: *quo te fistula progredi sinet*, quod fieri non potest nisi relatione membrorum huius periodi perturbata.

Haec varietas, et hic per omnes sonos cursus, et vocem tuebitur, et actioni afferet suavitatem) Sic emendavi vulgatum: *Haec varietas et hic per omnes sonos vocis cursus et se tuebitur, et a. a. s.* Nam *ut cursus et varietas se tueatur*, hic non exspectatur, sed agitur de voce tuenda.

* *Sensum huius consuetudinis*) Nempe fistulae illius usu et consuetudine

poris angustiae coëgerunt. Scitum est enim, causam conferre in tempus, quum afferre plura, si cupias, non queas. Tu vero, inquit Catulus, collegisti omnia, quantum ego possum iudicare, ita divinitus, ut non a Graecis didicisse, sed eos ipsos haec docere posse videare. Me quidem istius sermonis participem factum esse gaudeo; ac vellem meus gener, sodalis tuus, Hortensius, affuisset: quem quidem ego confido omnibus istis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. Et Crassus, Fore dicis? inquit: ego vero esse iudico, et iam tum iudicavi, quum, me consule, in senatu causam defendit Africae, nuperque etiam magis, cum pro Bithyniae rege dixit. Quamobrem recte vides, Catule; nihil enim isti adolescenti neque a natura, neque a doctrina deesse sentio. Quo magis est tibi, Cotta, et tibi, Sulpici, vigilandum ac laborandum. Non enim ille mediocris orator vestrae quasi succrescit aetati; sed et ingenio peracri, et studio flagranti, et doctrina eximia, et memoria singulari. Cui quamquam faveo, tamen illum aetati suae praestare cupio; vobis vero illum tanto minorem praecurrere vix honestum est. Sed iam surgamus, inquit, nosque curemus, et aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros, curamque laxemus.

Gracchus eo tendebat, ut nimiam vocis vehementiam temperaret; haec animi intentio dicitur sensus consuetudinis.

Ac vellem meus gener) Vulgo, *ac vellem, ut meus gener.* Ernesti autem bene monuit, particulam *ut* hic rectius abesse.

Ego vero esse iudico) Sic de Hensingeri sententia edidi. Vulg. *ego vero esse iam iudico.* Fortius autem est, illud *esse* simpliciter τῷ *fore* opponi; et particula *iam* aptius ante *tum iudicavi* ponitur.

* *Aetati suae*) I. e. aequalibus, seu eiusdem aetatis adolescentulis.

Vix honestum est) Becichemus olim coniecerat, *minus honestum est.* Sed saepius *vix* ita ponitur. Sic Orat. c. 1: *vix arbitrabar esse eius, qui vereretur* etc.

Nosque curemus) Sic lib. I extr. *valetudini demus operam*, et lib. II, cap. ult. *surgendum censeo et requiescendum.*

EXPLICATIO NOTARVM.

Pal. Pith. codices Mss. Palatini et Pithoeanus a Grutero collati.

Cant. cod. bibl. Acad. Cantabrigiensis.
Gonv. codex bibl. Coll. Gonvillo-Caiensis Cantabr.
Norf. cod. bibl. Reg. Societatis Lond. a Duce Norfolciae donatus.
Ioan. cod. bibl. Coll. Ioannis Baptistae Oxon.
Bod. cod. bibliothecae Bodleianae.
Mag. cod. bibl. Coll. Magdalensis Oxon.
Wag. cod. Wagstaffii.
Nov. cod. bibl. Collegii Novi Oxon.
Mead. cod. Richardi Mead. M. D.
Harl. cod. duo Comitis Oxoniae.
} a Pearcio collati.

Ox. codices Oxonienses, quorum lectiones editio Ciceronis operum Oxoniensis praebet.

Erl. cod. Erlangensis ab Ernestio et Harlesio collatus.

Guelf. A, B, C, codices tres Guelferbytani ab Heusingero collati.

Omnib. editio Omniboni.

Kob. editio Kobergeriana a. 1497.

Reliquarum editionum notationes interpretatione non egent.

M. T. CICERONIS OPERVM
EXPLICIT TOMVS SECVNDVS.

